


4981

Dicteala fib. al Prof. R. Corcione

19
19



CURSUS PHILOSOPHICUS

TOMVS TERTIVS.

CONTINENS TRACTATUS DE GENERATIONE;
O Anima.

AUCTORE

R. P. Fr. JOSEPHO DE AGUILERA SALMANTICENSE,
Ordinis Eremitarum S. P. Augustini, Provinciae Castella Alumno,
Magistro in Sacra Theologia, in Complutensi Collegio olim meritissimo
Primario, in Matritensi Studiorum Regente; Conventus
Civitatis electo Priore, eiusdemque Provinciae
Visitatore actuali.

ADDITUR DE MUNDO, ET COELO, TRACTATUS
Appendix.

CHARISSIMÆ SCHOLASTICÆ IUVENTUTI PRÆDICTÆ
Provinciae eius nomine dicatus, & in lucem editus

A R. ADM. P. M. Fr. FRANCISCO DE AVILES,
Hispaniarum Ex-Assistente Generali; semel, & iterum
Ex-Provinciali Castellæ, Collegijque Matritensis Dominae
Mariae de Aragon actuali Rectore.

Anno



1722.

Mantua Carpetanorum, ex Typog. Nicolai Rodriguez France,
SUPERIORUM PERMISSV,

CURSUS PHILOSOPHICUS

TOVAS FRATERNUS

CONTINENS TRACTATIONES DE GENEBRIS ET

PHYSIOLOGIA

ET DE MATERIA MEDICA ET DE CEREBRO ET DE

DE SANGUINE ET DE VENIS ET DE LYMPHE

ET DE PULMONIBUS ET DE CARDIACIS ET DE

DE VISCERIS ET DE REPRODUCTORIBUS ET DE

DE MUSCIS ET DE NERVIS ET DE SENSIBUS ET DE

DE SENSIBUS ET DE MUSCIS ET DE NERVIS ET DE

DE VISCERIBUS ET DE REPRODUCTORIBUS ET DE

DE MUSCIS ET DE NERVIS ET DE SENSIBUS ET DE

DE SENSIBUS ET DE MUSCIS ET DE NERVIS ET DE

DE VISCERIBUS ET DE REPRODUCTORIBUS ET DE

DE MUSCIS ET DE NERVIS ET DE SENSIBUS ET DE

DE SENSIBUS ET DE MUSCIS ET DE NERVIS ET DE

DE VISCERIBUS ET DE REPRODUCTORIBUS ET DE

DE MUSCIS ET DE NERVIS ET DE SENSIBUS ET DE

DE SENSIBUS ET DE MUSCIS ET DE NERVIS ET DE

DE VISCERIBUS ET DE REPRODUCTORIBUS ET DE



anno A.

DILECTISSIMÆ
SCHOLASTICÆ IUVENTVTI,
Venerandæ Augustinianæ
Castellæ Provinciæ.



R A T E S debitas persolvere ve-
llem nostræ Augustinianæ Castel-
læ Provinciæ pro munere mihi
commisso, occasioneque oblata,
quà utilitate vestræ (dilectissimi Scholastici
Iuvenes) aliqua parte consulere valeam. Re-
fero quas possum obediens : Præcepto igitur
Sacré Matri cupiens facere satis, tertium
Tomum Philosophici cursus typis mandare
curavi ; vobisque nomine Almæ nostræ Pro-
vinciæ gratus, obsequens, nec non hilaris
offerro. In illo amor vester perfectæ Sophiæ
post tractatus de Generatione, & Anima,
alium desiderabit de Metaphysica, nedum
Philosopho perutile, sed etiam Theologo,
elaboratum ab eodem ingeniosissimo Magi-
stro Aguilera : huic tamen desiderio non frau-
dando, sed iuvando, & laudando, quia ho-
nesto, spe responderet Prologus ad Lectorem eius-
dem. Eia ergo (Scholastica mi chara Iuven-
tus) tantus Sapientissimi Magistri vestro pro-

rationali progressu casus non sit labor impensis ; huc adeste ; oculosque convertite in illum , Ianuam vobis aperientem ad Scientias, ipsaſquè peradvolandum provocantem ; si stet quis vestrum , sylvam Philosophiæ amœnam ingrediatur statim , non folia , sed fructus cupiendo , simulque capiendo. Authoris ergo pennas assumite, velut *Aquila* veræ ; sine labore ambulabitis ; sine laſſu curretis , volabitis tandem , & non deficietis ; supremumque lumen Patrem orate , donet vobis ad percipiendum mentis claritatem , quam ipſi ad concipiendum , conceptusquè calamo exprimendos concessit. Maxima stadij pars est iam vobis decurſa ; alacrius ergo ad metam properare debetis ; si labor terreat , sapiendi merces invitet ; gratissimam enim invenietis , sicut noster Sapientissimus Pater : Nulla mibi

(a) *Videtur (aiebat) (a) prospera fortuna , nisi que otium Philosophandi dat.* Ite ergo pede fausto , contra pergiteque penna fœlici , dimidium facti habetis , si bene cœpistis ; conquiescere pudeat , donec fœliciter cœptis imponatis perfectissimum finem. Qualis ergo Philosophi finis ? Nonnè fama Sapientis ? Absit. Nullus enim Philosophorum (N. docet Sanctissimus Parens) (b) finem suum constituit in fama vulgi , aut in lingua boni-

P. Aug.
lib. 2.
contra
Acade.
cap. I.

(b)
Ep. 56.

hominum. Quis (iterum quæres) erit Philosophi finis ? Ipse respondeat Protoparens Aurelius : (c) Nulla est homini causa philosophandi , nisi ut beatus sit. Quando tamen Beatus Philosophus erit ? Magnum nostrum exaudite Parentem : (d) Tunc Beatus est Studiosus Sapientie (id enim est Philosophus) cum Deo frui cœperit. Et quomodo (rogas) viator Philosophus Deo frui incipiet ? Ipsi⁹ Dei amore , (qui non evanescatur , imò perficitur Beatitudine Æterna) verus namquæ Philosophus Dei est amator , si Augustino credendum. Memores quæsto estote perpetua memoria eius mirandi ratiocinij sequentis : (e) Nomen Philosophiae amorem Sapientiae profitetur ; porrò si Sapientia Deus est , verus Philosophus est amator Dei. Deum igitur toto corde diligite Fratres , ut verè Philosophi sitis , Deoque fruentes. Vos igitur erga observantiæ meæ aliquale monumentum habetis editione huius Tomi Tertij : Nè , si quidem , ad ea , quæ (præter tradita à nostro nunquam satis laudato Magistro) scitu digna (saltim pro Philosophi ornatu) de Mundo , & Cælo , iudicantur discenda , extra-neis indegeatis Authoribus ; ab alio Sapientissimo nostro , verè etiam , quia ne dūm professione , sed Doctrina , Augustiniano Magistro

(c)

Lib. 19.

de Civ.

Dei , c.

1.

(d)

Lib. 8.

de Civ.

Dei , c.

9.

(e)

Lib. 8

de Civ.

Dei , c.

1.

(f)

Author:

tract. de

Gener.

disp. 6.

de mix-

tione, &

elemen-

tis , à

fol. 187.

gistro discussa , compendio vobis , Tractatu
Appendice , deferenda putavi , decrevi que , de-
do : affectum pensate , næ maximum , non
minimum censem . Vobis nè gravis prolixa
Epistola videar , ipsam concludere decet , Sa-
cram Numen orando , vobis cœpta secun-
det : meque , si vestra dignum dilectione du-
catis , amare incipite ; vel , si generosè cœpi-
stis , pergit , postulantes à Dco , ut me vobi-
scum æterna fœlicitate , sua gratia dignetur
efficere dignum . VALETE .

De mandato Augustinianæ Castellæ
Provinciæ,

Eius minimus Filius , confraterque
vester.

Fr. Franciscus de Aviles.

APPRO-

APPROBATIO R. P. M. Fr. BERNARDINI
à D. Antonio, Lectoris Iubilati, Provincialis Absoluti,
& Diffinitoris Generalis, Congregationis Hispanie,
& Indianarum, Augustinianæ Recollectionis.

X commissione D. Doctor D. Christophori
Damassij, Insignis Ecclesiae Montis Yllipulitanæ
Canonici, Causarum Fidei, Quæsitoris Ordina-
rij, atque hojus Archidioceles Toletanæ,
in Regia Curia, eiusque tractu Vicarij Generalis, &c.
Præclarum tractatum de Generatione, Corruptione, &
Anima; Authore R. A. P. M. Fr. Iosepho de Aguilera,
Lectore emerito Sacrae Theologiae VV. PP. NN. de
Observantia; sedula diligentia volvi, iucundè
evolvi; & dum illum legerem; accidit mihi, quod olim
Magno Basilio amicissimi sui Gregorij, scripta legenti
contigit: (1) *Agnovi enim tempus*, ait Magnus Basilius:
ut hi facere solent qui aenorum Libros, ex similitudine
in eis conspicua agnoscunt. In eo siquidem inveni veri-
ficari illud Lirinensis: (2) *Cuius quot penè verba tot* (2)
sententiae. In amplissima doctrina, locupletissima era-
ditione, cum eleganti, & clarissimo stylo; tum, in cap. 23.
eruendis Philosophi, & Angeli Præceptoris sensibus:
tum in questionibus difficillimis decidendis, mira cum
dexteritate, & subtilitate.

Opus sane in parvo magnum in subtilitate exi-
mum; sed in claritate maximum, & numeris omnibus
absolutissimum: & ut verbo dicam Authore dignum
suo, uno vel eius nomine satis superquæ commedatum:
(3) *Opus arte nobile, rebus grande :: stylo insigne, veri-*
tate clarum nec à suo Autbore alienum. Nil non mag-
num, nil non subtile, retroactis saeculis, pro Philosophi Salvian.
intelligentia est excogitatum, quod ad hoc suum opus, Epist. 8.
Author operoso studio, non advocet; & mira indaga-
tione non præcingat: eo miraculo, ut quisque paratam
sibi habeat, ad demonstrandum copiam, ad arguendum
locupletissimum Thesaurum, ut cum Casiodoro, dicere
fas

(4) fas sit: (4) *Habent hęc distributa, preconiam, coniunctam.*
Casiod. ~~et~~ miraculam.

lib. 1. de Aquila erat Author huius operis in Complutensi
Divin. Academia (vt vidi fēliciter sed amicissimē) Aquila erat,
Lect. c. sed magnarum alarum; vt ex inde volaret, in locum
30. suum, in eternum, scilicet, Augustinianam, Salma-
ticę Vniverſitatis; & tolleret medullam Cedri, Aristote-
telis, scilicet, & D. Thomę Aquinatis; qui in solidita-
te, & acumine cum Cedro comparandi veniunt. Dicen-

(5) te Pierio: (5) *Et Cedro digna loqui, dicantur illi, quae*
Pier. *ea scribunt, que nulla temporis iniuria, sint abolitura.*
Valer. Ut opus hoc notum nobis faceret; Magist. Aguilera tu-
Gerog. llisse medullam Phylosophicam, & Angelicam in suo acu-
lib. 50. mine excelsam, in solidis rationibus firmam, vt de illo
fol. 373. dici posset: *Et Cedro digna loqui.*

Contenta in hoc tractatu, nihil sunt Authoris sed
omnia sua, vt Lypsius, aiebat: (6) *Omnia nostra, &*
(6) *nihil.* Nil, quia Aristotelis, & D. Thomae omnia: *Omnia*
Lyp. in quia ita illa disponit, vt sua omnia videantur: ita vt no-
Prol. vum resultet, & mirandum opus; ex vetere, & mirabili
Polip. opere (dicente Tertuliano:) (7) *Novam rem aggredi-*

(7) *mur, ex vetere.* Quapropter, non Censoris arripiō mu-
Tertul. nus; sed mandatum, animi iubilo, suscipio amplecten-
1. ad dum; opus cum Authore laudando, enixeque depre-
veri.
Martio. hic ne penam committat otio. Ergo cum in illo,
cap. I. nil sit Fidei Divinæ obnoxium; honestati morum non
congruum; sed omnia dignissima, quæ pralo, & luce
animentur: ad omnium lucem, luce dignissimum opus

(8) iudico, vt sic Author scriptis coronetur suis. (8) Ita Cen-
D. Am- seo, &c. Salvo, &c. Matriti in hoc Cœnobio de Co-
brqs. pacavana Augustinianæ Recolectionis, die xx. Maij
Anno M. DCCXXXII.

Fr. Bernardinus à D. Antonio.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Christoval Dama-
sio, Canonigo de la Insigne Iglesia
Collegial del Sacro Monte Yllipulitano Val-
patayso , extramuros de la Ciudad de Grana-
da , Inquisidor Ordinario de Corte , y Vica-
rio de esta Villa de Madrid, y su Partido, &c.
Por la presente , y por lo que à Nos toca , da-
mos licencia para que se pueda imprimir , è
imprima el Libro , intitulado : *Cursus Philo-
phicus Tomus Tertius* , compuesto por el R. P.
M. Fr. Joseph de Aguilera , Doctor en Sagra-
da Theologia , del Orden de N. P. S. Agus-
tin de la Observancia : atento , que de nues-
tra orden ha sido visto , y reconocido , y
constar , no contiene cosa opuesta à nuestra
Santa Fè Catholica , y buenas costumbres.
Dada en Madrid , à diez y nueve de Junio,
Año de mil setecientos y veinte y dos.

Dr. Damaio.

Por su mandado.

Joseph Fernandez.

§§

CEN-

CENSURA R. P. M. Fr. IOANNIS INTERIAN
de Ayala , Sacri ac Regii Ordinis Beatae Marie de
Mercede Redemptionis Captivorum , Salmanticensis
Academiæ Doctoris Theologi , Artiumque , ut vocant
Magistri , ibidemque primum Philosophiæ , dein sacra
rum Linguarum Primariæ Cathedræ Antecessoris eme
riti , Regii Concionatoris , atque in Regio Confessu Con
ceptionis Deiparæ Theologi , &c.

EX Supremi Castellæ Senatus præscripto legi sea
dulò , inspexique attente Librum tractatus con
tinuent Philosopicos de Generatione , & Cor
ruptione , deque Anima : cui Author est R. A.
P. M. Fr. Iosephus de Aguilera , Ordinis Magni Paren
tis Augustini , olim in Pampelonensi Cœnobio professor
liberalium Artium , in Complutensi Collegio Primarius
Theologiaz Antecessor , Conventus Civitatenis Prior,
Castellanæque Provinciae Visitator , &c. Et quidem qui
non semel testatus sum , probari mihi morem illum haud
posse (si tamen mos dicendus sit , & non abusus) quo
libris quibuscumque elogia prænectuntur , ipso inter
dum majora Libro : paucis hic rem absolvam. Igitur Li
ber hic non tantum est , judicio meo , editione , sed
etiam laudatione dignissimus , quod cùm , ut audio ,
destinetur Philosophiæ , cùm Rationalis , tūm etiam Na
turalis , ac Metaphysicæ integer Cursus erudiendis , at
que instituendis studiosis tyronibus landati , & num
quam pro merito satis laudandi Ordinis : habet hæc Pars ,
imò habent (quod conjicere facile est) reliquæ , quæ ad
hunc finem magis considerari debent accommoda at
que vtilia. Principio enim , perspicuitas in illo mi
rè elucet , stylī , verborum , & sententiarum cla
ritas. Hæc autem cùm in omnibus scriptis obser
vanda sit semper atque expetenda , in his præcipue
philosophicis magni prorsus adjumenti est : adeo , ut
de

de his æquē ; aut certe magis ; quam de Oratoriis
dixisse videatur Orator summus atque præceptor ; No-
bis prima sit virtus perspicuitatis , propria verba , re-
Etus ordo , non in longum dilata conclusio : nihil ne-
que desit , neque superfluat . Ita sermo & doctis pro-
babilis , & planus imperitis erit . Deinde quod cum
subjecta Tractatibus materia difficultimis majori ex
parte , atque spinosis difficultatibus & subtilitatibus sic
implexa ; cordatus tamen & eruditus Author ita mo-
dum servat ac tenet ; ut cum nihil est vero & solido
acumine deficiat , à salebris quibusdam cavillis atque
argutiis ita consulto abstinet , vt tyronum ac discipu-
lorum mentes (quod in aliis huius generis scriptoribus
planè desideratur ab eruditis) non obruat , sed eru-
diat . Paratur itaque hac ratione altioribus studiis com-
modius ediscendis plana via : quod sane præstite
præstabite semper doctissimus atque ingeniosissimus
Operis Author , faciuntque proiecti : hoc quippe con-
silio traduntur in Sacris Religiosorum hominum Ordini-
bus harum philosophicarum rerum dilucidæ notio-
nes sane juvenibus & inchoantibus , non proiectori-
bus : qui certe , vt ait Philosophus non infimi subsellii ,
Non discere debemus ista , sed didicisse. Denique quia
liber hic , Authorisque mens totis conaminibus in ve-
ritatis inquisitione versantur , ad quam magnis profe-
cto luminibus ducentibus , vt certe sunt Augustinus
Patens , Thomasque Doctor Angelicus , constabiliens
inveniendamque nervos omnes atque oculos in-
tendant ; non vincendi inani studio , sed proficiendi ,
quod magna mentis opus est : & meritò iquidem : quo-
niā , vt inquit Excelsum Ecclesiae Doctor , inter cœ-
terosque facile princeps , *Non parum in Philosophia* S. Aug:
projectam puto , cum in comparatione recti , verique lib. I.
inveniendi contemnitur à disputante victoria. Ob hanc contra
igitur , & (quod silentio obvolvi non convenit) ob Academi-
Authoris plurimam doctrinam , & doctrinæ conjun- cap. 3.
ctam morum modestissimam probitatem : intelligere
promptum est , id quod ego testimonio meo adstruo ,
in hoc libro reperi nihil quod Sacrosanctis Fidei Dog-

Quinti.
Instit.
Orat. li.
8. c. 2.

Senec:
Ep. 88.

inatibus, botisve moribus aduersetur: cum aliunde vix
ejus patiatur argumentum, ut aliquid sit bene institutæ
Reipubl. Regisve juribus contrarium. Ita censeo,
salvo semper, &c. In hoc Regii Ordinis Beatae Mariæ
de Mercede Redemptionis Captivorum Matritensi Cœs
nobio v. Eidus Junii Anno M.DCCXXII.

*
*Fr. Ioannes Interian
de Ayala.*

LICEN₃

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Baltasar de San Pedro Acevedo , Secretario de Cámara del Rey nuestro señor , y de Gobierno del Consejo : Certifico , que por decreto de los señores de él , de oy dia de la fecha se ha concedido licencia al R. P. M. Fr. Francisco de Avilès , del Orden de San Agustín de la Observancia de esta Corte ; para que por vna vez, pueda dàr à imprimir vn Libro , intitulado : *Cur-
sus Philosophicus Tomus Tertius* , escrito por el R. P.
M. Fr. Joseph de Aguilera , del mismo Orden : y
para que conste lo firmé en Madrid , à diez y ocho
de Junio , de mil setecientos y veinte y dos años.

D.Baltasar de S. Pedro.

ERRAS

ERRATA SIC CORRIGE.

PAG. 4.col.2.lin.37.ex odem, leg.ex eodem, pag. 5. col.1. lin. 37. non ens, leg. non est. pag. 21. col. 1. lin. 8. quodam , leg. quodnam. pag. 77.col.2.lin.35.comucandi, leg.comunicandi, p. 81.q.6.leg.q.4.pag.103.col.2. lin.29. immutat, leg.immutata. p. 163.col.1.lin.12.qualitatis,leg.qualitates. p.177.col.2.lin.38.existens,leg.existentes,p.185.col.1.lin.33.quod,leg.quo. p.225.col.2.lin.18.determine,leg.determinet.p.231.col.1.lin.35.leitus, leg. sensus.p.239.col.2.lin.13.ea,leg.eo.p.245.col.2 lin.8.sole, leg. so. lo.p.246.col.2.lin.19. recipient,leg.reciperent. p.251.col.2.lin.18.argani,leg.organi.p.256.col.1.lin.19.pteditas, leg.præditas.p. 259.col.2.lin.3,per autem,leg.per actum p.260.col.1.lin.29.qualitas,leg.qualitates. p.266.col.1.lin.5. quidditas,leg. quidditates. p.270.col.1.lin.8.octione,in,leg.actionem.p.280.col.1. lin.6. cognoscivimus,leg.cognoscitivis.p.288.col.2.lin.33.determinatis,leg. determinantis. p.301.col.2.lin.24. adæquatam, leg. adæquatum. p.309.col.2.lin.22.probatum,leg.probatur. p.330.col.1.lin.15. produxisse,leg.produxisset.p.335.col.1.lin.35. considerent,leg. conciderent.p.344.col.2.lin.8.factam,leg.facta.p.345.col.2.lin.26.motivus,leg.motibus. p.349. col.2.lin.14. fulgem,leg. fulget. p.351.col.2.lin.2 qui,leg.quia.p.373.col.1.lin.13.rariorum,le.radiorum,

Deceptis hismendis suo exemplati respondet. Anno Domini millesimo septingentessimo vigessimo secundo , vigessimo sexto dies Iunij.

Licent. Don Benito del Rio
y Cordido.

Corrector General por su Magestad.

SUMA DE LA TASSA.

T^Assaron los señores del Consejo Real este Libro , intitulado: *Cursus Philosophicus Tomus Tertius*, à ocho maravedis cada pliego , como mas largamente consta por Certificacion , dada por Don Baltasar de San Pedro Acevedo , Escrivano del Rey nuestro señor , y de Govierno del Consejo.

CENSURAR.P.M.Fr. MATHIAS TERAN AUGUSTINIANI,
Theologie Sacre Doctoris Salmantine Universitatis; in ipsa olim
Philosophia Regentis Moderatoris, nunc vero proprietarij Sacre
sui Ordinis Magistri, Prioris quondam Conventus Salmanti-
censis, actualisque Diffinitoris Castella Provincie.

AR. A. P. N. M. Fr. Eugenio Aguado, huius
Provinciae Castellæ, Ordinis Eremitarum S.
P. N. Augustini dignissimo Provinciali, iussus
sum, meum qualemcumque profferre iudicium
circa Tomum Tertium Philosophicum, à R. P. M. Fr.
Iosepho de Aguilera, eiusdem Provinciae Visitatore,
elaboratum.

Quod præceptum huius amantissimi Præfulis non
mihi semper iucundum? Sed præfens novo titulo gra-
tum, novo, & læto animo excipio. Iam si titulum quæ-
ras: dicam ingenuè: Author est operis, quem à Iuven-
tute cognovi, quem amavi, & semper amabo, quem mi-
hi fortuna Condiscipulum (verius dicam Magistrum) in
Philosophia, & Theologia paravit; cuius ingenium iam
ab illo tempore ita omnes in admirationem commovit;
ut stupefacti vno ore innumeris præconijs commenda-
rent, & extollerent. Hoc vnum, inter alia, suæ ætatis
non simile ingenium, vel saltem alteri non secundum.
His adiunge, quod præcipuum, & laudabilis, mode-
stiam, humilitatem, aliasque virtutes, quas maiori cum
ingenio, & connatu semper optabat acquirere.

Inter ceteras, observavi, quod humilitas eminere:
humilitas quidem non ficta, sed vera, sed prudens, non
ignara, sed scientifica, quam præscribit hominibus ille,
de quo canit Ecclesia, Nihil eo fuit humilius. Audiatur
P. N. in Psalm. 130. Sunt quidam homines, qui cum au-
dierint, quia humiles esse debent, dimitunt se, nihil vo-
lunt discere, putantes, quia si aliqui didicerant, supera-
bierunt, & remanent in solo lacte. Quos reprobet
Scriptura dicens: O facti estis opus bibentes lacte non
solido cibo. Sic enim nos Deus vult nutriti lacte, ut non
ibi remaneamus, sed crescendo per lac, ad solidum cibum
perveniamus. Non ita humiliis Author noster, quod se
dimitens, nihil voluisse addiscere: imo omnia volens

sub-

Subtilissimo ingenio radicitus penetrare, semper studiosus, semper indefesus, numquam à litterarum scientia vacavit.

Iam igitur lacte nutritus, sic crevit, ut solidum cibum, ad quem cito pervenit, primum in Conventu Pampilonensi, Superiorum iussu, Discipulis traderet. Inde, Cursu Philosophico dictato, & per trienium absoluто, Complutum venit, ut in publico illo Theatro notam in certaminibus ficeret suę doctrinę soliditatem, & subtilitatem ingenij. Ibi profandissimam sapientiam mirabiliter diffundens, mitum est quo plausus in celebri illa Academia meruerit. Inter celebrissimos illos Doctores non defuit, qui eum, tanquam sapientię muniam artem, laudaret.

His tamen minimè allectus, transactis duodecim annis, quibus munus docendi, ex Religionis præscripto, laudabiliter gessit, Salmanticam revertitur, ut in domo ista Augustiniana, vnde iam verè Religiosus exierat, liberiū Deo vacaret. Aptissimus sanè ad hunc finem locus, in quo singularis viget observantia, abundat sanctitas. Propterea similis monti, *in quo bene placitum est Deo habitare in eo*. Mons vtique magnus, mons altus, mons ad Cœlum usque evectus, ut in Cœlesti Patria filios triumphantes collocet, quos ipsi Deo in terra milites adscripsit. Ex his, duos iam veneratur Ecclesia, S. Thomam Villanovanum, & S. Ioannem à Sancto Facundo. Sed & Venerabilem Alphonsum ab Orozco ut etiam Cœlitum albo inscribatur, Provincia ista, fer, vidis apud Apostolicam Sedem Officijs, ab aliquo iam annis, procurat, & solicitat. Faxit Deus, ut dot mus ita, alteri non secunda, omnium celebretur prima quæ mater est secunda Sanctorum.

Hos noster Author imitari volens, publicis studijs (quæ etiam in domo ista maximè vigent) vale dicto, privata tantum exercebat, intentus præsertim laboribus, & exercitijs, quibus animam sapientiorem, redderet. Non iam volebat docere, sed audire ab eo, qui intus loquitur: quod & Mag. N. Par. monuit super Psalm. 139. Quærit ibi, *Quælis esse debet servus Dei?* Et respondet. *Vt magis optet audire, quam dicere. Et si fieri potest*

*poteſt hoccupiat, non habere necessitatē docendi :: gau-
dium autem faciturnitatis intus habeat in voluntate, vo-
cem doctrinæ in necessitate. Sanè si necessitas non adest,
prudenter timeri potest, quod adveniat tumor, & perci-
clitet humilitas. Propterea prosequitur : Quando tu
doceſt, tanquam foris exis ad eos, qui foris ſunt :: si au-
tem hoc te delectet, quod foris agis, vide ne tumefcas
foris, & non poſſis redire per angustum.*

Hoc forte timens, functus iam munere docendi, non vocem doctrinæ, qua foris exiret, sed gaudium ſolū taciturnitatis intus habere voluit. Sed qui propria voluntate ſapientiam ſuam ab hominibus abſcondere destinaverat, obedientia coactus, iam in ſcriptis mani-ſtant facit, ſe iplum tamen, quaſi foris exeuntē, vt doceat, ab omni tumore cohibens, vt facile poſſit per angulum redire. Igitur in egressu, & reditu vtrumque adimpiet præceptum, quia dum in ſuis operibus egreditur, vt doceat, habet vocem doctrinæ in necessitate; & dum redit, nullo impediente tumore, intus habet in voluntate gaudium taciturnitatis. Gaudeat, quia vo-uit tacere; & dum loquitur, gaudeat etiam, quia ex obedientia loquitur.

Gaudium hoc commune ſit etiam omnibus, præ-ſertim nobis Augustinianis, qui tot noſtræ Religionis celebriſſimis Scriptoribus, hunc novum adiungere poſſumus. Gaudium ſit omnibus, qui veram, claram, & ſolidam Philosophiam enixè querunt, & ambiant. Gaudium ſit Tyronibus Augustinianis, pro quibus præcipue tomus iſte prodijt, duobus alijs iam luci do- natis. Et gaudium hoc gloria ſit Authoris, qui noſtræ Familiaē tam magnum præſtat obſequium, Cicerone at- testante: Nullum minus Reipublicæ afferre maius, me- lius vè poſſumus, quam ſi doceamus, atque erudiamus Invenitutem. Et tandem gaudium iſtud, præcipua ſit gloria vigilantissimi Prælati, cuius celo, Author iſtē iam non abſconditus, ſed cognitus, non iam oblivioni datus, ſed in ſuis operibus in æternum duraturus. Bene Caſſa- Gloriam Mundus, ait: Gloriosum eſſe optimo Principi habere ratio- nem ſudiorum.

Noverat Sapientiſſimus iſte Prælatus, quantum

\$\$\$

Lib. 3
de Divi

In Catal-
Gloria
Mund.

in-

intersit utilis , & solida doctrina pro Iuventute nutritienda. Noverat quantum conferat in Magistris docentibus conformitas doctrinæ , & sententiarum unitas , sine qua forte , veritas non cognoscitur , & minus Discipulis suarum detur. Rei enim (aiebat Cassiodorus) quæ multipliciter intelligitur , plerumque veritas ignoratur. Noverat quā vnuusquisque ab ingenio pronus sit in varia opiniōnēs , vt vel ipsi sensus nostri quotidie deprehendunt- atque experiuntur : Adeo ut Philosophi (verba sunt ,

In Thea- Eduardi Veston) non melius , quam horologii olim inter tro Vitæ se convenerint , ut Seneca iocatur. Noverat etiam , ea Civ. lib. magis doctrina Iuventutem nutriti , quæ nec fusiorēm 2. c. 13. habet sermonem , ne sit in naufragio : nec ac breviorēm Trac. 67 declinat , ne , vt P. N. ait , sit ipsa brevitas altera obscurā in Ioan. ritas. Noverat hæc.

Noverat etiam , quam verum sit illud commune efflatum , quo circumfertur Augustini animam videri migrasse in Thomam. Et per hunc Angelicum Doctorum , quasi per vocem , Augustinum loqui. Propterea iussit Authori , ut totum laborem , totam fabricam super hanc Angelicam Columnam imponeret sustinendam. Ita præcepit , & benè : & ita dispositus pro sodalibus domesticis , quo expeditius possent Thomæ Aquinatis vestigia relegentes Philosophicam disciplinam uno omnibus vase propinatam haurire. Hoc desiderium iam ferè impletum video , dum Logicam in 1. tom. & lib. 8. Physicorum in 2. nostri sodales præ manibus habent , quibus non patum profecturos , sperare debemus. Tomus Tertius hic est , in quo de Generat. & Anima. Quartus , in quo de Metaphysica , etiam , Deo dante , præsto donabitur , quo & totus Cursus complebitur ; & desiderium nostrum in Theologiam aspirabit. Utinam quod ego habui , non Censoris , sed laudatoris implevissem. Nihil dixi de Authore , quod non eensem , alia dicturus , si locus permitteret. Sed iam de tomo isto dicam , quod prodeat in lucem opus luce dignissimum , ut luceat , & illuminet. Sic sentio , salvo , &c. in hoc Conventu S. P. N. Augustini Salmanticensi , die xx. Ianij , Anno M. DCCXXII.

Fr. Mathiae Teran:
LICEN-

LICENTIA ORDINIS.

MAgister Fr. Eugenius Aguado Prior Provin-
cialis Provinciæ Castellæ Observantiaæ Or-
dinis Eremitarum S. P. N. Augustini , &c. Cum
iussu nostro examinatus , à R. P. M. Fr. Mathia
Tetàn , luce dignus censeatur : *Tomus Tertius Philo-*
sophiæ continens Tractatus de Generatione , corruptione ,
& Anima , à R. P. M. Fr. Iosepho de Aguilera elab-
oratos , simulque Appendicem de Mundo , & Cœ-
lo superadditum , tenore præsentium , & quantum
ad nos spectat facultatem concedimus Adm. R.P.N.
M. Fr. Francisco de Avilès , ut iuxta commissionem
á nostro Diffinitorio ipsi datam , servatis servandi ex
Decreto Sacre Concilij Tridentini , & Regijs Statu-
tis , prædictum Tomum prælo mandet ; nec ab ullo
inferiore nostro impediri valeat. Datis in hoc S. P.
N. Augustini Matricalensi Cœnobio , Sigillo nostri
Officij signatis , & per nostrum Secretarium sub-
scriptis die xx. Maij Anno Domini M. DCCXXII.

*Mag. Fr. Eugenius Aguado
Provincialis.*

Locus  **Sigilli.**

*De mandato P. N. Provincialis;
Fr. Emmanuel de Castro
Secretarius.*

AU-

AUTHOR AD LECTOREM.

Opusculum hoc tertium tibi offero (Amicē Lector) non in complementum , sed in additamentum ad duo priora Cursus nostri Philosophici. Animus equidem fuerat præter duos præsentes tractatus alium adjicire , quo libellus iste , è proprijs angustijs ad iusti voluminis amplitudinem assurget : Isque erat metaphysicalium quæstionum tractatus. Verūm inter alias causas coegit hīc sistere ingens pondus hujusmodi difficultatum , quæ latiorē , & lentiōrem calamum postulant : In quibusque , vt opinor , nedum totius Philosophiæ , verūm , & Theologiæ puritas , & synceritas periclitatur , si semel in eis resolvendis à veritatis scopo aberratum fuerit. In posterum forsitan si Deo placuerit , cum ipsius adiutorio , è penū nostro hunc tractatum habebis. Ne autem quod de Generatione , & Anima dicere potui , quodquè non in iucundum tibi fore , spero , amplius differatur , prodit nunc in lucem hic libellus. Quod si mihi , & illi succensendum putes , quia tantillus est : memineris , quæso , quòd præstat vera , quām multa dicere.
VALE.

TRA-

INDEX

Tractatum Generationis , corruptionis , & Animæ.

DISPUTATIO I.

De quidditate generationis , & corruptionis.

Quæst. I. **Q**uid sit generatio , & an essentialiter mutatio ? pag. 3.

Quæst. II. An generatio distinguatur realiter ab alteratione , & quodnam sit eius subiectum? pag. 12.

Quæst. III. Quid sit corruptio , & quomodo differat à generatione ? pag. 31.

DISPUTATIO II.

De alteratione.

Quæst. I. Quid sit alteratio , & an dividatur adæquate in intensionem , & remissionem? pag. 33.

Quæst. II. Vtrum intensio qualitatum fiat per additionem gradus ad gradum ? pag. 37.

Quæst. III. Vtrum maior radicatio consistat in aliquo realiter distincto ab ipsa qualitate ? pag. 72.

Quæst. IV. Vtrum alteratio sit motus continuus? pag. 81.

DISPUTATIO III.

De nutritione , & augmentatione.

Quæst. I. Quid sint nutritio , & augmentatio , qui-
*

busque conveniat proprie nutriti ? pag. 90.

Quæst. II. An eius quod augetur quælibet pars augatur, & an vivens permaneat idem numero totum tempore nutritionis, & augmentationis? p. 99.
Quæst. III. An nutritio, & augmentationis sint motus continuus? pag. 109.

DISPUTATIO IV.

De rarefactione, & condensatione.

Quæst. Vnica. Quomodo fiant rarefactio, & condensatio, & ad quod genus motus reduci debeantur? pag. 118.

DISPUTATIO V.

De reactione, & reflexione.

Quæst. Vnica. Quid sint, & quomodo fiant reactio, & reflexio? pag. 167.

De Antiparist. pag. 177.

DISPUTATIO VI.

De mixtione, & elementis.

Quæst. Vnica. Quomodo fiat mixtio, & quo ordine qualitates primæ convenienter elementis? pag. 186.

DISPUTATIO I.

De Anima.

Quæst. I. Quid sit anima, & in quo consistat ratio vita. Vbi plura notata digna afferuntur? p. 201.

Quæst. II. Quotuplex sit anima, & an omnis anima sit indivisibilis? pag. 215.

Quæst. III. Vtrum potentia animæ distinguantur realiter ab anima? p. 219.

DIS-

DISPUTATIO II.

De potentijs Animæ vegetativæ, & sensitivæ:

Quæst. I. Quænam sint potentiae animæ vegetativa? pag. 226.

Quæst. II. Quænam sint potentiae animæ sensitivæ? pag. 230.

De sensu visus aliqua dubia resolvuntur. p. 232.

De auditu, & alijs sensibus externis aliqua scitu digna tyronibus traduntur. pag. 244.

De sensibus internis, quomodo inter se distinguantur. pag. 251.

De potentia appetitiva, & locomotiva. p. 262.

DISPUTATIO III.

De potentijs Animæ rationalis:

Quæst. I. Vtrum detur intellectus agens realiter distinctus à possibili? pag. 265.

Quæst. II. An intellectus, & sensus indigeant speciebus impressis? pag. 280.

Quæst. III. Quodnam sit obiectum specificativum intellectus humani? pag. 291.

Quæst. IV. Quodnam sit primum cognitum ab intellectu nostro? pag. 307.

Quæst. V. Quid sit intellectio, & an distinguatur realiter à verbo, & à dictione? pag. 313.

Quæst. VI. De memoria, & voluntate, quid sint? pag. 324.

TRA-

TRACTATUS APPENDIX DE COELO,
& Mundo.

Quæst. I. An mundus fuerit ab æterno? pag. 327.

Quæst. IIJ. An mundus fuerit in instanti productus?
pag. 331.

Quædam quæsita solvuntur? pag. 335.

Quæst. IIIJ. De proprietatibus mundi? pag. 337.

DE COMPOSITIONE COELI.

Quæst. I. An Cœlum sit quintum corpus simplex?

Vbi quædam quæsita examinantur? pag. 342.

Quæst. IIJ. Quinam sit numerus Cœlorum? Vbi
quædam dubia breviter dissolvuntur? pag. 348.

Quæst. IIIJ. Vtrum Cœlum moveatur ab intelligentia?
Vbi quibusdam quæsitis fit satis. pag. 353.

De naturis, motibus, & numero Stellarum; vbi
de earum magnitudine, & de Gallaxia, &
Eclypsi, pag. 359.


Quæst. IV. An, & quomodo Cœli influant in hæc
inferiora inanimata? pag. 361.

Quædam dubia breviter examinantur. p. 362. & 365.

De Metheoris, seu generationibus sublimibus,
pag. 368.

De Mineralibus. pag. 378.

FINIS.



TRACTATUS DE GENERATIONE, ET CORRUPTIONE.

PHilosophus post Li-
bros de Cœlo , &
Mundo duosalios
composuit , quos
de ortu , & inte-
ritu nuncupavit , communiter
de Generatione , & corruptione
dictos . In primo agit de
essentia Generationis , & cor-
ruptionis , nec non de alijs
motibus , qui generationem an-
tecedunt , & consequuntur ; vt
de alteratione , quæ generatio-
nem substantiam præcedit : &
de augmentatione , quæ illam
subsequitur . Agit etiam in eo-
dem primo Libro de his , quæ
vel ex parte agentis , vel ma-
teriæ requiruntur ad genera-
tionem , vt de actione , & rea-

ctione , de mixtione , & alijs.
In secundò autem agit de ge-
neratione , & corruptione ele-
mentorum , quæ sunt prima ge-
nerabilia , & corruptibilia , &
(vt inquit D.Thomas in proce-
mio horum Librorum) Prima
principia , quæ sunt causa gene-
rationis , corruptionis , & alter-
ationis in omnibus alijs corpo-
ribus . De his ergo omnibus
nos in præsenti breviter agere
intendimus sub vno tractatu
omnia comprehendentes .

Quia vero mos est aliquid
in initio circa obiectum , vel
obiectum scientiæ , quæ expla-
nanda suscipitur , præmittere
sciendum est , quod cum Li-
bri isti sunt pars Philosophiæ

naturalis , cuius obiectum est ens mobile : consequens est, quod aliquod particulare mobile sit obiectum horum Librorum. Sed dubium est , quod nam illum sit , & quæ nam species motus sit ea , quæ specialiter ad hos Libros pertinet. Cum enim in Libris Phisicorum egerit Philosophus de motu , & mobili in communi , & in Libris de Cœlo egerit de motu locali in particulari , qui perfectior est inter omnes species motus , & solus convenit corporibus Cœlestibus ; videatur in præsenti de alijs speciebus motus in particulari agere : & consequenter eas esse obiectum horum Librorum. Ceterum adhuc manet difficultas : quia ut ex inscriptione horum Librorum constat , obiectum eorum videtur esse mobile motu generationis , & corruptionis : cum tamen generatio , & corruptio , non sint propriæ , & strictè motus , ut docet idem Philosophus s. Phisic. Alteratio vero , & augmentatio licet sint motus propriæ tales , non videntur per se pertinere ad hos Libros , sed quasi reductivæ , & secundario , in quantum comitantur generationem substantiam tanquam quid præsuppositum , vel consequens ipsam. Videtur ergo , quod vel motus , & quo in præsenti , non contis

neatur sub ratione communi , quæ est obiectum totius Philosophiæ naturalis , scilicet sub ratione communi motus strictè sumpti : & sic Tractatus iste non esset pars Philosophiæ naturalis , quod est inconveniens ; vel quod obiectum huius Tractatus sit motus alterationis , & augmentationis tantum , quæ sunt duæ aliae species motus propriæ sumpti : & hoc pugnat cum inscriptione horum Librorum.

Ad hanc difficultatem dici potest primò , quod motus , à quo denominatur ens mobile , quod est obiectum totius Philosophiæ naturalis , non est motus secundum strictam eius acceptiōnem , sed late sumptus , prout est idem quod mutatio : & sic communis est generatiōni , & corruptioni , & alijs speciebus motus propriæ sumpti . Vel secundò dici potest , quod in præsenti sub nomine generationis , & corruptionis comprehendit Philosophus omnem mutationem , sive sit secundum formam substantialem , sive accidentalem : in quo sensu etiam alteratio , & augmentatio dicuntur generationis , in quantum qualitas , vel quantitas sunt ex privatione sui ; v. g. albumex non albo , & quantum ex non quanto . Vel denique dici potest , quod Philosophus non

Disput. I. de Quidditate corrupt.

Solum agit de motu, sed etiam de mobili, ut inquit D. Thomas lect. 1. & quia generabilia, & corruptibilia substantialiter etiam sunt mobilia secundum alios motus propriæ dictos: ideo ubi

de his in particulari agitur, debet etiam agi de generatione, & corruptione eorum, quæ secundum tales motus propriæ dictos mobilia sunt.

DISPUTATIO PRIMA

DE QUIDDITATE GENERATIONIS, & Corruptionis substantialis.

QUÆST. I.

Quid sit generatio: & an sit essentialiter mutatio?

I. I.

Explicatur definitio Generationis.

Circa primam partem quæstionis supponendum est, dari generationem substantialiem contra antiquos Philosophos, qui eam negabant existimantes, nullam mutationem circa res naturales accidere, nisi tantum secundum qualitates, & alia accidentia; unde solum admittebant alterationes, & mutations accidentales. Nec item sentiendum est cum aliquibus, qui his temporibus negantes materiam primam in eo sensu, in quo Aris-

toteles, & cum eo communiter Philosophi eam admittunt, & nos cum illis de ea egimus in Phisica, dicunt, generationem substantialiem nihil aliud esse, quam conversionem unius substantie in aliam. V.g. dum ex ligno generatur ignis, in tantum iuxta hos AA. datur generatio substantialis, in quantum tota substantia ligni convertitur in totam substantiam ignis geniti, absque eo, quod aliqua materia, quæ sit pura potentia, & prius fuerit sub forma ligni, mutetur de tali forma in for-

mam ignis manens eadem sub
vtraque forma.

2. Etsi namque ita opinan-
tes non facile convinci posint
falsitatis : habent tamen con-
tra se autoritatem Aristotelis,
& expresse D. Thomam , qui
3. p. q. 75. art. 4. ad 3. negat,
posse fieri virtute agentis natu-
ralis conversionem unius totius
entis in aliud totum , afferens,
hoc esse proprium solius divinæ
virtutis. Pro quo notandum
est, quod in qualibet generatio-
ne substanciali datur conversio
vnius substantiæ in aliam : vt
dum ex aere fit ignis , dicimus ,
& verè ita est , aerem converti
in ignem. Coeterum hæc con-
versio non est totalis , taliter,
quod materia aeris converta-
tur in aliam materiam , vel in
aliquid aliud , sicut accidit in
conversione Sacramentali , vbi
rota substantia panis , scilicet
rām materia , quam forma eius
convertitur in substantiam Cor-
poris Christi D. Solum ergo
conversio , quæ intervenit in
generatione substanciali , dici-
tur , & est conversio formalis:
quia perseverante eadem ma-
teria quoad entitatem , advenit
nova forma , ex qua simul cum
materia præexistente fit novum
compositum substantiale : & sic
dicitur vnum converti in aliud.

3. Hoc supposito , tres dif-
ferentias generationis substanz-

tialis communiter tradi solent
ex Philosopho desumptæ. Pri-
ma habetur 8. Phisic. textu 2.
& est talis : generatio est *Muta-
tio de non esse ad esse*. Secunda
desumitur ex 1. lib. de generat.
text. 23. quæ sic se habet: gene-
ratio est *Mutatio totius in totum
nullo subiecto sensibili perma-
nente*. Tertia habetur text. 25.
eiusdem libri sic: generatio est
*Mutatio à substantia in potentia
ad substantiam in actu*. Circa
primam definitionem nota-
dum est , quod *esse* , & *non esse* ,
qui sunt termini à quo , & ad
quem mutationis, quæ est gene-
ratio , intelliguntur de non esse
simpliciter talibus , idest in ge-
nere substantiæ , quia solum da-
tur generatio substancialis , quan-
do materia transit de non esse ,
seu de privatione formæ sub-
stantialis ad esse eiusdem formæ;
Per quod differt generatio sub-
stantialis à mutationibus , quæ
sunt secundum qualitates , vt
dum aliquod subiectum muta-
tur de non albo in album. His
mutationes , dummodo expli-
centur per terminos contradic-
toriè oppositos , non semel
appellat Aristoteles genera-
tiones , & corruptiones ; sed non
sunt simpliciter generationes ,
sed solum secundumquid , vt
constat ex odem Philosopho 5.
Phisic. consequenterque , nec
sunt generationes substanciales.

4 Circa secundam definitionem dubium ingerit, quare dixerit Philosophus, quod est *mutatio totius in totum?* Sed respondetur ex D. Thom. lect. 10. in primum lib. de generat. quod hoc dixit contra opinionem Democriti, qui ponebat, generationem fieri per congregationem atomorum, sicut corruptionem per segregationem; admodum quo domus sit ex congregatione plurium lapidum, secundum quod ordinem determinatum, & positionem habent ex directione Artis. Contra hanc opinionem asserit Philosophus, generationem non fieri per hoc quod aliqua congregentur: sed per hoc, quod unum mutetur in aliud, quatenus materia, quae erat sub una forma, mutatur ad aliam: & sic resultat novum ens simpliciter.

5 Per quod etiam patet, quare addiderit illa verba *nullo sensibili manente eodem:* quia nimis, ut idem D. Thomas exponit, generatio substantialis tunc datur, quando non manet idem ens actu, quod antea erat, sed aliud de novo sit; quamvis enim in composito genito maneat eadem materia, quae erat in corrupto: materia tamen secundum se non ens actu, sed ens in potentia; ens autem actu, quod sit per gene-

rationem, scilicet compositum constitutum per formam de novo genitam aliud est ab eo, quod erat ante generationem. Secundum opinionem vero Democriti idemmet ens actu manebat post generationem, quod erat ante generationem: ea enim, quae congregantur, etiam post congregationem manent eadem, ut patet in lapidibus congregatis ad constituendam domum, quorum quilibet est idemmet ens actu post congregationem, ac erat anteā. Tertia definitio plana est, & indicat, quod substantia illa, quae erat in potentia, quatenus forma eius, quod generatur, continetur in potentia materia, sit in actu per generationem, & educationem eiusdem formae de potentia materiae.

S. II.

Deciditur secunda pars quaestionis.

6 **Q**uantum ad secundam Partem Quæstionis, quæ inquirit an generatio sit essentia-liter mutatio, Colleg. Complut. D. Thomæ cum alijs, quos citat, tam ex Thomistis, quam ex extraneis tenet partem negativam. Ait enim, quod licet regulariter generatio proue-

communicerit ab agentibus, naturalibus includat mutationem materiae primae de privatione ad formam; hoc tamen non est de conceptu essenciali generatio- nis: cum possit dari vera gene- ratio, sine eo quod præcesserit materia sub privatione for- mæ. Hoc probat tum in pri- ma productione Cœlorum, & Elementorum, quæ iuxta ipsum potuit esse eductio, licet de facto fuerit creatio. Si ergo formæ Cœlorum, & Elemen- torum in prima sui productio- ne eductæ fuissent de potentia materiae, ut iuxta hunc A. sie- ri potuit: tunc eorum produc- tio fuisset vera generatio di- stincta à creatione, Cœlique, & Elementa vere fuissent gene- rata, & non creata ex nihilo, sed ex materia præsupposita; sed tunc casus materia non præcessisset sub privatione for- mæ, siquidem in eodem instan- ti reali facta fuisset materia si- mul cum forma: ergo.

7 Deinde probat idem as- sumptum ex generatione ver- mium, quæ accidere potest ex speciebus Sacramentalibus: in quo casu Deus vel creat de no- vo materiam, vel convertit quantitatem, seu dimensiones accidentium in materiam: ita tamen ut in eodem instanti, quo primò existit materia de novo creata, vel facta per conver-

sionem quantitatis in ipsam; agens naturale educit formam vermis de potentia materiae, ergo datur vera eductio, & generatio vermis. Sed tunc non præcessit in materia privatio for- mæ, quia in eodem instan- ti, in quo primò existit ha- bet formam, & privatio for- mæ, & forma, non possunt esse simul: ergo materia non mutatur de privatione ad for- mam, & consequenter potest dari vera generatio substantia- lis, quæ non sit mutatio.

8 Nobis tamen oppositum tenendum est cum pluribus, etiam Thomistis consequenter ad ea, quæ lib. I. Phisi. di- ximus agentes de eductione formarum: dicendumque est, generationem substantialem, ut contra distinctam à creatione esse essentiale mutationem. Sed ante huius probationem nota, quod mutatio, ut insi- nuatum manet, exigit essen- tialiter, materiam, quæ est eius subiectum, præcedere ante ge- nerationem eius, quod gene- ratur sub probatione formæ, quæ de novo edicitur de po- tentia eius. Cuius ratio est, quia nihil mutatur, nisi quod aliter se habet nunc, quam prius se habeat, ut docet D. Thom. I. part. quæst. 45. art. 2. ad 2. Sed materia non potest se habere aliter nunc, ac prius, nisi quia nunc

nunc habet formam , quām prius nō habebat : ergo vt materia mutetur , debet prius esse sub privatione formæ , & postea illam habere. Ex quo vltierius colligitur , quod omne subiectum , quod mutatur qua- cumque mutatione , debet præ- supponi realiter existens ante ipsam mutationem antecedentia temporis , vel realis dura- tionis : quia nisi antea extitif- set , non posset verificari , quod aliter se habebat prius , quām nunc : id enim quod antea non fuit , seu extitit , nec aliter , nec eodem modo se habuit antea. Ob quām rationem creatio non est mutatio nisi secundum mo- dum intelligendi tantum , vt docet idem D.Thom. loco ci- tato , quia scilicet subiectum , de quo verificatur creari , non præextitit ante ipsam creatio- nem.

9 His notatis probatur sic assertum nostrum. Productio illa , in quā materia prima non mutatur de privatione ad for- mā , est creatio eius , quod producitur : ergo non potest esse generatio vt contradistin- ḡta à creatione : consequenter que generatio vt à creatione distinḡta est essentialiter muta- tio. Ant. prob. Talis produc- tio est ex nullo præsupposito subiecto: ergo est creatio. Ant. prob. **Dum** materia non mu-

tatur de privatione ad formam , nullo modo præsupponitur ad generationem formæ , vel com- positum: ergo productio , in qua materia non mutatur de priva- tione ad formam , est ex nullo præsupposito subiecto. Ant. prob. Materia non præsuppo- nitur ad formam , nec vt prior natura , nec vt prior tempore , vel duratione: ergo. Ant. quoad secundam partem patet ; nam si materia præcederet formam in aliqua duratione reali , iam præcederet sub privatione eius- dem formæ , & sic mutaretur de privatione ad formam.

- 10 Quoad primam autem partem prob. idem ant. Nam illa prioritas naturæ , quā ma- teria præsupponeretur ad for- mā , vel esset prioritas , qua materia titulo causæ materia- lis est prior forma in eodem ge- nere causæ materialis , sicut om- nis causa in suo genere est prior natura suo effectu : vel esset alia prioritas naturæ ? Sed pri- ma prioritas non est sufficiens , vt productio sit generatio con- tradistincta à creatione ; alia autem prioritas non est possi- bilis : ergo , &c. Min. quoad secundam partem videtur cer- ta , quia nulla prioritas natu- ræ est excogitabilis , quæ pos- sit attribui materia prima res- pectu formæ , nisi prioritas cau- sa materialis. Quoad primam autem

3 Tractatus de Generat. & corrupt.

autem probatur. Nam si materia est priorum formarum in genere causae materialis obstat creationi, sequeretur, nullum compositum posse fieri per creationem: cum semel quod sit compositum materiale, debeat habere materiam, quae denuo dari non potest, nec absolvitur a prioritate in genere causae materialis respectu formarum: sequitur non admittit A. quem impugnamus; quim potius concedit, Cœlos, & clementa in prima sui productione de facto fuisse creata, non obstante quod in instanti creationis materia eorum fuerit prior natura formis: ergo materiam presupponi ad formam prioritate naturæ, quæ convenit ei titulo causæ materialis, non est sufficiens, ut compositum, vel forma producta fiat ex presupposito subiecto, sicut requiritur ad generationem, ut contradistinctam à creatione.

11 Dices ex eodem A. quod in genere causæ materialis est duplex prioritas naturæ, sicut est duplex causalitas materialis respectu formarum: nempe causalitas, qua materia se habet ut subiectum, in quo fit forma, ita ut nisi in materia non possit fieri, nec esse: & causalitas, qua materia se habet etiam ut subiectum ex quo, ita ut non solum in ea, sed etiam

ex ea fiat, & educatur forma, materialis. Quam distinctionem prioratis, & causalitatis, etiam nos tenemur admittere, cum negare non possimus, formas materiales educi de potentia materia virtute agentium naturalium; ad quam educationem certum est non sufficere, quod materia præcedat formam tanquam subiectum, in quo forma petit fieri, esse, & contervari: alias ut dicebamus, nec Deus potuisset Cœlos facere per veram creationem, cum formæ Cœlorum ut potè materiales dependeant in esse, fieri, & conservari a materia, consequenterque materia in quacumque productione Cœlorum, etiam creativa, qualem fuisse eorum productionem de facto, etiam nos in Phisica defensavimus, debet esse prior forma priorate subiecti in quo.

12 Igitur prioritas materialis, ut subiecti in quo essentialis est ipsi materia, & ab ea denudari non potest: prioritas autem eius ut subiecti ex quo est ei accidentalis, & potest desinere, & convenire iuxta diversitatem actionum, quibus compositum materiale producatur. Etenim si tam materia, quam forma fiant per eandem actionem, tunc materia non erit subiectum, ex quo fiat forma, sed utraque per creationem fieri sic.

sicut de facto contigit in prima productione Cœlorum, & Elementorum. Si autem materia fiat per viam actionem, & in eodem instanti forma fiat per aliam actionem distinctam, tunc materia per priorem actionem creata præsupponitur ad formam tanquam subiectum ex quo educitur, daturque vera generatio contradistincta à creatione, ut potè factio rei ex præsupposito subiecto, absque eo, quod materia præcesserit sub privatione formæ, cum supponamus in eodem instanti fieri materiam, & formam. Hoc modo contigifset, si Deus eduxisset formas Cœlorum de potentia materiae creando per unam actionem in adequatam, materiam; & per aliam in eodem instanti educendo formam; imo de facto contingit in productione verium ex speciebus Sacramentalibus: Deus enim se solo creat materiam, vel convertit quantitatem in ipsam, in eodem instanti agens naturale educit formam de potentia materiae.

13 Coeterum hæc doctrina, & solutio impugnata manet ex dictis in Phisica loco citato, vbi probavimus, non posse dari actionem partiale terminatam ad solam materiam primam. Videantur etiam, quæ contra eandem solutionem adducit Ill. Palanc. lib. I. Phisico-

rum, quæst. 13. vbi bene probat, quod ex huiusmodi actione partiali terminata ad solam materiam sequitur; eam habere propriam existentiam: quod in sententia Thomistica sustineri non potest. Præterea contra eandem doctrinam obstat, quod etiam dato materiam posse fieri per distinctam actionem, non id est forma habebit maiorem dependentiam à materia, quam habeat, dum forma, & materia sunt per eandem actionem: ergo sicut dum sunt per eandem actionem, forma solum dependet à materia tamquam à subiecto *in quo*, ita pariter eadem dependentia tantum gaudet, etiam si materia fiat per actionem distinctam: & consequenter materia adhuc in hac appositione non erit subiectum *ex quo*.

14 Si dicas, quod quando materia, & forma sunt per distinctas actiones, tunc materia non solum exercet suam causalitatem materialē erga formam, sed etiam erga actionem productivam forme recipiendo eandem actionem; propereaque materia concurrit ad fieri ipsius formæ, consequenterque se habet ut subiectum; ex quo fit, seu educitur forma, quod quidem verificari non potest, quando materia, & forma sunt per eandem actionem;

quia cum materia non posse
præcedere, nec præsupponi ad
actionem productivam sui, ut
constans est, eadem ratione
præsupponi non potest ad actio-
num productivam formæ, quæ
una, & eadem est. Si hoc, in-
quam dicas, contra est: quia
illud fieri formæ si est indistin-
ctum ab actione productiva, non
potest recipi in materia, maxi-
mè quando est actio Solius
Dei, ut contingit in productio-
ne Cœlorum. Si verò est ali-
quid distinctum ab actione pro-
ductiva, non potest esse nisi
ipsa forma producta: quia dum
forma sit in instanti, & sine
motu, idem est fieri eius, &
factum esse: sed factum esse
formæ indistinctum est ab ea,
ut ex dicendis quæst. sequen-
ti constabit: ergo, & fieri eius.
Præterea: quia omne fieri di-
stinctum à termino, seu à for-
ma, quæ sit, est motus: ergo
ubi non intervenit motus, si-
cūt non intervenit, quando
Deus se solo operatur, non
datur fieri, quod posse recipi
in materia.

15 Ad id autem, quod
dicitur in solutione, videlicet
quod nos etiam tenemur ad-
mittere illam duplēm prio-
ritatem naturæ, qua materia
præcedat formam non solum,
ut subiectum in quo, sed etiam
ut subiectum ex quo: respon-

detur, quod quando datur ve-
ra generatio, & eductio for-
mæ de potentia materiæ, ma-
teria quidem præcedit ut sub-
iectum *ex quo*. Cœterum hac
præcedentia non est solius na-
turæ, sed temporis, & dura-
tionis, sine qua non potest in-
telligi eductio: quia formam
eduici de potentia materiæ di-
cit materiam transire de esse in
potentia, ad esse in actu per
formam; quod quidem sine eo
quod materia tempore præces-
serit sub privatione formæ, sal-
vari non potest.

16 Dices: eductio non pe-
nit essentialiter, quod subiectum
præcedat in aliqua reali dura-
tione id, quod ex eo educitur:
ergo falsum est id quod
asserimus. Ant. prob. Nam in
probabili sententia Thomista-
rum gratia, cumqua creati fue-
runt Angeli, fuit educta de po-
tentia obedientiali illorum: &
tamen natura Angelorum non
præcessit duratione gratiam,
cum eam habuerit in primo
suæ creationis instanti: ergo
solum præcessit prioritate na-
turæ; consequenterque ad ve-
ram educationem sufficit prio-
ritas naturæ in subiecto *ex quo*.
Item in omnium sententia An-
geli in primo suæ creationis
instanti aliquam habuerunt ope-
rationem, quæ cum fuerit cau-
sata ab ipso Angelis, non po-

tuit esse creata , vel concreata simul cum natura eorum , quia nulla creatura potest creare : ergo fuit educta de potentia eorum. Et tamen fuit simul duratione cum ipsis Angelis : ergo idem.

17 Resp. negando paritatem. Ratio autem disparitatis est , quia in utroque casu argumenti subiectum eductionis presupponi potest , & presupponitur existens independenter à forma educta : non enim existentia Angeli dependet à gratia , vel ab operatione , sed potius è contrâ tam gratia , quam operatio ut potè accidentia dependent in esse à subiecto. At vero materia cum existere non possit nisi per formam , nullo modo , nec via prioritate presupponi potest existens antecedenter , & independenter à forma : & ideo non potest esse subiectum ex quo eductionis , nisi sub alia forma præcesserit existens ; in quo iam importatur præcedentia temporis , seu durationis.

18 Ad fundamentum oppositæ sententiæ positum principio constat ex dictis in Physica : negamus eniat , formas Cœlorum potuisse educi de potentia materiæ. Ad aliud de generatione verium ex speciebus Sacramentalibus constat etiam exhibidictis , quomo-

do propter occultum modum talis generationis nihil potest à nobis affirmari circa alias generationes , præsertim cum D.Thomàs magis propendeat in eam sententiam , quæ asserit , quantitatem supplere vices materiæ in tali generationi : quo posito , sicut quantitas gerit vices materiæ in constitutione compositi , quod de novo fit : ita ante eandem generationem præcedit tempore sub privatione formæ vermis ; & sic nunquam datur generatio , quæ non sit mutatio de privatione ad formam.

19 Addo etiam , quod et si demus , in tali generatione creari à Deo de novo materiam , vel quantitatem converti in materiam , adhuc non sequitur , dari generationem distinctam à creatione , quæ non sit mutatio. Hoc enim dato , dicendum est , talem generationem esse omnino creationem tam materiæ , quam formæ à solo Deo factam. Neque contra hoc obstat , quod illa generatio sit naturalis , & non miraculosa , ad quam concurrunt agentia naturalia , quæ creari non possunt ; vnde videtur , quod non possit esse creatione.

20 Non , inquam , obstat : nam agentia naturalia solum concurrunt ad dispositiones præ-

cedentes, quibus positis Deus solus creat illud compositum, quod de novo fit: admodum quo positis dispositionibus virtute agentium naturalium pro introductione animæ rationalis in corpore Deus solus creat illam. Et sicut creatio animæ rationalis est naturalis, quia fit ad exigentiam illarum dispositionum naturalium; quim potius si Deus positis talibus dispositionibus, animam non crearet, esset miraculum: ita creatio illius compositi ad præsentiam dispositionum, quæ ab agentibus naturalibus fiunt in accidentibus Eucharisticis, est naturalis, quamvis à solo Deo facta: potiusque miraculum esset, si positis illis dispositionibus Deus tale compositum non crearet. Hunc modum dicendi videtur sequi noster Egidius Rom. Theorem. 45. de Sacramento Altaris: & videtur expeditior ad salvandum, quod illa generatio fiat, sine novo miraculo, quod semper vitare intendit D. Thomas, & ad illud vitandum experientia ipsa videtur cogere.



QUÆST. II.

AN GENERATIO DISTIN-
guatur realiter ab alteratio-
ne: & quodnam sit eius
subiectum?

§. I.

*Deciditur prima pars quaestio-
nis, & solvantur ob-
iecta.*

I **Q** uæstio hæc pro-
cedit quantum ad
istam primâ par-
tem de generatione activè
sumpta, prout est actio gene-
rantis, non autem de illa prout
est mutatio, & setenet ex par-
te materiae: de ea namque in
hoc sensu accepta dicemus §.
sequenti. Sit ergo conclusio
nostra, *Generationem non esse
actionem realiter distinctam ab
alteratione.* Ita Sentiant PP.
Carmelitæ cum Caietano, &
alijs Thomistis, quos citant.
Eandem sententiam tenet Gou-
din; contrariam verò defendit
Coll. D. Th. Coeterum sententiâ
nostram non obscure indicat
D. Thomas quæst. vñica de Ani-
ma, art. 12. in corp. vbi ex eo
probat, quod in creaturis prin-
cipium immediate operativum
est accidens, & non substanc-
ia, quia id quod creatura im-
mediate attingit per suam
actionem.

actionem ; est accidens. Et exemplificat in generatione substantiali , in qua id quod immediate agit agens naturale , est accidens , scilicet dispositio materiae consistens in qualitatibus transmutantibus , & disponentibus eam , ut consequatur formam substantialem. Subdit verò S. Doct. verba hæc : *Si vero est aliquod agens, quod directè, & immediatè sua actione producat substantiam, sicut nos dicimus de Deo, qui crendo productum substantias : huiusmodi agens agit per suam essentiam.*

2. Ex quibus verbis hæc formatur ratio pro nostra conclusione. Si actio generativa esset realiter distincta ab alteratione , esset actio immediate productiva substantiae : Sed nulla actio creaturæ potest esse immediate productiva substantiae : ergo. Min. est D. Thomæ , cuius ratione etiam probatur. Quia si actio creaturæ esset immediate productiva substantiae , creatura esset agens per suam essentiam , id est ageret per virtutem secum identificatam , in modo , & per actionem secum identificatam ; quorum utrumque repugnat creaturæ. Mai. autem ex se videtur certa : quia si generatio est actio distincta ab alteratione , erit posterior ipsa alteratione , existet

que post finitam alterationem in instanti , in quo est forma de novo genita. Et cum in tali instanti nihil sit , quod posse terminare immediate talem actionem , nisi substantia de novo genita : consequens est , quod talis actio sit immediate productiva substantiae. Licet enim in eodem instanti generationis producantur etiam accidentia , quæ sunt proprietates formæ genitæ : hæc tamen sunt mediatae , & ex consequenti , quia dimanant à forma genita : unde non possunt esse id , quod immediate , & directè terminat actionem productivam distinctam ab alteratione.

3. Secundo probatur sententia nostra. Nam ex mente Philosophi , & D. Thomæ omnis actio transiens identificatur cum motu , ut latè probavimus lib. 3. Phisic. Sed actio generativa distincta ab alteratione non potest identificari cum motu : ergo non datur actio generativa distincta ab alteratione. Min. prob. Actio distincta ab alteratione est actio instantanea , ut adversarij non negant : sed actio instantanea non potest identificari cum motu , quia motus non potest esse in instanti , cum sit essentialiter successivus : ergo actio generativa distincta ab altera-

tione non potest identificari cum motu.

4 Sed contra nostram assertio-
nem arguitur primo ex D.
Thom. 3. contra gent. cap. 69.
dicente: *Si igitur formæ acci-
dentes, que sunt in rebus cor-
poralibus, habent proprias actio-
nes, multo magis forma substancialis
habet aliquam propriam
actionem: non est autem huius-
modi actio disponere materiam,
quia hoc fit per alterationem,
ad quam sufficiunt formæ acci-
dentes. Igitur forma generan-
tis est principium actionis, ut
forma substancialis introduca-
tur in materia.* Hac D. Thom-
as, ubi aperte videtur ex-
cludere nostram sententiam,
cum asserat, formam substan-
tialem habere suam propriam
actionem, & hanc non esse
disponere materiam: sed in
nostra sententia actio, quam
habet forma substancialis ge-
nerantis, nihil aliud est, quam
disponere materiam, cum iuxta
nos non differat ab alteratione,
cuius proprium munus est dis-
ponere materiam: ergo.

5 Secundo arguitur à ratio-
ne. Vbi datur novum, & dis-
tinctum agere, debet dari no-
va, & distincta actio: sed ge-
nerare substantiam est novum,
& distinctum agere ab eo, quod
est alterare subiectum: ergo ge-
nerare est actio nova, distincta

ab alteratione. Min. prob:
Tum, quia quando terminus,
& effectus est distinctus, requi-
rit distinctum agere: sed sub-
stantia, ad quam per se termi-
natur generatio, est distinctus
effectus ab accidenti, ad quod
per se terminatur alteratio: er-
go. Tum etiam, quia agere
sequitur ad esse in actu: sed
forma substancialis dat esse subs-
tantiale distinctum ab esse acci-
dentali: ergo formæ substan-
tiali generantis corresponde
distinctum agere ab eo, quod
correspondet accidenti.

6 Tertio. Quia ex nostra
sententia sequitur; genera-
tionem substancialem esse puram
resultantiam, & formam substan-
tialem fieri solum per resul-
tantiam ex alteracione præce-
denti, & non per propriam
actionem. Hoc autem est in-
conveniens: primò, quia nihil
potest resultare ex eo, cum
quo est incompatibile: sed for-
ma substancialis de novo ge-
nita est incompatibilis cum al-
teratione, quia quandiu, du-
rat alteratio, non existit, nec
potest existere forma de novo
genita: ergo. Secundò, quia
forma substancialis est id, quod
principaliter intenditur à gene-
rante; id autem, quod fit per
resultantiam, non principaliter
intenditur, sed quasi ex con-
sequenti.

7. Quarto. Mutationi generativæ debet correspondere aliqua vera actio, quia non datur novus motus, seu mutatio, quæ ab aliquo movente non fit, & motus prout ab agente est actio: sed mutationi generativæ non correspondet actio, quæ entitative fit alteratio: ergo correspondet actio distincta realiter ab alteratione. Min. prob. Per actionem correspondentem mutationi generativæ generans agit in subiecto, quod mutatur per generationem: sed per alterationem generans non agit in subiecto, quod mutatur per generationem: quia hoc subiectum est materia prima, vel compositum de novo genitum, subiectum verò alterationis est compositum, quod definit esse in instanti generationis: ergo.

8. His argumentis, quæ in sui favorem adducit Colleg. D. Thomæ, addo quintum sic. Si actio generativa non distinguitur realiter ab alteratione, sequitur, quod substantia non fiat in instanti, sed successivè, & in tempore, quod est contra omnes Philosophos. Sequitur etiam, quod ad substantiam detur per se motus, quod etiam est contra Aristotelem. Prima sequela prob. Nam id, quod fit per motum, fit successivè, & in tempore, sicut ipse mo-

tus: sed si actio generativa est idem, quod alteratio, substantia fit per motum, quia fit per alterationem, quæ motus est: ergo fit successivè, & in tempore. Ex quo etiam prob. secunda sequela. Nam substantia per se terminat generationem substancialem, seu actionem generativam sui: sed actio generativa substancialis iuxta nostram sententiam est motus, cum sit alteratio: ergo substantia terminat per se motum.

9. Resp. ad 1. D. Thomam in illo loco solum intendere, quod agentia naturalia per suam actionem pertingunt etiam ad productionem substantiarum, & non accidentium tantum contra aliquos, qui oppositum asserebant forsitan ex eo ducti, quod agentia creata non nisi medijs accidentibus agunt, & etiam id, quod primo, & immediate producunt, est accidentis. Cœterum hoc non obstante, asserit S. Doctor, quod agentia creata habent suam actionem, qua attingunt ad productionem substancialium; & hæc actio dicitur propria substancialium ipsorum agentium, non quia sit distincta ab actione, qua accidentia, id est virtutes immediate operativæ agentium producunt alia accidentia similia in passo: sed quia quod talis actio attingat ad produc-

ctionem substantiarum, habet à forma substantiali ipsius agentis, quæ est principium radicale operandi, & in cuius virtute accidentia producunt substantiam.

10 Quæ explicatio consonat his, quæ idem D. Thomas habet loco citato ex quæst. de anima immediate ante verba pro nobis relata: vbi cum dixisset, quod quia illud, quod immediate correspondet actioni agentium naturalium, est accidens, scilicet dispositio materiae, oportet, quod etiam principium proximè operatum eorum sit etiam accidens, subiungit: Sed oportet ut forma accidentalis agat in virtute formæ substantialis quasi instrumentum eius, alias non induceret agendo formam substantialem. Et propter hoc in elementis non apparent aliqua principia actionis, nisi qualitates active, & passiva, quæ tamen agunt in virtute formarum substantialium. Et propter hoc earum actio non solum terminatur ad dispositiones accidentales, sed etiam ad formas substantiales.

11 Ex quibus verbis retorqueri potest argumentum in adversarios, & amplius probari sententia nostra. Nam D. Thomas afferit, quod actio qualitatum, quæ sunt virtutes opera-

tivæ elementorum, non solum terminatur ad dispositiones accidentales, sed etiam ad substantiam: ergo actio qualitatum est etiam productio substantiarum. Sed productio substantiarum est generatio substantialis activè sumpta: ergo actio accidentium est generatio substantialis. Sed actio accidentium est etiam alteratio, quia terminatur ad dispositiones accidentales, quibus materia disponitur: ergo generatio substantialis, ut actio est, identificatur cum alteratione.

12 Vnde adversarij, vel debent ponere duplēm generationem substantialē, vnam quæ sit actio solius substantiarum, & terminetur immediate ad substantiam genitam: & aliam, quæ sit actio substantiarum simul, & accidentium, & terminetur immediate ad accidentia, & mediata ad substantiam. Et si hoc dicant, præterquamquod incident in nostram sententiam, quia semel quod vna, & eden actio terminetur ad accidentia, & ad substantiam, illa est simul alteratio, & generatio: & sic superfluit alia actio generativa terminata ad solam substantiam; præter hoc, inquam, sequitur ex hac positione, quod substantia sit immediate operativa in aliqua sua actione: quod nullus Thomista concedere possebat.

test. Sequel. prob. Nam illa actio, quæ ponitur esse solius substantiæ, hoc ipso quod sit actio solius substantiæ, non habet pro principio sui immmediato aliquod accidens, quia si haberet, non esse actio solius substantiæ, sed etiam accidentium, à quibus procederet tanquam à principio proximo: ergo illa actio immediate procederet à substantia agentis, & consequenter substantia esset immediatè operativa.

13. Et per hanc patet, quomodo impugnari debeat solutione, quæ adhiberi posset ad verba ex D. Thoma immediate adducta, & ad rationem excis deductam pro nostra sententia. Posset enim aliquis dicere, quod dum D. Thomas ait, actionem accidentium terminari etiā ad substantiam, ex quo sequitur, quod actio accidentium, sit etiam productio substantiæ, & consequenter generatio substantialis activè sumpta, intelligendus est determinatio ne ad substantiam dispositivè tantum, non formaliter; quatenus videlicet accidentia generantis producunt in passo similia accidentia, quibus materia disponitur ad receptionem formæ substantialis: non autem quia actio accidentium sit formaliter ipsa productio substantiæ genitæ. Impugnatur

itaque hoc: tum quia D. Thomas expressè attribuit accidentibus aliam efficientiam erga substantiam productam præter eam, quæ est disponere ad generationem formæ, seu dispositivè producere substantiam: dicit enim, actionem accidentium terminari non solum ad dispositiones accidentales, sed etiam ad ipsam substantiam generitam, in virtute tamen substantiæ generantis, cuius sunt instrumenta: ergo actio accidentium plusquam dispositivè est productio substantiæ generitæ.

14. Tum etiam impugnat ur ex dictis. Näm actio quæ formaliter est productio substantiæ, & ponitur ab adversariis distincta ab alteratione, non potest non procedere à substantia generantis medijs accidentibus, quæ sunt virtutes proximè operativè generantis, alias substantia esset immediatè operativa: ergo eadem actio est actio substantiæ, vt principij radicalis, & accidentis tamquam principij proximi; nisi velis dicere, quod principium radicale, & proximum operantur, per distinctas actiones: quod à Thomistis non conceditur: ergo actio accidentium est etiam formaliter productio substantiæ. Denique. Talis actio cum debet procedere ab accidenti

tamquam à principio proximo, vel habet pro termino, & effe-
ctu immediato substantiam, vel
accidens? Si accidens: ergo
erit alteratio, cuius proprium
est terminari ad accidens im-
mediate; & sic actio genera-
tiva non erit distincta ab alte-
ratione. Si substantiam: ergo
aliqua actio, cuius principium
proximum, & immediatum est
accidens, habet pro termino
immediato substantiam. Ergo
non benè dixit D. Thomas, quod
si est aliquod agens, quod sua
actione directe, & immediate
producat substantiam, tale
agens agit per suam essentiam;
quandoquidem iam datur agens
scilicet generans, quod sua
actione immediate producit
substantiam, & tamen non agit
per suam essentiam, sed per vir-
tutem accidentalem superaddi-
tam.

15 Ad 2. arg. concessa mai.
neg. min. Ad primam prob.
dist. mai. Quando est distin-
ctus terminus sine ordine, &
connexione vnius cum alio, con-
cedo mai. quando est distin-
ctus terminus ordinatus, &
connexus, nego mai. Et sub
eadem distinctione min. nego
conseq. Accidens, quo dispo-
nitur materia per alterationem,
ordinatur ad substantiam gene-
randam, cuius est quasi semen: &
ad eadem actionem pro-

ducitur utrumque. Ad secun-
dam probat. dist. mai. Agere
sequitur ad esse in actu: in actu
proximo, concedo mai. in actu
radicali tantum, nego mai. Et
concessa min. nego conseq. In
creatis præter principium radi-
cale operandi, quod est sub-
stantia, requiritur etiam princi-
pium proximum, quod est acci-
dens; vnde ad esse in actu sub-
stantiali præcisæ non sequitur
agere in creaturis, sed indigent
esse in actu accidentaliter per virtu-
tem proximè operativam. Et
quia actio principij radicalis, &
proximi eadem est: ideo eadem
est actio, qua producitur sub-
stantia genita, & quæ sub hac
consideratione dicitur genera-
tio substantialis, ac actio, qua
producuntur dispositiones acci-
dентales, quæ sub hac confide-
ratione dicitur alteratio.

16 Ad 3. resp. quod PP.
Complut. vocant generationem
substantialem resultantiam no-
vam ex alteratione præcedenti:
in quo magis est litigium de no-
mine, quam de re; non enim
negant, formam substantialem,
vel potius compositum substan-
tiale fieri per veram actionem
ad ipsum terminatam, quæ en-
titativè est alteratio attingens
etiam formam substantialem
genitam in virtute formæ sub-
stantialis generantis. Videtur
tamen, non esse loquendum hoc
modo

modo propter secundam rationem argumenti , nempe quia id , quod resultat ex productio- ne alterius , non sit per se , & primario , sed quasi per acci- dens , & ex consequenti : quod de substantia dici non potest , cum primo , & per se fiat , & ex primaria intentione generan- tis . Quare melius est negare se- quelam : quia eadem actio , quæ entitativè est alteratio , quatenus habet pro effectu acciden- tia disponentia materiam , est etiam generatio , quatenus in virtute substantiæ generantis , à qua procedit tamquam à prin- cipio radicali , attingit ad genera- tionem substantiæ genitæ ; vnde hæc sit etiam per propriam actionem ad ipsam termina- tam .

17 Si autem velis sustinere prædictum modum loquendi , dices ad primam prob. qua inten- ditur probare , hoc esse inconveniens , negando mai . Quia terminus motus resultat ex motu : & tamen est incompatibili- lis cum motu ; quando enim adeat terminus motus , iam non est motus : nec mobile dum est in termino motus , movetur , sed mutatum est . Sic autem contingit in generatione sub- stantiali passi- sumpta , quæ est terminus alterationis , & muta- tum esse materia primæ . Ad se- condam prob. dices , quod ge-

neratio substantialis non ideo dicitur resultantia , quia non sit per se , & primario intenta à generante ; sed ideo solum , quia forma substantialis genita licet sit prior in intentione generan- tis , in executione tamen est pos- terior in terminando eius actio- nem , quippè , quæ prius in executione producit accidentia disponentia materiam , ut in- troducatur forma substantia- lis .

18 Ad 4. concessa mai. ne- go min. Ad eius prob. nego etiam min. Ad cuius prob. im- bibitam resp. quod agere in subiecto , quod mutatur per genera- tionem , duobus modis in- telligi potest . Primo ita ut ipsa actio , qua agens agit , recipiat in subiecto , quod mutatur per generationem ; & in hoc sensu agens per actionem alte- rativam non agit in subiecto , quod mutatur per genera- tionem : quia subiectum actionis alterativæ , quæ motus est , non est materia prima , cui convenit mutari per generationem ; recipi- tur namque talis actio ut pote- motus alterationis in composito corrumpendo , quod definit esse in instanti generationis . Alio modo potest intelligi taliter , quod terminus productus per actionem alterativam sit , & re- cipiatur in subiecto , quod mu- tatur per generationum ; & in

hoc sensu agens agit per actionem alterativam in subiecto, quod mutatur per generationem : quia terminus ultimae productus per alterationem, scilicet forma substantialis recipitur tamquam in subiecto in materia prima, quæ est subiectum, quod mutatur per generationem. Ob quam rationem negavimus min. argumenti.

19 Hunc autem sensum etiam adversarij tenentur admittere : nam aliqui eorum tendunt, actionem generativam subiectari in ipso generante, & tamen dicunt, quod per talam actionem generans agit in subiecto, quod mutatur per generationem scilicet in materia prima : quatenus videlicet forma substantialis, quæ est terminus productus, subiectatur in materia. Ita nos dicimus, quod generans per actionem alterativam, quæ recipitur in composito corrumpendo, agit in subiecto, quod mutatur per generationem, quatenus per talam actionem non sub expressione alterationis, sub qua expressione solum habet producere accidentia, sed sub expressione generationis producit formam substantialium in materiam.

20 Ad ultimum resp. negando utramque sequelam. Ad prob. primæ dico, majorum

non esse universaliter veram, nisi illud, quod fit habeat contrarium, vel aliquam latitudinem successivè percurrendam, ut contingit in qualitate, & quantitate. Ceterum substantia ex se indivisibilis est, nec habet contrarium: & ideo fit in instanti, & tota simul, licet fiat cum motu, & per motum. Videnda sunt etiam pro solutione huius argumenti, quæ §. seq. dicemus circa fieri substantia. Ad secundæ sequelæ probat. resp. quod ly per se potest sumi duplicitur. Primo prout dicitur contra per accidens, itaut illud terminet per se actionem productivā, quod non per accidens, & præter intentionem agentis illam terminat: & in hoc sensu substantia per se terminat actionem sui productivam. Potest etiam sumi ly perse, prout est idem, quod ratione sui, in quo sensu sumitur à Philosophis, quando negat, quod substantiam sit per se motus: non enim negant, quod substantia terminet motum, imo D. Thomas multoties affirmat, quod generatio substantialis, & consequenter forma substantialis est terminis alterationis. In hoc ergo sensu substantia non terminat per se actionem sui productivam, quia non terminat illam immediate, & ratione sui, sed ratione accidentium,

qui

quibus materia indiget transmutari, & disponi ad formam substancialiem: ideo ad substantiam non datur per se motus.

§. II.

Resolvitur secunda pars Quæstionis, & explicatur, quid sit generatio sumpta pro mutatione.

21 **Q**uantum ad secundam partem, in qua inquiritur, quodam sit subiectum generationis substancialis? Potest dubium procedere de generatione substanciali, tam activè sumpta, prout est actio generantis, quam passivè sumpta prout est mutatio, qua materia prima mutatur, & transit de privatione ad formam. Ceterum cum in nostra sententia iuxta immediatè dicta generatio substancialis prout est actio, sit indistincta ab alteratione, & huius subiectum sit compositum corrumpendum: idem compositum est subiectum generationis substancialis prout actio est. Circa illam autem, ut mutatio est, non satis constat inter AA. quid nomine generationis, ut mutatio est intelligatur.

22 Nam quidam distinguunt realiter generationem, ut mutatio est ab actione ge-

nerativa, appellantes eam passionem realiter distinctam ab actione generativa, quamvis etiam appellant eam actionem passivè sumptam. Ita Colleg. D. Thomæ in praesenti, quod etiam affirmat, generationem substanciali, prout mutatio est, & passio distincta à generatione activè sumpta, recipi in composito de novo genito: pro qua sententia citat aliquos Thomistas. Addit etiam, quod generatio sumpta pro eo, quod est rem aliter se habere nunc, & prius, habet pro subiecto immediato materiam primam; sumpta verò pro transitu de privatione ad formam non habet subiectum inhaesoris, sed affectionis: quod subiectum dicit esse compositum de novo genitum. Denique dicit, hunc transitum non esse verum, & proprium accidens, sed modum quendam.

23 Alij verò, vel non distinguentes generationem, ut actio est, ab ipsa, ut mutatio est, vel saltē talem distinctionem omittentes afferunt absolute, generationem substanciali recipi in sola materia; negant tamen, generationem substanciali esse actionem accidentalē de prædicamento actionis dicentes, eam esse actionem substancialē quasi non ponentem in numero cum termino genito, sci-
liget

licet forma substantiali : ne cogantur concedere, aliquod accidentis recipi in sola materia prima, quod in via D. Thomæ sustineri non potest. Ita tenet Prado apud prædictum Colleg.

24 Alij non reputant inconveniens concedere, generationem substantialem, etiam si sit accidentis, recipi in sola materia prima, quia hoc videtur asserere Philosophus in lib. primo de Generat. cap. 4. vbi ait: *Est autem, & materia maxime quidem, & propriè subiectum generationis, & corruptionis susceptibile.* Cui consonat D. Thomas pluribus in locis assertus, subiectum generationis substantialis esse materiam primam. Hanc sententiam tenet Rubio cum alijs. Tandem alijs vt Complut. Carmelitæ distingunt quidem generationem, vt actio est, ab ea vt mutatio est, siquidem generationem, vt actio est, identificant cum alteratione, vt supra vidimus; eam autem, vt mutatio est, dicunt esse quenammodum substantialem, & quamdam resultantiam, recipique in sola materia prima.

25 Omnes istæ sententiæ non minus, difficiles, quam obscuræ mihi videntur præter tertiam, quæ licet clara sit, non est tamen conformis doctrinæ Thomisticae in eo, quod ponit,

aliquid accidentis recipi posse in sola materia. Prima ergo sententia, omiso, quod passionem distinguit realiter ab actione, & vocat eam actionem passivè sumptam, quod de se æquivocationibus, & confusione obnoxium est: si enim passio realiter distinguitur ab actione, vt quid appellatur actio passivè sumpta? Hoc, inquam, omiso, non salvat dictum Philosophi, & D. Thomæ, qui frequenter repetunt, subiectum generationis substantialis esse materiam primam. Nam in tali sententia generatio, vt est passio, recipitur in composito de novo genito: vt est transitus, non habet subiectum inhesionis, sed affectionis, & hoc subiectum est etiam ipsum genitum. Ut autem est rem aliter se habere nunc, ac prius, habet quidem pro subiecto materiam primam; ceterum restat explicare, quid sit materiam aliter se habere nunc, ac prius, incomplexe dictum, & vt significatur hoc nomine *mutatio*: utrum scilicet sit actio; vel passio: substantia, vel accidentis, vel modus substantialis.

26 Si enim est actio, recipietur in generante iuxta A. primæ sententiæ: & si est passio, recipietur in genito iuxta eundem. Si autem est accidentis, non poterit recipi in materia pri-

ma; & si est modus substantialis, in idem recidet hæc sententia cum sententia Carmelitarum, de qua infrà. Si tandem hæc mutatio sit substantia, erit idem quod forma genita. In hoc videtur inclinare prædictum Colleg. quamvis ex alia parte oppositum afferat, quia loquitur de mutatione substanciali tamquam de quadam actualitate viali distincta realiter à termino *ad quem*, vt constabit ipsum legenti maximè in solutione argumentorum. Dato autem, quod huiusmodi sensus, qui verus est, vt infrà videbimus, quadret prædictæ primæ sententiae: restat explicare, quomodo hoc possit esse; & præterea non erat necessè generationem substancialiem in tot conceptus, & partes distrahere: sed uno verbo dicere, generationem substancialiem prout mutatio est, & se tenet ex parte materiae, nihil aliud esse, quam formam genitam, & sic recipi in sola materia.

27 Præterea obstat contra eandem sententiam. Nam prædictus A. ideò probat, materiam esse subiectum generationis sumptæ pro mutatione, qua materia aliter se habet nunc, ac priùs, quia ipsa materia est, quæ eadem manens aliter se habet nunc, & priùs: ergo eadem ratio ne debuit afferere, materiam esse

subiectum eiusdem generatio-
nis sumptæ pro transitu ex uno
termino ad aliud. Prob. conseq.
Quia etiam materia est, quæ
eadem manens transit de pri-
vatione ad formam: ergo ma-
teria etiam est subiectum huius
transitus, non minus quam
mutationis sumptæ pro eo, quod
est aliter se habere nunc, ac
priùs.

28 Obstat etiam contra
ultimam partem huius senten-
tiae, quod illud subiectum affec-
tionis, & non inhæsionis diffi-
cile percipitur, quid sit. Si enim
id, quod afficit subiectum, sit
accidens, cur non inhærebic
suo subiecto? Vnde falsum est
id, quod A. iste num. 229. ait,
nempè quod motus propriè non
habet subiectum inhæsionis, sed
affectionis, eo quod motus est
modus, & affectio quædam
mobilis. Aristoteles enim non
diffinivit motum per modum,
sed per actum entis in potentia;
quid autem magis inhærens,
quam actus potentiae, si actus
sit de genere accidentis, sicut est
motus?

29 Denique obstat contra
primam partem eiusdem senten-
tiae, in qua afferit, genera-
tionem prout est passio, recipi in
composito genito. Nam dato,
quod actio nō recipiatur in pas-
so: apud omnes tamen passio re-
cipitur in passo; sed compositum

genitum non est passum : ergo generatio, ut est passio, non potest recipi in composito genito.
Min. probat. Tum, quia compositum genitum est effectus generantis ; passum autem non est idem, quod effectus agentis, quia passum debet presupponi ad actionem agentis, ad quam presupponi non potest effectus eiusdem agentis, cum effectus sit posterior in genere causæ effientis actione agentis. Tum etiam quia passum est id, circa quod, & in quo agens operatur : sed effectus agentis non est id, circa quod, & in quo agens operatur ; sed magis est id, quod per actionem agentis fit : ergo compositum genitum non est passum, in quo possit recipi generatio, ut passio est.

30 Secunda sententia habet contra se, quod ponere actionem substantialem in creaturis est omnino voluntarium, & contra communem, & receptionem Philosophiam ; & præterea, ut bene arguit Colleg. D. Thomæ, intra Scholam eiusdem Ang. Doct. sustineri non potest. Nam ideo in sententia Thomistica substantia creata non potest esse immediatè operativa, quia potentia immediatè operativa debet specificari à suo actu, qui est actio, seu operatio, quæ in creaturis est accidens ; substantia autem non potest specificari

ab accidenti. Admissa autem sententia secunda deficit, & nullius roboris est ratio hæc : si quidem iam datur actio, quæ sit substantia, ad quam sine inconvenienti poterit ordinari, & ab ea tamquam ab actu intra propriam lineam substantialem poterit specificari substantia operantis, nec indigebit alio principio proximo accidentali.

31 De tertia sententia iam dictum est supra, eam non esse conformem doctrinæ Thomisticæ, & à nobis reiecta est lib. 2. Phisic. Vbi defensavimus, nullum accidens recipi posse immediate in materia prima. Quomodo autem intelligi debeant Aristoteles, & D. Thomas, dum dicunt, materiam primam esse subiectum generationis substancialis, constabit ex infra dicendiis.

32 Quarta, & ultima sententia habet contra se primò, quod ponit in materia immediatè aliquid priori ad formam : siquidem generatio, seu mutatio substancialis semel, quod sit distincta à forma substanciali, debet esse prior illa : si enim esset posterior ad formam, iam non reciperetur in sola materia, sed in composito de novo genito. Maximè autem hoc verum est iuxta AA. huius sententie, qui tenent, generatio-

nem esse viam , & tendentiam ,
seu fieri ipsius formæ: ergo ma-
teria prius erit modificata sub-
stantialiter per illum modum
substantiale generationis, quā
habeat esse simpliciter substancialis , quod participat à forma ,
vnde forma non erit actus pri-
mus materiae , sed modus ille
substantialis. Non est autem
minus inconveniens , materiam
prius esse in actu per aliquod
esse modale , & si substancialis ,
quam per aliquod esse acciden-
tiale ; modus enim eti substantialis non minus dependet
ab esse simpliciter , quod dat
forma , quam accidens.

33 Secundo facit contra
tandem sententiam , quod mo-
di isti substanciales , vel acci-
dentes , quos aliqui pafsim
introducunt , ferè inexplicabi-
les sunt , nec parum depriment
Cathegorias Aristotelis. Cum
enim occurrit dubium de ali-
quo , vtrum sit forma , vel ma-
teria , vel aliquod accidentis : si
pro vtraque parte apparent in-
convenientia , facile quisque
effugiet difficultatem dicendo ,
nec esse substancialis , nec acci-
dens , sed modum , vel substancialis ,
vel accidentalem , prout illi ad rem fueritimo posset ali-
quis dicere , omnia novem gene-
ra accidentium non esse acciden-
tia , sed modos substancialis . Præ-
terea. Ille modus substancialis ,

vel est actus , vel potentia?
actus enim , & potentia sunt
membra primo dividentia ens
in tota sua latitudine , ad que
reduci debet quidquid aliquo-
modo participat rationem en-
tis. Si est potentia: cum sit sub-
stantialis , erit potentia substancialis , vel potentia in genere
substancialis ; consequenterque
erit ipsa materia prima , quæ est
potentia in genere substancialis.
Si actus : vel primus , vel se-
cundus ? Non secundus , quia
hic est existentia , & constat , ge-
nerationem substancialis non
esse existentiam: ergo erit actus
primus. Et cum aliunde sit sub-
stantialis , vt à suis AA. dicitur ,
erit actus primus substancialis ,
qui nihil aliud est , quā forma
substancialis ; non ergo erit mo-
dus.

34 Visa ergo difficultate
sententiarum , videtur mihi ,
AA. earum nimis scrupulosè
procedere distinguendo gene-
rationem substancialis à ter-
mino , seu forma genita. Quia
propter dicendum est , genera-
tionem substancialis , vt est
mutatio , & se tenet ex parte
materiae , esse effectum forma-
lem formæ substancialis consi-
deratæ , vt est terminus motus ,
seu alterationis præcedentis , &
vt est ipsum mutatum esse ma-
teriae primæ. Ante explicatio-
nem huius assertionis ostenden-

Dum est, quomodo ipsa sit secundum mentem D. Thomæ: hoc autem satis ostendunt verba eiusdem S. Doct. lib. 1. de Generat. lect. 10. quæ etiam dedimus in Phisica, vbi hanc eandem sententiam insinuavimus. Explicans itaque Ang. Doct. verba supra relata Aristoteles vbi dicit, materiam esse subiectum maximè susceptibile generationis, & corruptionis, ita habet: *Philosophus dicit, quod prima materia est maximè proprium subiectum susceptibile generationis, & corruptionis, quia immediatè substat formis substantialibus, quæ per generationem, & corruptionem adveniunt, & recedunt.* Vbi apud D. Thomam idem est materiam esse subiectum generationis, ac esse subiectum formæ substantialis, quæ per generationem advenit: ergo apud ipsum idem est forma substantialis, ac generatio; aliàs si vnum ab alio distingueretur, non bene diceret D. Thomas, ideo Philosophum dixisse, materiam esse subiectum generationis, quia est subiectum formæ genitæ.

35 In hanc sententiam trahi possunt sine vi, & debent, quotquot assertunt, materiam esse subiectum generationis substantialis, vt mutatio est, quia est subiectum terminorum, in-

ter quos hæc mutatio versatur, scilicet privationis, & formæ: Ex his sunt Mag. à S. Thoma apud Colleg. D. Thomæ, & Mag. Prado dum dicit, mutationem substantialem, quam ponit esse actionem substantialem, non ponere in numero cum forma genita; in re enim ita discurrentes sentiunt, generationem substantialem, prout mutatio est, consistere in ipsa forma substantiali, modo tamen statim explicando. Imò ipsum Colleg. D. Thomæ num. 244. fatetur, D. Thomam, dum assertit, materiam primam esse subiectum generationis, rectè interpretari de generatione prout mutatio est, & sumpta pro termino mutante materiam, qui est forma. Si ergo D. Thomas generationem substantialem sumptam pro mutatione accipit pro ipsa forma, vt quid opus est, eam aliter accipere, & distinguere à forma: maximè cum vix explicari possit, quid sit hæc generatio substantialis distincta à forma, vt ex supradictis constat?

36 Ulterius prob. assertum nostrum à paritate corruptionis. Nam sicut generatio est mutatio de privatione ad formam, ita corruptio est mutatio de forma ad privationem: sed mutatio, quæ est corruptio, prout se tenet ex parte materia, non

est aliquid distinctum à privatione formæ corruptæ : ergo nec mutatio, quæ est generatio, est aliquid distinctum à forma genita. Aliæ probationes huius sententiaæ infra videndæ sunt in solutione argumentorum.

37 Nunc autem breviter explicanda est sententia nostra. Forma ergo considerari potest, ut est actus materiæ secundum se, & absolutè sumptæ; & potest etiam considerari, ut est actus eiusdem materiæ cōsiderata sub respectu, quem dicit ad privationem eiusdem formæ, qua antea carebat. Sub prima consideratione non est mutatio, quia mutatio intelligi nequit, nisi sub respectu ad duos terminos, unum à quo subiectum, quod mutatur, recedit, & aliud, ad quem accedit. Sub secunda autem consideratione mutatio est: quia est id, quo materia mutatur, vel potius mutata est; imò est ipsum mutatum esse materiæ, quo aliter se habet, ac antea se habebat.

38 Sed contra hanc doctrinam, & explicationem obstat primò, quod forma substantialis est terminus *ad quem* mutationis substantialis: sed forma non est terminus *ad quem* sui ipsius: ergo forma non est mutatio. 2. Mutatio substantialis est transitus de privatione ad formam: sed forma substantia-

lis non est transitus de privatione ad se ipsam: ergo idem. 3. Generatio substantialis, ut mutatio est, est fieri ipsius formæ substantialis: sed fieri distinguitur realiter ab eo, quod fit: ergo, &c. Denique. Si mutatio substantialis non distinguitur à termino *ad quem* eadem ratione, nec motus distinguetur à termino *ad quem*: sed hoc est contra comunem sententiam, quam etiam nos secuti sumus lib. 3. Phisic. Ergo male assertimus nunc, mutationem substantialiem non distingui à forma.

39 Sed resp. omnia hæc, quæ in argumentis tanguntur, non importare, nisi formam ipsam substantialiem sub diversis respectibus à nobis conceptam. Quare ad 1. dico, formam substantialiem esse terminum mutationis, non ita ut mutatio ipsa sit aliquid respiciens terminum *ad quem*, ut existimant adversarij: sed est terminus respectus à materia prima, quæ antea erat sub privatione eiusdem formæ: quia est terminus, *ad quem* materia mutata est, & quo mutata est. Vnde eadem forma prout nunc actuat materiam, quam antea non actuabat, est mutatio eiusdem materiæ; ut autem respicitur ab ipsa materia tamquam quid adveniens sibi post privationem,

Sub qua antea erat, est terminus, ad quem mutata est eadem materia: & sic est terminus ad quem mutationis. Ad 2. resp. eodem modo, quod transitus de privatione ad formam potest considerari infieri, & in facto esse. Transitus in fieri non est ipsa forma, sed est motus, seu alteratio, qua materia disponitur ad formam recipiendam; unde dum materia disponitur per alterationem, dicitur transmutari, seu esse in transitu ad recipiendam formam. Transitus autem in facto esse est ipsum mutatum esse materiae, seu mutatio in facto esse: ideoque sicut forma substantialis est ipsum mutatum esse materiae considerata sub ordine ad privationem antecedentem, ita est transitus in facto esse.

40 Ad 3. resp. quod forma substantialis habet duplex fieri, unum improprium, quod potius est factum esse, quam fieri; & huiusmodi fieri cum sit idem, quod factum esse, non distinguitur a termino, qui sit. Aliud est fieri propriè sumpturnum, quod quidem consistit in motu, & alteratione, per quam inducuntur dispositiones in materia ad formam generandam: & hoc fieri distinguitur realiter à forma, quæ fit. Quæ doctrina est D. Thomas lib. 6. Phi-

sic. lect. 5. vbi ad salvandum cum Philosopho, quod in omni mutatione id quod mutatur partim est in uno termino, & partim in alio, & quod etiam generatio, & corruptio sunt mutationes divisibiles, hæc dicit: *In illis enim mutationibus, inter quarum extrema est ali- quod medium, contingit, quod id, quod mutatur, dum mu- tatur, partim sit id uno extre- mo, & partim in alio secundum ipsa extrema. In illis vero, in- ter quartū terminos non est ali- quod medium, id quod mutatur, non est secundum diversas par- tes suas in diversis extremis se- cundum ipsa extrema, sed secun- dum aliquid et adiunctum. Si- cut cum materia mutatur de privatione ad formam ipsius, dum est in ipso mutari, est qui- dem sub privatione secundum se ipsam: sed partim est sub forma ignis non secundum se ipsam, sed secundum aliquid ei adiun- ctum, scilicet secundum disposi- tionem propriam ignis, quam partim recipit, antequam for- man ignis habeat. Vnde infra probabit Aristoteles, quod etiam generatio, & corruptio sunt di- visibiles, quia quod generatur, prius generabatur, & quod cor- rumpitur, prius corrumpeba- tur.*

41 Hæc D. Thomas, in quibus clarè habetur, quod ma-

teria dum est in mutari habet aliquid formæ, in quantum per alterationem recipit dispositiones eiusdem formæ: quod verum non esset, nisi mutari, seu alterari per dispositiones esset fieri formæ. Item dum dicit, quod id quod generatur, prius generabatur, manifeste indicat, esse aliquod generari, seu fieri formæ, vel compositi antecedens ipsum generatum esse, seu factum esse; quod quidem fieri, seu generari non potest esse, nisi motus alterationis, per quem inducuntur dispositio-nes ad formam. Idem docet lect. 8. eiusdem libri, vbi ait:

*Si ergo generatio dicatur ipsa incep-
tio effendi, sic est terminus
motus, & sic est in instanti: quia
terminari motum, quod est mu-
tatum esse, est in indivisiibili
temporis, ut supra ostensum est.
Si autem generatio accipiatur
ipsa incep-
tio effendi cum toto
motu praecedente, cuius est ter-
minus, sic non est in instanti,
sed in tempore, &c.*

Vbi ostendit generationem, accipi posse secundum quod includit motum alterationis, & consequenter, quod alterari est generari, vel fieri formam.

42 Item eadem lect. paulò ante finem volens ostendere, quod omne mutatum esse præcedit aliquod moveri, & è contra sic ait: *Sed in generatione*

secundum aliud est mutatum, &
secundum aliud mutari: nam
mutatum esse secundum for-
mam, mutari vero non est se-
cundum negationem formæ, quæ
non suscipit magis, & minus
secundum se, sed mutari est se-
cundum aliquid adiuctum ne-
gationi, quod suscipit magis, &
minus, quod est qualitas. Et
ideò generatum esse est termi-
nus eius, quod est alterari, &
similiter corruptum esse. Et
quia motus denominatur à ter-
mino ad quem, ut in principio
Quinti dictum est, ipsum alte-
rari, quia habet duos terminos,
scilicet formam substantialem,
& qualitatem, duplicitè nomi-
natur, quia potest dici, & alte-
rari, & fieri, & corrupti. Et hoc
modo accipi hic fieri, & corrum-
pi pro ipso alterari secundum
quod terminatur ad esse, vel
non esse. In quibus verbis, & do-
cit sententiam s. antec. defen-
satam de indistinctione gene-
rationis, ut actio est ab altera-
tione, in quantum dicit, quod
alterari, seu alteratio habet
duos terminos, scilicet formam
substantialem, & qualitatem:
& simul tradit doctrinam, quam
in præsenti damus de eo, quod
alteratio est fieri formæ, in
quantum dicit, quod alteratio
simul dicitur, & alterari, &
fieri, & corrupti. Nec obstat
si aliquis dicat, quod potius D.

Tho-

Thomas improbat in his verbis sententiam nostram afferentem, generationem ut actio est, identificari cum alteratione; nam si alteratio est fieri formæ, non potest esse actio generantis. Non inquam obstat: nam ut probavimus lib. 3. Phisic. actio transiens, qualis est generatio identificatur cum motu, & passione; vnde quatenus est ab agente, est actio: & quatenus recipitur in passo, est motus, & passio, fierique formæ, seu compositi.

43 Ad ultimum resp. quod etiam lib. cit. Phisic. diximus, sententiam non distinguentem motum à termino *ad quem* esse valde probabilem, & præterea eam videtur expresse docere D. Thomas 3. Phisic. lect. 2. Cœterū stando sententiæ communī de distinctione motus à termino *ad quem*, dico, ad esse rationem specialem, obquam motus debeat realiter distinguī à suo termino, secūs autem mutatio. Ea autem est, quod motus est propriè fieri sui termini distinctum realiter à facto esse eiusdem; dum enim motus durat, terminus non dum est, nec factus est: imò repugnat, motum esse, dum terminus eius *ad quem* existit: quia cum mobile est in termino *ad quem*, iam cessavit motus, tuncque mobile non moverit, sed mutatum

est. Cum ergo motus, & terminus *ad quem* non possint simul esse: ideo non possunt esse idem realiter. E contra vero accidit in mutatione, quæ simul est cum suo termino etiam iuxta adversarios: in eodem enim instanti, in quo existit mutatio substantialis, existit ipsa forma, quæ est terminus eius.

44 Ex quo etiam confirmari potest sententia nostra. Nam si in eodem instanti existit mutatio substantialis, & forma, ut negari non potest, superfluit talis mutatio distincta à forma. Si enim ad aliquid esset necessaria, maximè ad hoc, ut materia in eodem instanti esset mutata: sed ad stante forma in materia in eodem instanti, per eam sufficienter materia est mutata in tali instanti, cum per eam aliter se habeat substantialiter nunc, ac antea se habebat; imò non nisi per formam potest substantialiter se aliter habere: ergo. Vrgetur, & probatur, mutationem substantialiem non posse esse propriè viam, seu aliquid viale distinctum realiter à forma. Nam si ita esset, materia per illam viam esset realiter in via ad formam: & cum aliud in eodem instanti habeat formam, sequitur, quod simul sit in via ad formam, & cum forma; simulque sit in via, &

in termino, quod est impossibile.

QUÆST. III.

DE CORRUPTIONE.

S. Vnicus.

Quid sit corruptio, & quo modo differat à generatione?

DE corruptione autem dubitatur, quid sit? Et resp. cum communi sententia, eam opposito modo definiendam esse ad generationem sic: *Est mutatio de esse ad non esse substantiale.* In corruptione ergo terminus à quo est forma, terminus verò ad quem est privatio, seu non esse formæ substantialis: subiectum autem est materia. Quæri etiam potest, an distinguatur realiter à generatione? Ad quod dicendum est, quod corruptio, prout est actio, & se tenet ex parte agentis corruptientis, non distinguitur à generatione: quia agens per eandem actionem introduci formam de novo genitam, & ex consequenti corrumpi aliam, quæ prius erat in materia. Ut autem est mutatio, & se tenet ex parte materiae, dicendum est, *eam esse mutationem distinctam*

stam iuxta superius dicta: habet enim terminum ad quem distinctum à termino generationis. Videtur autem, talem distinctionem esse realem, quia privatio formæ præexistentis, ad quam mutatur materia per corruptionem, realiter distincta est à forma de novo genita, quæ est terminus generationis.

2. Posset tamen oppositum probabilitè dici, quia sicut eadem actio est productiva formæ de novo genitæ, & ex consequenti corruptiva formæ præexistentis, quia duplex forma non potest naturæliter esse simul in eadem materia: ita, & propter eamdem rationem posset dici, quod una, & adem mutatione, qua materia mutatur ad formam de novo genitam, mutatur etiam ex consequenti ad privationem formæ præexistentis propter incompossibilitatem unius formæ cum alia. Semper tamen verum est, quod saltim secundum rationem corruptio est distincta mutationis à generatione: quia ratio, & conceptus corruptionis specificatur solum à privatione formæ præexistentis, non autem à forma de novo genita, quamvis ad hanc sequatur privatio, seu non esse præexistentis.


3. Per hoc patet, quomodo verum sit illud, quod communiter dicitur, videlicet, quod

generatio , & corruptio sunt
duæ mutationes , & in eis in-
cerveniant quatuor termini.
Sunt quidem duæ mutationis,
vel secundum rem , vel secun-
dum rationem , prout magis
placuerit ; habent autem qua-
tuor terminos , quia generatio
habet pro termino *à quo* priva-
tionem formæ de novo genitæ,
& pro termino *ad quem* ipsam
formam : corruptio vero è con-
verso habet pro termino *à quo*
formam veterem , seu præexis-
tentem , & pro termino *ad quem*
privationem eiusdem formæ ve-
teris . Patet insuper veritas
illius communis axiomatis , sci-
licet *generatio unius est corruptio alterius*. Si enim intelliga-
tur de generatione , & corrup-
tione , prout sunt actiones : ve-
rūm est , in quantum utraque
est realiter eadem actio , vt di-
ctum est . Si autem intelligatur
de eis , vt sunt mutationes:
tunc si teneatur , esse mutatio-
nes realiter distinctas , verūm
est axioma , non in sensu identi-
co , sed in sensu causalī , & prop-

ter naturalem concomitantiam
utriusque : quia semper
generationem vnius committa-
tur naturaliter corruptio alte-
rius , & è contra . Si vero te-
neatur , eas non esse mutatio-
nes realiter distinctas , sed so-
lum secundum rationem : tunc
verūm est etiam in sensu iden-
tico .

4 Ad finem huius disputa-
tionis oportet advertere , quod
in praesenti circa generationem ,
& corruptionem disputari so-
let , quoniam sit subiectum
accidentium : & an in corrup-
tione fiat resolutio usque ad
interiam primam ? quam quæsi-
tionem nos in Phisica disputa-
vimus lib. 2. Item quæri solet ,
an ultimæ dispositiones ad fore
formam proveniant ab ea in gene-
re cause efficientis ? de quo
etiam egimus in eodem libro :
vbi etiam obiter diximus , quo
modo generatio , & corruptio
mutuò se præcedant in ge-
nere cause materialis ,
& formalis .

DIS:



DISPUTATIO II. DE ALTERATIONE.

QUÆST. I.

Quid sit alteratio: & an dividatur adæquate in intentionem, & remissionem?

§. Vnicus.

Proponantur fundamenta pro utraque parte

Post generationem sequitur secundum ordinem doctrinæ agere de alteratione: de qua primò dubitatur, quid sit? Est autem *Motus ad qualitatē*. Ita communiter Philosophi, licet aliqui alias particulas in definitione alterationis addant maioris explicationis gratia. Dicitur autem motus propriè, & strictè sumptus, qui scilicet sit successivus, & cum tempore, per quod excluduntur à ratione alterationis, prout in pra-

senti sumitut, aliquæ mutatio-nes instantaneæ, vt producio lucis in aere, quæ dicitur illumi-natio: quæ quidem licet sit alteratio, in quantum est muta-tio secundum qualitatem, non tamen est motus, quia sit in in-stanti. Colligitur etiam ex pra-dicta definitione, quod termi-ni alterationis, scilicet terminus à quo, & ad quem debent esse termini positivi, & inter se con-trarij: quia iuxta doctrinam Aristotelis motus propriè sum-p-tus solum datur inter contraria.

E Se-

2 Secundo dubitatur, quotplex sit alteratio, & quot species habeat? Pro quo notandum est, duas esse species subalternas alterationis, cuique notas, & de quibus nulla est controversia, scilicet intensi-
nem, & remissionem: & dico subalternas, quia etiam inten-
sio, & remissio sunt vterius di-
visibiles in alias species infimae,
secundum diversitatem atmo-
mam, & infimam specierum
qualitatum, in quibus sunt: vt
intensio, & remissio secundum
calorem, & frigus sunt species
infimae alterationis. Intensio
autem est motus à minus ad
magis secundum qualitatem,
vt à minus calido ad magis
calidum: remissio verò è contra
est motus à magis ad minus, vt
à magis calido ad minus cali-
dum.

3 Hoc supposito dubium
est, an præter has duas species
detur alia, quæ dicitur altera-
tio simpliciter dicta, non ideo
quia sit ratio communis, vtri-
que speciei iam explicatae per
modum generis: hoc enim
modum non posset esse species
alterationis, cum genus per
se ipsum non possit constitue-
re speciem. Sed ideo dicitur
alteratio simpliciter dicta, quia
non habemus proprium no-
men ad eam significandam: &
ideo apropriamus si nomen

commune alterationis. Consi-
deratur autem hæc species alte-
rationis, quatenus est motus ab
vna qualitate ad aliam absolu-
tè, & secundum se sumptam,
præscindendo ab eo, quod qua-
litas, quæ est terminus, sive à
quo, sive ad quem motus ha-
beat aliquam intensionem, vel
remissionem: vt si considere-
mus motum alterationis à cali-
do in frigidum absolutè.

4 Igitur circa hoc senten-
tia, quam Complut. Carmel.
dicunt esse communem Thomi-
starum, est affirmativa ponens
hanc tertiam speciem altera-
tionis, & probatur hac ratio-
ne. Quando calor de novo
producitur in aliquo subiecto,
quod antea erat frigidum, da-
tur vera alteratio illius de fri-
gido in calidum: sed talis alte-
ratio non est intensio, nec re-
missio: ergo est tercia species al-
terationis, seu alteratio simpli-
citer dicta. Mai. patet, quia est
motus à contrario in contrarium
successivè factus. Min. autem
prob. In primis non est inten-
sio, quia intensio præsupponit
in subiecto, quod alteratur,
qualitatem illam, quæ intendi-
tur; nihil enim fit magis cali-
dum, nisi quod antea erat cali-
dum: & propter eamdem ra-
tionem remissio præsupponit in
subiecto qualitatem, quæ remit-
tur; sed dum calor fit de no-

vo; subiectum non præsupponitur antecedenter calidum: ergo talis alteratio non est intensio, nec remissio caloris.

5 Pro contraria autem sententia adsunt hæc argumenta. Primo, quod in genere quantitatis non datur alia species motus præter augmentationem, quæ est à minori quantitate ad maiorem, & diminutionem, quæ est à maiori ad minorem: ergo pariter in genere qualitatis solum erunt duæ species motus, scilicet intensio, & remissio. 2. Tota latitudo qualitatis, secundum quam potest terminare motum, est eius intensibilitas, & remissibilitas, quatenus videlicet potest magis, & minus in esse subiecto, vel potest habere plures, vel pauciores gradus iuxta diversitatem sententiarum circa modum, quo fit intensio, & remissio, de quo postea: ergo qualitas non potest terminare motum, nisi secundumquod est intensa, vel remissa; consequenterque solum dantur duæ species alterationis.

6 Tertio. Dum producitur qualitas de novo, simul intenditur: ergo non datur alteratio, quæ simul non sit intensio. Ant. prob. Quandiu durat actio, qua primò producitur calor in aqua; v. g. continuò aqua magis calefit, ut patet per expé-

rientiam: ergo intenditur calor in ea. Quartò. Omnis alteratio est motus, consequenterque est successiva, & à contrario in contrarium: ergo dum de novo introducitur calor in aqua antea frigida, simul paulatim, & successivè expellitur eius frigiditas. Sed frigiditatem paulatim, & successivè expelli est ipsam remitti: ergo simul dum introducitur calor, remittitur frigiditas aquæ. Ergo alteratio illa est remissio, consequenterque non datur alteratio, quæ non sit remissio.

7 Denique. Qualitas non potest terminare motum alterationis, nisi prout intensa, vel remissa: ergo nulla est alteratio, quæ terminetur ad qualitatem secundum se, & absolute sumptam. Ant. prob. Mobile dum est in termino à quo, non dum movetur, & dum est in termino ad quem, iam non movetur, ut manifestè patet in motu locali: ergo mobile motu alterationis dum movetur, nec est sub qualitate, quæ est terminus à quo, neque sub qualitate, quæ est terminus ad quem. Sed hoc esset falsum, si qualitas esset terminus à quo, & ad quem secundum se sumpta, & non ut intensa, vel remissa: ergo. Min. subsumpta prob. Nam si sumatur calor, & frigus secundum se in alteratione, quā aqua ca-

lefit, utrumque habet aqua, dum alteratur: est enim calida, quia per alterationem producitur calor in ea; est etiam frigida, quia non tota frigiditas expellitur simul ab aqua, & consequenter dum durat motus alterationis, aliqua frigitas remanet in aqua: ergo si frigiditas, & calor essent termini alterationis secundum se sumpta, & praescindendo ab intensione, & remissione: mobile dum est in termino à quo, & ad quem, moveretur, quod est impossibile.

8 Hæc argumenta videntur habere difficultatem; sed tamen in favorem primæ sententiae responderi potest ad 1. negando conseq. Ratio disparitatis est: quia quantitas in primi sui productione non terminat per se motum, sed resultat tamquam proprietas substantiæ de novo factæ per generationem; unde ad quantitatem secundum se praescindendo à maiori, vel minori non datur aliqua species motus. At verò qualitas etiam in prima sui productione fit per se, & separatim à substantia, ut patet in calefactione aquæ.

9 Ad 2. dici potest, quod latitudo qualitatis, quæ necessaria est, ut possit terminare motum, non est omnino idem, quod intensibilitas, & remissibilitas; nam intensibilitas, &

risibilitas addunt suprà latitudinem relationem maioris, vel minoris. Vnde aliud est, quod qualitas non possit terminare motum, nisi secundum aliquam latitudinem, & divisibilitatem; aliud autem, quod qualitas debet esse maior, vel minor secundum intensionem, aut remissionem. Primum est verum, & semper accidit in quacumque alteratione; secundum autem est falsum, & de facto deficit in prima productione qualitatis: vbi quia antecedenter non presupponitur in subiecto eadem qualitas, latitudo secundumquam terminat motum, nec est maior, nec minor; & ideo non terminat motum intensionis, & remissionis, sed alium distinctum. In forma ergo concessio ant. neganda est conseq.

10 Ad 3. dici potest, quod quando aqua primo calefit, etsi per motum alterationis continuò magis calefiat: tamen non intervenit ibi propria intensione; quia ly *magis* non dicit comparationem ad aliquem gradum determinatum caloris, qui ante præcesserit in actu, solum enim præcedit in potentia durante motu. Sicut dum mobile aliquod movetur localiter, quandiu durat motus, non est in actu in aliqua parte determinata a spatijs, sed solum in poten-

tia, quatenus signata quacumque parte spatij potuit motus in ea terminari, & mobile in ea quiscere. Ad 4. dici potest, illud solum probare, quod omnem alterationem commitetur etiam remissio; non vero quod idem sit alteratio simplicitè dicta, & remissio. Ad 5. dicatur, probare quidem, quod qualitas non possit specificare motum alterationis simplicis, nisi ut terminatam per aliquem gradum; ceterum quia dum primo fit, non habet respectum ad aliquem gradum præexistentem: ideo non sit in prima sui productione per motum intensio-
nis proprium.

QUÆST. II.

VTRUM INTENSIO
qualitatum fiat per additi-
onem gradus ad gra-
dum?

§. I.

Probatur quod additio gra-
duum non sit de mente D.

Thoma: & disquiritur
quid sit gradus.

IN hac quæstione sum-
mè difficiili parcen-
dum est, si ea, quæ
dixerimus, non ita per ordinem
digesta sint ut pat erat: procede-

mus enim modo inquisitivo,
si forte contingat aliqualiter ad
veritatem accedere. Igitur qua-
stio procedit, tam de qualitatibus
habentibus contrarium, quæ
fiunt per motum rigorosum, &
alterationem strictè talem, quam
de alijs, quæ fiunt in instanti,
& sine motu, vt lux in aere
gratia, & charitas, & alij habi-
tus supernaturales. Procedit
autem dubium non de augmen-
to extensivo, quo qualitas ma-
terialis extenditur ad novam
partem subiecti, in qua antea
non erat: sicut dum lignum,
quod in una parte sui habet ca-
lorem, & in alia non, postea
acquirit calorem in ea parte,
quæ antea non erat calida. De
hoc, inquam, augmento non
procedit dubium, quia per hoc
augmentum propriè non fit ma-
gis calidum; v. g. sed maius ca-
lidum; magis autem calidum,
quod est propriè augmentum
intensionis, sit, quatenus ea-
dem pars subiecti crescit in ca-
lore.

2 Circa modum itaque
quo fit augmentum inten-
sionum qualitatum, duæ fuerunt
opiniones antiquorum, quæ
communitè reiciuntur. Pri-
ma asseruit, intensionem fieri
per depurationem qualitatis à
suo contrario; quam opinionem
rejecit D. Thomas ex eo, quod
accidit qualitati habere contra-

vium: ut patet in luce , quæ intenditur , & non habet contrarium , à quo depuretur . Secunda sententia afferuit , intentionem fieri per destructionem qualitatis imperfectioris , & productionem alterius perfectioris . Hæc sententia ex eo reprobatur , quia reverè non salvat augmentum qualitatis ; quod enim augetur , permanet idem sub augmentatione : alia non illud augeretur , sed aliud : ergo si qualitas destruitur , & alia nova producitur , nihil augetur .

3 Præter has sententias sunt aliae duas his temporibus celebres , quarum prima tribuitur Scoto , & alijs . Eam sequuntur communiter Jesuitæ : assertive , intentionem qualitatis fieri per additionem gradus ad gradum , idest per additionem novæ partis qualitatis ad qualitatem præexistente : itaut quando intenditur calor , de novo producatur aliqua pars caloris in eadem parte subiecti . Alia sententia , quæ est omnium Thomistarum , per oppositum tenet , in intentione qualitatum non intervenire additionem partialis qualitatis , sed solam maiorem radicationem eiusdem qualitatis in subiecto : itaut una , & eadem pars subiecti , quæ ante imperfectè actuabatur per qualitatem , postea perfectius actuatur , & magis fiat in actu

per eandem qualitatem . Hæc sententia nobis tenenda est , quam quæst . seq . Deo dante , explanavimus .

4 Nunc autem pro impugnatione sententie oppositæ ostendendum est , nostram esse expressam in D . Thoma propter aliquos ex adversarijs , qui suam sententiam de additione gradus ad gradum volunt attribuere . S. Doctori inter quos P . Rubio quem vidi , & P . Hurtado , apud Complut . Carmel . Sed quam falso talem sententiam imponere velint Aug . Mag . satis indicant omnia loca , in quibus hanc questionem pertractat in terminis : itaut ex sola simplici eorum lectione manifestum sit , eum perpetuo exclusisse additionem ab intentione qualitatum . Sufficiat vnum , vel alterum testimonium eius in medium proferre .

5 Sic ergo habet quæst . 1 . de virtut . art . 11 . in corpor . Quidam existimaverunt , quod charitas , sive quelibet virtus infusa augeatur per additionem charitatis ad charitatem , vel virtutis ad virtutem , aut albedinis ad albedinem , quod omninoflare non potest . Et 1 . 2 . quæst . 52 . art . 2 . ait : Augmentationum habituum , aut aliarum formarum non sit per additionem formæ ad formam . Et 2 . 2 . quæst . 24 . art . 5 . Relinquitur

ergo, quod nullo modo charitas augeri potest per additionem charitatis ad charitatem. Et in 1. distinct. 17. quæst. 2. art. 2. referens opinionem ponentem, quod charitas augetur per additionem charitatis ad charitatem, eam impugnat, & subdit: *Primam autem positionem non possum intelligere.* Per quæ verba exclusa manet interpretatio, quam Rubio adhibere conatur dicens, D. Thomam in prædictis testimonijis solum intendere, quod non sit vtendum nomine additionis formæ ad formam, seu qualitatis ad qualitatem: quia hoc videtur sonare additionem qualitatis completæ. Non autem excludere D. Thomam additionem qualitatis partialis, ex qua, & alia præexistente fiat una qualitas completa, & totalis. Exclusa, inquam, manet hæc interpretatio, quia nullus imaginari potuit, quod si qualitas adderetur qualitatibus, post additionem non fieret ex eis una qualitas totalis: cum nec in additione quantitatis ad quantitatem hoc imaginari possit; sed compertum sit, quod dum quantitas additur quantitati, resultat una quantitas totalis: ergo D. Thomas illam additionem qualitatis ad qualitatem reiicit, ex qua resultaret una qualitas totalis; & con-

sequenter excludit additionem qualitatis partialis.

6 Favet etiam, quod idem D. Thomas quæst. & art. citatis ex 1. 2. in argumendo *sed contra adducit* pro sua sententia verba Philosophi 4. Phisic. vbi ait: *Ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non esset calidum quando erat minus calidum.* Quæ verba solum indicant, quod dum aliquid fit magis calidum, non fit per hoc, quod aliquid fit calidum, quod antea non esset calidum: quia nec nova materia, vel subiectum advenit, quod de novo fit calidum: nec in subiecto, quod fit magis calidum, aliqua pars fit calida, quæ antea non esset calida. Vtique enim modo calidum, vel calor non intendetur, sed extenderetur.

7 Dicit ergo Philosophus, quod magis calidum fit aliquid absque eo, quod de novo aliquid fit calidum, nec secundum totum, nec secundum partem: quia idem omnino, quod antea erat calidum, fit magis calidum. Ex quo habetur, quod magis calidum fit absque additione alicuius subiecti calidi; si vè talis additio fiat per hoc, quod unum subiectum calidum addatur alteri calido, sicut si una aqua calida addatur alteri: si vè quia in eodem subiecto ad-

veniat de novo calor alicui parti, in qua antea non erat: sic enim quoddam nodo additur calidum calido, in quantum pars, quæ de novo sit calida, coniuncta est parti antea calidae.

8 D. Thomas autem ex hac doctrina Philosophi, quæ certa, & clara est, nec ab adversariis negatur, scilicet quod intensio caloris non fiat per additionem novi calidi ad aliud calidum præexistens, infert, quod non fiat per additionem caloris: quia apud ipsum impossibile est, immo, & in intelligibile, quod fiat additione caloris, sine additione subiecti calidi. Et hoc est, quod loco citato ex I. sent. dixit, se non posse intelligere, quod scilicet augmentum charitatis fiat per additionem charitatis ad charitatem. Nam cum manifestum sit, non posse fieri additionem vnius subiecti habentis charitatem ad aliud etiam habens eam: nec in anima ut potè indivisibili sunt partes, in quarum una posset esse charitas, & in alia non: cui si postea adveniret charitas, iam adderetur pars habens charitatem alteri parti illam habenti, & sic fieret additione subiecti partialis habentis charitatem ad subiectum partiale. Cum ergo non sit aliis modus addendi subiectum chas-

ritatis subiecto, & D. Thomas non inveniat modum, quo fiat additione charitatis ad charitatem, nisi addatur unum subiectum, sive totale, sive partiale alteri: ideo non potuit intelligere illam opinionem assertantem, charitatem augeri per additionem charitatis, sicut nec opinionem assertantium, calorem, vel alias qualitates augeri per additionem caloris ad calorem, seu qualitatis ad qualitatem; unde multo minus potuit illam assertere, & docere.

9 Et quia mens D. Thomæ ea est, quæ manet explanata: ideo quæst. citata de virtutibus, & alibi accurate expendit hos modos, quibus subiectum additur subiecto, & ex eis arguit, quod non potest fieri augmentum formæ per additionem formæ ad formam. Illam autem additionem, quam oppositi AA. imaginantur, scilicet partis formæ secundum se sumptæ ad aliam partem, semper reiicit D. Thomas, ut implicatoriam: ut potè quia implicitorium est ponere partes in quacumque forma secundum se considerata, & sine ordine ad diversas partes materiæ, & quantitatis, ut ex rationibus eiusdem Ang. Doct. constavit infra.

10 Sed videamus, quid pro se afferat P. Rubio ut suadeat, suam sententiam esse de

men-

mente D. Thomæ. Adducit itaque verba eiusdem S. Doctoris 2. 2. quæst. 24. art. 4. ad 3. vbi ait: Quidam dixerunt, charitatem non augeri secundum essentiam, sed solum secundum radicationem in subiecto; sed hi propriam vocem ignorarunt: cum enim accidens sit, eius esse est inesse. Vnde nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto, quod est eam magis radicari in subiecto.

Ex quibus verbis inferti prædictus A. quod iuxta mentem D. Thomæ charitas, & proportione alia qualitates duobus modis augmentur secundum intensionem: primo secundum essentiam, seu secundum substantiam suam, & entitatem: quod quidem fieri nequit (inquit) sine eo, quod aliqua pars entitatis ipsius charitatis de novo producatur per motum intensionis. Alio modo augetur per maiorem radicationem in subiecto fundatam in maiori; ac nova entitate, quia impossibile est, magis radicari in subiecto, sine nova entitate superaddita. Et tandem post hanc explicationem verborum D. Thomæ infert, quod discipuli eius negantes, qualitatem augeri secundum essentiam, quod apud P. Rubio idem est, ac augeri per additionem gradus ad gra-

dum, loquuntur contra ipsum D. Thomam, & videntur ignorare propriam vocem intensionis.

Sed certè mihi videtur, hunc A. non assequutum tuisse sensum verborum D. Thomæ, quæ pro se allegat. Et quidem utrum aliqui fuerint discipuli D. Thomæ, qui negaverint, charitatem, & alias qualitates augeri secundum essentiam, ignorare: de quibus, si aliqui fuerint, cum ex alia parte non negaverint, augeri per maiorem radicationem, dici debet cum D. Thoma, quod propriam vocem ignorarunt. Attamen mihi persuadere non possum, quod in re adeò clara vbi D. Thomas, tam expresse asserit, charitatem augeri secundum essentiam, potuerit aliquis eius discipulus hoc negare. Verum est, non solum aliquem, sed omnes D. Thomæ discipulos negare, qualitates augeri secundum essentiam in sensu, in quo ab hoc A. accipitur augeri secundum essentiam, ita ut sit idem, quod augeri per additionem novæ entitatis partialis. Quia vero D. Thomas non sic intellexit augeri qualitatem secundum essentiam, sed potius docuit, quod augeri secundum essentiam idem est, ac augeri per maiorem radicationem in subiecto: idq; nullus D. Thomæ discipu-

lus primum negavit, cum omnes fateantur, & defendant hoc secundum.

13 Hinc constat iam, quomodo hic A. sensum D. Thomæ non attigit. Nam D. Thomas non distinguit, ut ipse putat, duos modos, quibus qualitas augeatur per intensionem, scilicet unum secundum essentiam, & alium secundum radicationem; potius enim unum tantummodo augmenti intensi vi qualitatum agnoscit, qui cum unus, & idem sit, est augmentum secundum essentiam, & secundum maiorem radicationem: quia cum esse qualitatis sit radicari, seu inesse subiecto, si augmentum est secundum inesse, & radicari in subiecto, necessariò erit secundum essentiam, ut arguit D. Thomas.

14 Tam longè itaque abest mens D. Thomæ à sensu, in quo illum interpretatur prædictus A. quod potius ideò eos, qui concedentes charitatem augeri per maiorem radicationem negabant, augeri secundum essentiam, redarguit tamquam ignorantes propriam vocem: quia augeri secundum radicationem, & secundum essentiam, quod est omnino unus, & idem modulus augendi, illi apprehendebant, ut duos diversos modos augendi putantes, diversum ali quid significari per hanc vocem.

augeri per maiorem radicationem, ac per istam augeri secundum essentiam: & ideo concesserunt, aliud negabant. Et quod hoc ita sit, patet ex ipsa forma arguendi D. Thomas contra illos. Si enim existimat D. Thomas, quod augeri per maiorem radicationem esset modulus distinctus augendi, fundatus in augmendo secundum essentiam, ut vult prædictus A. non argueret illos de ignorantia vocis, sed de ignorantia illationis: quia cum concederent unum, negabant aliud, sine quo illud, quod concedebant stare non potest, quia unum ex alio infertur iuxta hunc A. Sed D. Thomas non arguit, vtrumque debere concedi, quia unum sequatur ex alio; sed quia vtrumque est omnino idem: ideòque qui unum negat, concesserunt alio, ignorat propriam vocem: sicut qui diceret, hunc hominem esse Papam, & negaret, esse Summum Pontificem, convinceretur ignorare significationem vocum.

15 Illud autem, quod A. iste dicit, scilicet, quod maior radicatio stare non potest, sine additione novæ partis qualitatis, falsum est: quia aliud est, plus de forma radicari in subiecto, aliud, formam plus, seu magis radicari in subiecto; si ergo in augmentatione viven-

rium, aliud est, plus materia actuari per formam, quam antea: aliud, materiam magis actuari per formam. Primum accideret, si nova pars formæ adderetur, sed non secundum: quia ex eo, quod nova pars formæ radicetur in subiecto, non sequitur, quod pars, quæ ante radicabatur, magis radiceatur: & hoc requiritur ad intentionem formæ. Sicut ex eo, quod nova pars materia actuetur per formam, non sequitur, quod materia præexistens magis actuatur. Rationes verò, quibus prædictus A. nititur probare intentum suum, infra solventur: sicut etiam argumentum, quod deducit ex verbis D. Thomæ immediate sequentibus ad præallegata: nunc enim solum agimus de mente D. Thomæ, quam non assequutum fuisse P. Rubio, constat ex dictis.

16 Superst de his, quæ P. Hurtado moverunt ad credendum suam sententiam esse D. Thomæ, dicamus. Adducit itaque testimonium D. Thomæ ex 3. part. quæst. 7. art. 12. vbi inquit: *Quod aer non potest crescere in caliditate, quando pertinet ad ultimum gradum caloris, qui potest salvare in natura aeris.* Item: *Calor ignis non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris, quam ille, ad quem pertin-*

git natura ignis. In quibus verbis expressè admittit gradus in qualitatibus: & præterea in eodem art. insinuat, vel supponit, quod gratia in viatoribus potest augeri, & secundum se ipsam, & per respectum ad subiectum. Videtur autem, quod augmentum gratia secundum se ipsam, ut contradistinctum ab augmentatione, quod convenit ei per respectum ad subiectum, non possit intelligi, nisi de augmentatione per additionem gradus ad gradum in ipsa gratia.

17 Accedit, quod Caietanus 1. 2. quæst. 52. art. 2. expōnens textum D. Thomæ admittit additionem graduum in intentione qualitatum significans, hanc sententiam quoad substantiam esse de mente D. Thomæ, & solum quoad modum loquendi videri ab eo discrepare; ita enim concludit ibi Caietanus: *Et tu, qui additione graduum eteris disputando, si hanc expressurus dicis sententiam, à lato solo linguae exhibendus restas.*

18 Respondeatur ramen, quod in prædictis verbis D. Thomæ nihil est, quod sonet pluralitatem, seu compositionem graduum in qualitatibus; sed solum admittit gradum in singulari, qui dicatur ultimus maior, aut perfectior respectivè ad gradum, qui potest esse divisiū;

vel in eodem subiecto , vel in alio , ut infra explicabitur . Nec ex eo , quod admittat , gratiam in puris viatoribus augeri posse ex parte sui , & ex parte subiecti , ponit aliquam additionem , vel compositionem in gratia . Nam ut ibidem se explicat D. Thomas , possibilitas augmenti formarum ex parte subiecti stat in eo , quod subiectum non attingat ad ultimum gradum in participatione formæ secundum suum modum . Possibilitas autem argumenti ex parte formæ stat in eo , quod subiectum non attingat ad ultimam perfectionem , quam potest talis forma habere in rerum natura : in quo nulla additione vel compositione importatur .

19 Præterquamquod dici potest , quod in eo loco D. Thomas non agat de modo augmenti qualitatum , loquitur tantum omissivè , seu permissivè : quia intentum suum in illo art. est ostendere , quod gratia Christi D. augeri non potest . Et quia hoc verum est , sive augmentum fiat per additionem , sive alio modo : ideo usus est modo loquendi sententia , quæ ponit , augmentum fieri per additionem , ut ea admissa ostenderet , veram esse suam conclusiōnem , ut indisputationibus frequenter accidere solet . Ceterum ad indagandam mentem

D. Thomæ circa hoc recurrente dum est ad ea loca , in quibus ex professo , & in terminis disputat præsentem quæstionem , ut sunt ea , quæ pro nostra sententia adducta sunt . De Caietano autem dicendum est , eum sub obscurè in hoc punto loqui , & anticipitem videri esse : semper tamen recusat additionem propriam in augmentatione qualitatum fateri .

20 Hæc circa mentem D. Thomæ dicta sint ; verum adhuc ex eius verbis proximè adductis , in quibus utitur nomine gradus , & ex communi modo loquendi , quo omnes dicimus ; & verè , hoc calidum ; v.g. esse tale in hoc , vel illo gradu , resultat difficultas , quid nomine gradus intelligendum sit ? Circa quod AA. oppositi idem dicunt esse gradus in qualitate , ac partes intensionis eius : concedunt enim partes non solum extensionis , sed etiam intensionis . Quia tamen inter gradus , & partes aliqua distinctio assignanda est , cum constet , in quantitate dari partes , quæ tamen gradus appellari non possunt ; non apparet , cur partes intensionis non solum partes , sed etiam gradus dicendæ sint : nisi forte dicatur , hoc nomen gradus attribui partibus intensionis ad distinguendum eas à partibus extensionis quod pure voluntarium est .

21 In sententia autem aliquorum, qui ut infra dicenius, ponunt, has partes, quibus fit intensio qualitatum, esse inter se dissimiles, ita ut una excedat aliam in perfectione: sive talis excessus sit intra eamdem speciem, sive sit cum diversitate specifica iuxta diversos modos opinandi: aliqua congruitas est, ut eius modi partes dicantur gradus. Nam gradus iuxta proprietatem vocis solum inveniuntur in his, quae invicem se excederunt per ordinem ad aliquid unum. Si autem ponatur, quod omnes partes qualitatis, ex quibus resultat intensio, sunt inter se similes, & eiusdem rationis: non videtur quomodo nomen *gradus* eis possit adaptari, nec quomodo possit inter eos inveniri ratio primi, & secundi, &c. cum nulla sit ratio, quare unus sit primus, vel secundus, potius quam alter.

22 Et si dicatur illum esse primum, qui primo productus est per motum alterationis; secundum autem, qui secundo loco productus est, & sic de reliquis usque ad eum, qui ultimo producitur. Contra est primò. Nam sicut in motu non datur primum, quia nulla pars est assignabilis, antequam non fuerit alia: ita nec in qualitate producta per motum potest signari aliqua prima pars; sed quamvis

signata, ante illam sicut alia, & alia producta licet minor, & minor semper usque in infinitum. Sicut in continuo permanenti; v.g. in vlna, nulla pars est assignabilis, antequam non sit alia, minor tamen.

23 Posset tamen aliquis dicere, quod sicut in continuo permanenti potest assignari prima pars aliqua; v.g. primus palmus in vlna: ita qualitate potest assignari prima pars intentionis aliquota, licet non possit assignari prima pars proportionalis; & sic illa pars determinata, & certæ intentionis, quæ primò producitur, erit primus gradus, & alia æqualis intentionis, quæ secundò producitur, erit secundus gradus. Sed contra, & est secunda impugnatio primæ solutionis. Nam admininus sequitur, quod in calore ignis, qui sit totus simul in instanti generationis ignis, non poterit assignari gradus etiam aliquotus, qui sit primus, vel secundus, cum omnes partes caloris, tam aliquotæ, quam proportionalis fiant simul in instanti generationis: ergo tales partes erunt solum partes, nec poterunt dici gradus.

24 Alius modus excogitari potest, quo partes qualitatis etiam si omnes sint eiusdem rationis, possint dici gradus. Videlicet si dicatur, quod gradus

est aliqua pars qualitatis certæ, & determinatae intensionis, & hæc dicatur prima: qui si superaddatur alia pars tantæ, & æqualis intensionis, vel si non tantæ administretur certæ, & determinatae intensionis: utraque simul sumpta dicatur secundus gradus. Et si his duabus superaddatur tertia pars etiam æqualis intensionis primæ, vel saltim, quæ tantum excedat secundam, quantum secunda excedit primam: omnes tres simul sumptæ constituant tertium gradum: & sic de reliquis, ita quod semper procedendo à primo gradu, reliqui omnes contineant singuli totum, quod continet inferior, seu præcedens gradus, & suprà illud addant tamen, quantum habet primus gradus, vel administretur aliquid determinatae, & certæ intensionis. Hic modulus, et si non multum proprius, videtur tamen probabilis, & ad mentem Authorum ponentium gradus similes, & eiusdem rationis. Nisi enim ponatur inter partes qualitatis aliquis ordo per modum incidentis, & inclusi, erunt quidem in qualitate plures partes, sed gradus nullo modo dici poterunt. Verum est tamen, quod adhuc secundum istum modum non magis salvatur ratio gradus in qualitate, quam possit salvari in quantitate, in cuius partibus

etiam considerari potest prædictus excessus, & ordo vnius ad aliam secundum determinatam proportionem.

25 In nostra autem sententia, quæ non admittit partes in qualitate, maior difficultas videtur esse in explicando, quomodo possint esse gradus in ea. Nec dici potest, quod D. Thomas, & alij dum vtuntur nomine *gradus*, id faciunt ad explicandum augmentum, vel intensionem qualitatum: non quia reverè in qualitate sit aliqua multiplicitas secundum intensionem, sed sola indivisibilis essentia qualitatis cum modo maioris, vel minoris radicationis in subiecto. Quia inconveniens est ad explicandam aliquam sententiam ut terminis, qui magis videntur favere opposita. Nec etiam dici potest, quod nomine *gradus* intelligitur maior radicatio caloris; v.g. in subiecto, quatenus virtualiter continet plures gradus, ratione cuius virtualis continentia potest facere calor, ut octo quidquid facerent plures calorres partiales, si ex eis coalesceret unus calor totalis. Vnde gradus caloris, quos D. Thomas admitti, non sunt formaliter in qualitate, sed solum virtualiter continentur in illa.

26 Contra hoc enim est: quod si calor aliquis continet

virtualiter plures gradus caloris: ergo plures gradus caloris formaliter existunt, vel possunt existere in aliquo subiecto: alias aliquid contineret virtualiter id, quod existere non potest, & consequenter virtualiter contineret impossibile. Præterea. Quia explicare continentiam virtualem caloris per hoc, quod possit facere per suam indivisibilem entitatem, quod facerent plures calores partiales, si ex eis resultaret unus totalis: est explicare illam per conditionalem impossibilem; siquidem in nostra sententia impossibile est, calorem, vel aliam qualitatem componi ex pluribus partialibus. Cum ergo si daretur tale impossibile, illud nihil posset facere, vel posset facere impossibile: sequitur, quod idem sit dicere calorem sic radicatum in subiecto posse facere, quidquid facerent plures calores componentes unum totale, ac dicere, quod posset facere quidquid faceret calor impossibilis, si daretur.

27 Fortè dicet aliquis, bene explicari plures gradus caloris per continentiam virtualem plurium in uno, non quidem plurium, qui formaliter existant in uno, eodemque calore, sed in diversis caloribus diverso modo radicatis in diversis subiectis. V. g. Si dica-

mus, quod calor ignis continet virtualiter calorem aquæ, vel alterius subiecti calidi, ut tria, vel ut quatuor, &c. Et sic salvatur, quod calor ignis continet virtualiter plures gradus, qui formaliter sunt, & existunt, non simul quidem in eodem calore, quia hoc repugnat in sententia Thomistarum; sed in diversis, itaut in unoquoque sit unus tantum gradus caloris. Et hoc modo salvari etiam potest, finè implicatione, quod calor ignis ratione huius continentiae possit facere quidquid possunt gradus, quos continet.

28 Hic modus dicendi videtur probabilis. Ceterum adhuc restant duæ difficultates: prima est, qua ratione huiusmodi radicationes caloris dicantur gradus? Si enim ideò dicuntur, quia se excedunt in perfectione: vel hic excessus est individualis tantum, vel est specificus? Et quomodo cumque sit, necesse est, quod qualitas magis, & minus intensa differant aliquomodo. Ex quo rursus sequitur, quod differentia haec sit, vel in aliquo essentiiali, id est in aliquo identificato cum ipsa entitate caloris, vel in aliquo accidentalí, & distinto à substantia, & entitate caloris. Si in aliquo identificato sequitur, quod calor intensus, & remissus differant entitative

false

saltē individualiter etiam in eodem subiecto, ut cum calor existens in aqua in quarto gradu intensionis decrescit, usque ad tertium per remissionem, vel per intensionem crescit, usque ad quintum, non permanebit idem numero calor; consequenterque intensio, & remissio sicut per productionem novae qualitatis, & destructionem veteris, quæ est sententia Durandi communiter reiecta.

29. Si autem dicatur, illam differentiam, & excessum esse accidentalem: restat explicandum à quo proveniat, & in quo consistat. Et si dicatur consistere in aliquo modo superaddito ipsi calori; tunc de isto modo remanet eadem difficultas. Quia vel hic modus, qui per intensionem additur calori, est idem numero cum modo, quem habebat, dum erat remissa, vel est distinctus numero, vel specie? Si est idem numero non poterit esse perfectior, nec continere virtualiter modum caloris remissi, & consequenter non salvabitur ratio gradus. Si est numero, vel specie diversus: revera inciditur in sententiam Durandi, & solo nomine ab ea recessit; quia revera idem est dicere produci in intensione novum modum, ac produci novam qualitatem: maximè cum talis modus, tam similis,

& tam de natura qualitatis sit, quod eam faciat perfectior rem.

30. Præterea. De isto modo queritur, unde habeat esse perfectior, & continere alios modos minoris intentionis. Et si est numero distinctus, utrum distinguatur per aliquid, sibi identificatum, vel per aliquid, sibi accidentale? Et si per aliquid, sibi accidentale: illud erit aliud modus, & sic proceditur in infinitum, quia de illo alio modo idem queritur. Si verò distinguatur per aliquid, sibi identificatum, sequitur, quod per se ipsum contineat virtualiter modum intensionis minorem, seu inferiorem: ergo per se ipsum, & essentialiter erit intensus, & continebit virtualiter plures gradus intensionis. Et tunc eadem ratione dici debet, quod qualitas per se ipsam, sine aliquo superaddito sit intensa, & redund difficultates supradictæ.

31. Quod si propter hæc negetur omnis modus superadditus qualitati: tunc salvare non potest, quod in qualitate sit gradus aliquis, nisi ponantur in ea partes distinctæ: quia ipsa qualitas simplex non potest esse gradus per se ipsam. Videatur ergo, quod in sententia Thomistarum nulla sit via salvandi gradus in qualitatibus. Si vero aliquis concedat, revera nullum esse gra-

gradum in qualitatibus, præterquamquod opponitur communis existimationi, & modo loquendi habet contra se secundam difficultatem, quæ est hæc. Nam positis duobus caloribus, unus potest esse, & multoties est maior, seu magis intensus alio: & hic excessus est determinatus, itaut possit designari proportio eius, tam respectu calidi minoris, quam respectu ad excessum aliorum duorum calorum etiam inæqualium; vel administris à Deo certum est cognosci determinatam proportionem excessus, & posse ab eo designari. V.g. Deus cognoscit calorem A. excedere calorem B. in dimidio, vel in duplo, vel in aliqua alia proportione. Similiter positis alijs duabus caloribus, scilicet C. & D. quorum unus excedat alium, cognoscit Deus, utrum C. excedat D. quantum A. excedit B. vel an excedat magis, aut minus, quam A. excedit B.

32 Hoc autem necessarium arguit, vel ponendas esse partes intensionis in caloribus, ex quarum numero maiori, vel minori possit mensurari, & cognosci determinatus excessus unius ad alium: vel saltim ponendas esse intra speciem caloris gradus per ordinem se excidentes, qui licet plures non possint simul esse in eodem subiecto

etiam tamen in quolibet subiecto sit formaliter unus illorum continens virtualiter reliquos interiores, modo quo supradictum est.

33 Ex quo vicerius emergit alia difficultas: quia si potest determinari, quotus sit excessus unius caloris ad alium, necessè est, quod in calore detur aliqua divisibilitas, & pluralitas, & consequenter, quod calor sit compositus, sive ex partibus, sive ex gradibus. Ratio est, quia si unus calor excedit alium in tanto; v.g. in dimidio: habet ergo calor excedens tantum, quantum habet calor, qui exceditur, & dimidium amplius: ergo calor minor habet duo dimidia, & consequenter dualitatem saltim in potentia, sicut continuum habet pluralitatem partium saltim in potentia; consequenterque calor erit cōpositus, vel ex partibus intensionis, vel ex gradibus non minus, quam continuum componitur ex suis partibus.

34 Sed dici potest ad hoc, quod quantitas ista, secundum quam attenditur excessus unius caloris ad alium, est quantitas virtutis, non molis: & ideo potest salvare, sine divisibilitate, aut pluralitate, nec in actu, nec in potentia. Sicut inter Angelos datur excessus determinatus in perfectione, & etiam in-

ter species rerum materialium datur gradualis excessus secundum perfectiones essentiales; & tamen, nec in Angelis, nec in Creaturis materialibus datur aliqua divisibilitas quantum ad essentialia, quia omnis essentia consistit in indivisibili. Hæc solutio videtur probabilis; ideoque concludendum est, quod gradus in qualitatibus est terminatio earum secundum maiorem, vel minorem participationem, seu radicationem in subiecto. Solum restat videre, vtrum hæc maior, vel minor participatio, seu radicatio addat aliquid supra ipsam qualitatem? Quod quæst. sequenti examinabimus. Priùs tamen rationibus improbanda est falsitas sententia contrariae: pro quo sit.

§. II.

Probatur intensionem non fieri per additionem gradus ad gradum.

35 **P**rima ratio contra sententiam contrariam sit ea, qua vtitur D. Thomas locis canticis, & proponitur sic. Nomine *gradus* apud contrarios idem significatur, quod additio partis ad partem qualitatis: sed in intensione nulla fit additio partis ad partem: ergo intension non

fit per additionem gradus ad gradum. Min. prob. Ut aliquid addatur alteri, debet praesupponi, & praeconcipi, vt distinctum ab illo, cui additur, non quidem secundum existentiam taliter, quod necessè sit, illud quod additur, priùs extitisse separatum ab eo, cui additur, quia potest Deus alicui corpori addere aliquid, quod priùs non extitit, illud de novo creando. Necessarium est tamen, illud quod additur, secundum essentiam, & entitatem suam intelligi, vt distinctum ab eo, cui additur, quia nihil potest addi, sibi ipse: sed per ordinem ad eandem partem subiecti, circa quam fit intensio, non potest intelligi aliquid qualitatis distinctum, quod addatur parti qualitatis præexistentis in subiecto: ergo nulla additio partis ad partem fit in intensione qualitatis.

36 Mai. est certa, & min. prob. comprehendendo modos, quibus adversarij dicunt, fieri additionem. Nam illud distinctum, quod adderetur, vel esset solo numero distinctum, vel specie ab eo cui additur: sed neutrum esse potest: ergo. Min. per singulas partes probanda est, & primò quoad primam. Quia si illud, quod additur, esset solo numero distinctum à præexistenti, duo accidentia solo

olo numero distincta essent simul in eadem parte subiecti: sed hoc repugnat, quia accidentia numerantur, & multiplicantur numero ad multiplicationem numericam subiecti: ergo illud, quod additur, non potest esse solo numero distinctum à parte, seu gradu præexistenti, cui additur.

37 Secunda autem pars minoris probatur dupliciter. Primò, quia si una pars, seu gradus distinguitur specie ab alia, gradus perfectior debet continere perfectionem inferioris, alias non posset habere rationem gradus, ut suprà dicemus: sed hoc ipso superfluerunt gradus inferiores, & minus perfecti; quandoquidem quidquid præstare possent subiecto præstaretur per gradum superiorum: ergo additio non potest fieri per gradus specificè diversos. Hæc ratio etiam probat de gradibus numericè distinctis, dummodo sint dissimiles, & diversæ rationis: quia unus debet aliud excedere in perfectione individuali, & sic continere perfectionem illius. Nec valet dicere, quod hæc continentia est eminentialis, non formalis: & ideo non superfluent gradus inferiores, sed necessarij sunt, ut formaliter præstent suum effectum subiecto. Nam contra est, quia licet continentia sit emi-

nentialis, est tamen de genere causee formalis, quæ non aliter præstat suum effectum, nisi per informationem, & communicationem sui: ergo si gradus superior continet licet eminentiè perfectionem inferioris, communicando se subiecto debet præstare formaliter effectum formalem suæ continentia, & consequenter per se formaliter facere quidquid faceret gradus inferior. Sicut anima rationalis, quæ eminentiè continet perfectionem animæ sensitivæ, & vegetativæ: quia tamen continet per modum cause formalis, utrumque effectum, scilicet sentiendi, & vegetandi tribuit formaliter, & per se ipsam subiecto.

38 Secundò prob. eadem secunda pars minoris. Nam illi gradus specie distincti, vel sunt compositi, vel simplices, & indivisibiles? Si sunt simplices, & indivisibiles, duo sequuntur: primum est, quod cum quilibet gradus sit pars qualitatis, & quilibet pars qualitatis sit qualitas partialis, sicut quilibet pars quantitatis est quantitas, iam datur qualitas partialis simplex, & indivisibilis. Cur ergo tota qualitas non poterit esse simplex absque vita partium compositione? Secundum quod sequitur est, quod illi gradus, si singuli secundum se conside-

rentur, non possunt habere aliquam intensionem: quia cum non habeant partes, ut supponitur, iam daretur aliqua intension, quæ non constet ex partibus, & sic haberemus inten-tum. Sed si illi gradus non ha-bent aliquam intensionem, non potest ex eis resultare qualitas intensa: etgo. Min. prob. à paritate extensionis. Nam ex pluribus non extensis inter se vnitis, vt sunt puncta indivisi-bilia non potest resultare ali-qui d extensem, vt adversarij eriam fatentur tenentes, con-tinuum non componi ex solis indivisibilibus: ergo pariter ex pluribus gradibus nullam ha-bentibus intensionem non po-test componi qualitas intensa.

39 Si autem dicatur, quod illi gradus sunt compositi: tunc rur-sus queritur, vtrum sint compo-siti ex alijs specie distinctis, vel solo numero? Et si dicatur, quod solo numero: ergo iam datur qualitas partialis composita ex partibus intensionis solo numero distinctis. Cur ergo tota qua-litas non poterit sic componi? Rursus: ergo iam intension qua-litatis componitur simul ex gra-dibus solo numero distinctis, & alijs specie diversis, quod mons-truorum est. Si autem dicatur, quod illi alij gradus sunt specie distincti: ergo non solum qua-litas totalis componitur ex plu-

ribus gradibus, seu partibus specie diversis, sed etiam ipsi gradus constant ex alijs gradibus specificè diversis. Et cum de istis eadem sit ratio, proce-ditur in infinitum, & sequitur, inqualibet qualitate dari infini-tos gradus specie diversos. Et cum singuli ut potè specie distin-gti se excedant in perfectione, seu intensione, sequitur, intensionem cuiuslibet qualitatis esse actu infinitam: quod est incon-veniens.

40 Dices, quod gradus aliquoti, id est certæ, & æqualis intensionis sunt finiti; gradus verò proportionales inclusi in aliquotis sunt infiniti: & hoc si-nè inconvenienti, vt dicitur de partibus continui. Sed contra; quia in hac sententia ponente gradus specie diversos nulli sunt, nec possunt esse gradus aliquoti: ergo ruit solutio. Prob. ant. Quia gradus aliquoti sunt æqualis intensionis, sicut partes aliquotæ quantitatis sunt æqua-lis extensionis: sed si gradus sunt specie distincti, non pos-sunt esse æqualis intensionis, vt per se patet: ergo. Ex quo rursus sequitur, quod nec gra-dus proportionales dentur, quia isti includuntur in aliquotis.

41 Ad hanc rationem re-spondent ponentes gradus solo numero distinctos, vel negan-do, quod plura accidentia solo

numero distincta non possint esse in eodem subiecto , vel admissa hac sententia dicunt , esse veram de pluribus accidentibus distinctis distinctione completa , & totali : non autem de distinctis distinctione partiali , & inadæquata , qualis est illa , quæ datur inter gradus intensionis ; omnes enim constituunt unam numero qualitatem completam . Præterea dicunt , quod illi gradus non sunt numero distincti post additionem unius ad alium , quia sunt unum per continuationem : sicut cum aqua additur aquæ , ex utraque resultat una numero aqua , cum tamen antea essent duas .

42 Sed contra primam partem solutionis , quæ latiorem impugnationem postulabat , sufficiat pro nunc illam sententiam de distinctione numerica accidentium per distinctionem subiectorum esse de mente D. Thomæ illam sèpè docentis . Deinde contra solutionem obstat , quod non videtur perceptibile quid possit præstare subiecto unum accidens omnino simile alteri præexistenti ; sicut si manui albæ addatur alia albedo similis , nullum effectum præstare poterit , quod non præstet prima albedo . Dices : facit illam magis albam : sicut quantitas solo numero distincta ad dita quantitati præexistenti fa-

cit illam maiorem .
43 Sed contra , & retorab quetur exemplum . Nam sicut quantitas se habet ad materiam , ita se habet qualitas ad quantitatem ; omnes enim qualitates corporeæ recipiuntur in substantia media quantitate , & hæc se habet , vt subiectum quo' earum sed non potest addi nova pars quantitatis , nisi addatur nova pars materiae , vt plures ex adversarijs nobiscum fatentur tenentes , rarefactionem fieri , si ne additione nova quantitatis , eo quod sit , sine additione novæ materiae : ergo nec potest addi nova pars qualitatis , nisi addatur nova pars quantitatis ; & consequenter in eadem parte subiecti non possunt recipi duo gradus qualitatis solo numero distincti .

44 Dices : quantitatem esse essentialiter impenetrabilem , & ideò non possunt duas partes illius esse in eadem parte materiae ; gradus autem qualitatis possunt inter se penetrari , & sic penetrati esse in eadem parte subiecti . Sed contra : nam partes intensionis in qualitate , seu gradus illius etiam sunt extensi , sicut ipsa qualitas , quam componunt , est extensa , & quanta , cum sit materialis : ergo participant à quantitate effectum formalem eius , qui est reddere partes eius , quod extendit ,

vnam extra aliam. Quod quidem apparet videatur in ipsa substantia extensa per quantitatem: quia non solum quanticas habet partes, extra partes, sed etiam substantia ratione quantitatis habet partes extra partes, ita ut sub unaquaque parte quantitatis distincta sit etiam pars substantiae distincta. Eodem ergo modo qualitates, quae extenduntur, quatenus recipiuntur in substantia quanta, & extensa, habent partes extra partes extensas in ordine ad se. Ergo si gradus intensionis sunt extensi, ut negari non potest, quilibet pars intensionis est extra aliam. Sed si est extra aliam, habet distinctam extensionem, ac habet alia: ergo habet distinctam quantitatem. Sed si habet distinctam quantitatem, non possunt duo gradus esse in eadem parte subiecti, sicut duæ distinctæ quantitates non possunt esse in eadem parte subiecti: ergo repugnat, quod gradus plures sint in eadem parte subiecti.

45 Dices r. nos in hoc argumento confundere partes intensionis qualitatis cum partibus extensionis eiusdem qualitatis, & ideo argumentum nihil valet: quia licet necessarium sit, quod una pars extensionis sit extra aliam, non tamen sic est de partibus intensionis: pos-

sunt enim plures partes intensionis esse in eadem parte extensionis, immo, & indivisibili, & in puncto extensionis dantur plures partes intensionis, ut expressè asserit P. Rubio.

46 Sed contra, quia potius sententia adversa confundit quantitatem cum qualitate ponendo qualitatem, quo ad intensionem esse continuam, sicut quantitas ratione sue extensionis continua est; quod infra magis declarabimus. Interin tamen argumentum factum manet in sua vi: nam admissa distinctione partium intensionis à partibus extensionis, ut admittimus disputationis gratia, semper tamen verum est, illas partes intensionis esse extensas in qualitate materiali, quamvis extensio earum sit distincta ab intensione, quod non negamus, Etenim in nostra sententia etiam est verum, intensionem distinguiri ab extensione, qualitatis; negamus autem, partes intensionis distingui à partibus extensionis, non quia sint idem, sed quia nullæ dantur partes intensionis, ut existimat adversarij. Eis autem datis procedit argumentum: quia cum tales partes debeat etiam extendi per quantitatem, iam una erit extra aliam, & unicuique correspondet distincta quantitas, seu extensio; consequenterque dif-

distinctæ partes, vel gradus intentionis non poterant esse sub eadem quantitate, nec in eadem parte subiecti. Sicut partes substantia extensæ licet sint distinctæ à partibus quantitatis, per quam extenduntur: tamen hoc ipso, quod sint extensæ, una est extra aliam, & unaqueque sub distincta parte quantitatis, ac ex alia.

47 Illud autem, quod additur, scilicet, quod in puncto, seu indivisibili extensionis possint dari plures gradus intentionis, est aliud mirabile, vel potius impossibile, quod continet hæc sententia. Nam sequitur, quod naturaliter detur aliqua qualitas corporea, quæ non sit extensa. Sequela patet, quia illæ partes intentionis, quæ sunt in puncto extensionis, constituunt aliquam qualitatem saltim partialem, cum in hac sententia qualitas nihil aliud sit, quam plures partes intentionis unitæ: sed in puncto indivisibili non possunt esse extensæ, quia punctum est inextensum: ergo illa qualitas partialis, quæ est in puncto extensionis, non est, nec potest esse extensa.

48 Secundo dices, quod argumentum factum æquæ vrget nos. Nam etiam in nostra sententia intensio qualitatis debet esse extensa, cum consistat in ipsa qualitate, quæ extensa est,

vel in aliquo superaddito qualitati, quod eadem ratione, qua qualitas est extensa, extensum esse debet: ergo negare non possumus, quod intensio habeat partes. Et tamen istæ partes debent esse in eadem parte subiecti, quia intensio semper debet fieri circa eandem partem subiecti, alias non esse intensio, sed extensio qualitatis: ergo etiam si partes intentionis sint extensæ, poterunt esse in eadem parte subiecti. Sed contra: quia licet in nostra sententia qualitas intensa sit extensa: eius tamen intensio non est extensa, sed consistit in indivisibili, ita quod tota intensio est in tota ea parte subiecti, quæ habet qualitatem in tali gradu; v.g. ut duo, & tota in qualibet parte illius partis subiecti. Vnde si ponamus calorem extensem per palnum, & intensem, ut duo in omnibus partibus palni: diviso palmo, intensio caloris non dividitur, sed tota manet in qualibet parte divisionis. Nec obstat id, quod dicitur in contra. Quia etiam punctum est in linea extensa, & tamen non est extensem. Si vero teneamus, quod intensio nihil reale addit ad entitatem qualitatis: adhuc non sequitur, eam extendi, quia intensio dicit qualitatem, ut terminatam, & prout sic consistit in indivisibili.

Nunc

49 Nunc autem impugnat secunda pars solutionis datae ad primam probationem nostram. Nam sicut distinctio numerica totalis requirit distinctionem numericam totalem subiecti, ita distinctio numerica partialis accidentium requirit distinctionem numericam partialem subiectorum : ergo nulla est solutio. Ant. prob. in quantitate comparata cum substantia. Nam etiam partes unius corporis quanti; v.g. aquæ sunt quantitates partiales integrantes, & componentes unam totalem: & tamen unaquaque illarum requirit distinctionem partialem in substantia aquæ; ita ut sicut duas quantitates partiales distinguuntur inadæquate, & partialiter, eodem modo substantiae partiales, in quibus sunt, distinguuntur etiam partialiter, & inadæquate: ergo.

50 Per quod etiam excluditur illud de additione aquæ ad aquam, & unitate eius per continuationem. Nam licet verum sit, quod tunc casus fiat una aqua totalis ex duabus: tamen semper quantitas aquæ, quæ additur, avertit secum distinctam substantiam aquæ à substantia alterius, cui additur. Nec posset fieri talis additio, & unitas per continuationem, nisi ante præexistisset aqua, quæ additur, cum sua propria quantitate.

tate, vel saltim producetur de novo quantitas simul cum nova parte substantiae: vel denique in aqua, cui fit additione, præcessisset aliqua pars substantiae, quæ non habuisset quantitatem, & de novo illam acquireret. Et hæc est ratio D. Thomæ supra insinuata comprehendens modos, quibus potest fieri augmentum per additionem: in quibus omnibus semper datur additione subiecti saltem partialis ad subiectum: ergo si standum est exemplo additionis aquæ ad aquam, eodem modo debet fieri additione caloris ad calorem, ut ex eo resultare possit unus numero calor totalis; consequenterque nova pars caloris requirit distinctum subiectum saltim partiale.

51 Præterea impugnatur eadem solutio. Quia si calor additus continuaretur in eadem parte subiecti cum alio gradu caloris præexistenti, talis continuatio, vel fieret per hoc, quod extensio caloris additi continuatur cum extensione caloris præexistentis: vel esset alia continuatio non de linea extensionis, sed de linea intensionis? Si primum: sequitur, quod non eadem extensio corresponeat calori addito, quæ erat in præexistenti, & sic unusquisque habebit suam distinctam extensionem partialem, & non erit, vter-

Necque gradus in eadem parte subiecti. Sequela patet, quia extensiones continuae, seu continuatae non possunt, non esse distinctae, ut patet in quantitate continua. Si dicatur secundum: ergo datur alia continua, & consequenter aliud continuum præter illud, quod est in genere quantitatis; quod non videtur intelligi posse.

52 Et quia huc devenimus, secunda probatio nostræ sententiae erit destruendo ea, quæ circa compositionem qualitatum, & intensionis earum circumferuntur ab adversarijs; eis enim revera quadrat illud D. Thomæ loco suprà citato ex 1. sentent. vbi ait de asserentibus, augmentum charitatis fieri per additionem charitatis ad charitatem, quod ista positio provenit ex falso imaginatione, quod augmentum charitatis imaginati sunt ad modum augmenti corporalis, in quo sit additio quantitatis ad quantitatem. Revera enim AA. oppositi eodem modo componunt, & continuant partes, quas ponunt, intensionis in qualitate, sicut in quantitate Philosophi consti-tuant continuationem partium, & unitatem. Ita tenet P. Suarez in Metaph. disp. 46. sect. 3. dicens, quod latitudo intensiva qualitatis est in infinitum divisibilis, eadem proportione, qua-

linea, vel alia qualitas continua.

53 Sed inter eos, quos videre potui, P. Rubio expressius hanc compositionem qualitatis admodum quantitatis continua ex propria mente, & aliorum RR. quos citat suppresso nomine, declarat lib. 1. de Generat. cap. 4. tract. 3. quæst. præcipue 4. & duabus antecedentibus. Igitur hic A. quæst. 4. ponit primo, quod cum qualitas extensa habeat partes extensionis, & hæc extensio sit continua, necesse est, quod habeat sua indivisibilia continuativa: & hæc sunt puncta, seu indivisibilia extensionis. De ipsis autem indivisibilibus continuantibus extensionem qualitatis dicit, esse, vel posse esse intensa. Ex quo dicit secundo, hanc intensionem indivisibilium extensionis, cum habeat partes in sua sententia, continuari alijs indivisibilibus, quæ vocantur indivisibilia intensionis, sicut puncta in qualitate dicuntur indivisibilia extensionis. Et quia indivisibilia in eo genere in quotalia sunt, carent ea divisibilitate, quam habent partes, quas continuant: ideò hæc indivisibilia intensionis, quibus continuatur intensione indivisibilium extensionis, carent intensione, sicut puncta continuativa quantitati carent extensione. Rursus, quia hæc eadem indivisibilis

intensionis sunt continuativa intensionis rei inextensa, id est, indivisibiliū secundum extensionem: consequens est, quod talia indivisibilia careant etiam extensione; & consequenter sint indivisibilia omnino, id est, tām secundum intensionem, quām secundum extensionem.

54 Tertiō ponit, quod partes qualitatis, quae extensa sunt per partes subiecti, habent suam propriam intensionem distinctam ab intensione indivisibilium extensionis, ut constat ex num. 136. quæst. 4. citatæ. Et cum hæc intensio partium qualitatis extensarum per partes subiecti fiat continuē, & successivè, consequens est quod habeat suas partes, scilicet, partes intensionis. Ex quo rursus sequitur, quod istæ partes intensionis debent habere sua indivisibilia, quibus continuuntur. Et huiusmodi indivisibilia continuativa intensionis partium qualitatis dicit esse eos, qui communiter vocantur gradus: ut calor, ut duo, vel ut tria, &c.

55 Quia verò hæc indivisibilia continuant intensionem partium qualitatis, debent carere intensione, ea ratione, qua ut supradictum est, omne indivisible continuativum aliquarum partium caret ea divisibilitate, & latitudine, quam habent partes, quas continuant.

Cœterū, quia hæc eadem indivisibilia continuant intensionem partium qualitatis sunt, ut dictum est, gradus ipsius qualitatis: & isti gradus extenduntur per partes subiecti, ut notum est, quia calor, ut duo, v.g. potest extendi per totam manum; consequens est, quod hæc indivisibilia sint extensa, & divisibilia secundum extensionem. Vnde ea appellat prædictus A. indivisibilia intensionis tantum, seu secundum intensionem tantum, ad differentiam aliorum indivisibilium, de quibus supradictum est, quæ continuant intensionem indivisibilium extensionis, & appellantur indivisibilia omnino. Ex hoc autem, quod hæc indivisibilia continuant intensionem partium extensarum sunt extensa, sequitur, quod debeant etiam habere sua indivisibilia, quibus eorum extensio continuetur; quæ indivisibilia sunt illa eadem, quæ supra posita sunt pro continuanda intensione indivisibilium extēsionis.

56 Hæc prædictus A. quæ ex solo aspectu satis imperceptibilia videntur. In eis tamen, omittendo, quod videtur ponere distinctam extensionem in partibus qualitatis ab extensione, seu quantitate, per quam extenditur subiectum eiusdem qualitatis; sicut etiam, quod

ponit indivisibilia in actu, tam in quantitate, quam in qualitate, quod 6. Phisic. reiçimus quantum ad indivisibilia pure continuativa. His, inquam, omissis, quia ad præsentem parum, aut nihil refert: sequentia inconvenientia in prædictis continentur.

57 Primò, quia ut supràditum est, si indivisibilia extensionis habent intensionem, sequitur, quod aliqua qualitas materialis, nec sit, nec possit esse extensa. Secundo contra idem primum dictum huius A. quæro, vtrum hæc intensione indivisibilium extensionis continuatur cum intensione partium qualitatis, vel non? Et si continuatur: ergo vtraque intensione, scilicet indivisibilium extensionis, & partium qualitatis constituit unam numero intensionem continuam: ergo eadem, & eiusdem rationis indivisibilia erunt continuativa utriusque intensionis. Et sic deficit tertium dictum, in quo ponit distincta indivisibilia pro continuanda intensione partium qualitatis. Si autem intensione indivisibilium extensionis non continuatur cum intensione partium qualitatis: ergo in qualitate intensa datur duplex intensione discontinua, una, scilicet, indivisibilium extensionis, & alia partium qualitatis: imò non

duplex, sed infinitæ intensiones discontinuae dabuntur inqualibet qualitate, cum indivisibilia extensionis eius infinita sint. Sed intensiones discontinuae sunt intensiones saltim numero distinctæ: ergo in eodem numero calore extento, v.g. per palum, dantur plures intensiones caloris discontinuae; & consequenter dantur plures calores discontinui, & saltim numero distincti, quod manifestè falsum est.

58 Tertiò contra tertium dictum, in quantum ponit, quod indivisibilia continuantia intensionem partium extensionarum qualitatis sunt ipsi gradus eiusdem qualitatis, & sunt indivisibiles secundum intensionem. Nam ex hoc sequitur, quod gradus qualitatis careant intensione: sed intensione qualitatis in sententia opposita componitur ex gradibus: ergo componitur ex indivisibilibus secundum intensionem, seu ex gradibus non intensis. Sed hoc est impossibile, ut suprà arguebamus numeri. 38. & non minus inconveniens, componere quām continuum ex punctis indivisibilibus: ergo falsa est talis positio. Præterea. Si indivisibilia continuantia intensionem partium qualitatis sunt illi, qui vocantur gradus: quæro, quas partes intensionis continent? Cum enim in hac

sententia partes intensionis nihil aliud sint , nisi gradus intensionis , sequitur , quod hæc indivisibilia , quæ vocantur gradus , vel se ipsa continent , quod est impossibile : vel nihil continent.

59 Fortè dices , quod gradus , qui ponuntur tamquam indivisibilia continuativa intensionis partium qualitatis , non ideo sunt indivisibilia secundum intensionem , quia revera entitativè sumpta non habeant suam intensionem , & divisibilitatem ; sed quia reduplicata eorum quantitate , seu latitudine determinata consistunt in indivisibili. Etenim esse , vt duo , vel , vt tria in indivisiibili consistit : si enim aliquid addatur , vel auferatur à calore vt duo , iam non erit vt duo. Quæ solutio colligitur ex doctrina Authoris , quem impugnamus. Sed contra : quia hoc verum est ; coeterum latet æquivocatio in assignando indivisibili continuativo , & revera nullum assignatur. Ratio est , quia etiam in quantitate si reduplicetur eius terminatio , verum est , quod consistit in indivisiibili. V. g. esse quantum quantitate palmari consistit in indivisiibili : sive enim addatur , sive auferatur aliquid à quantitate palmari , iam non erit palmatis , sed maior , aut minor .

Sicut ergo quantitas palmaris , vel alia quæcumque non potest esse indivisibile continuativum propter talem indivisibilitatem reduplicativam : sed deber ponit pro continuativo partium quantitatis aliquid , quod omnino , & absolute careat illa divisibilitate , quam habent partes , quas continuat : vt sunt puncta respectu linearum , & linea respectu superficierum , &c. ita continuativum intensionis partium qualitatis debet esse aliquid omnino carens latitudine intensionis. Vnde vel adversarij debent ponere in intensione puncta simpliciter talia , & consequenter etiam lineas de genere intensionis , quod est confundere naturam qualitatis cum quantitate ; vel nullo modo possunt salvare continuacionem intensionis , quam intendunt.

60 Quartò etiam contra tertium dictum quatenus ponit , quod indivisibilia continuativa intensionis partium qualitatis sunt divisibilia secundum extensionem , & eorum extensio continuatur per illa prima indivisibilia , quæ supra posita sunt pro continuanda intensione indivisibilium extensionis. Nam continuatas intensionis distincta est à continuitate extensionis , sicut intensio distincta est ab extensione : ergo quod

est continuativum intensionis, non potest esse continuativum extensionis, quæcumque illa sit, nisi intensio confundatur cum extensione, & qualitas cum quantitate, ut reverè videntur confundi in sententia opposita.

61 Dices, quod indivisi-
bilia continuantia intensionem
indivisibilium extensionis, ideo
possunt continuare exten-
sionem indivisibilium continuan-
tium intensionem partium qua-
litatis, quia talia indivisibilia
sunt indivisibilia omnino, id est,
tam secundum intensionem, quam
secundum extensionem, ut supra
dictum est. Per illud autem, quod
est indivisible secundum exten-
sionem benè potest continuari
extensio. Sed contra: quia
etiam hic latet alia æquivoca-
tio. Aliud enim est, quod ali-
quid sit indivisible extensionis,
aliud, quod sit indivisibile
secundum extensionem. Esse
indivisible secundum exten-
sionem potest aliquid, etiam si
omnino sit extra genus exten-
sionis, vel quantitatis, sicut An-
gelus, vel alia res immaterialis;
esse autem indivisible exten-
sionis necessario requirit, quod
licet tale indivisible non sit
extensem, tamen pertineat ad
genus quantitatis, seu exten-
sionis: ut patet in puncto, quod
nec est quantum, nec extensem,

sed tamen pertinet ad genus
quantitatis tamquam termina-
tivum eius. Sed indivisibili-
le continuativum intensionis
indivisibilium extensionis licet
sit extensem, non tamen perti-
net ad genus extensionis, quia
non continuat extensionem,
quippè, quæ nulla est in indivis-
ibilibus extensionis, sed solum
intensionem: ergo non potest
continuare extensionem indi-
visibilium intensionis partium
qualitatis.

62 Denique contra idem
tertium dictum. Nam quod
partes qualitatis extensæ per
partes subiecti habeant suam
intensionem continuatam suis
indivisibilibus, potest habere
duplicem sensum. Unus est,
quod ista continuatio intensionis
intelligatur de partibus in-
tensionis, quæ sunt in eadem
parte subiecti, itaut istæ partes
intensionis continuantur inter
se suis indivisibilibus in adem
parte subiecti. Alius sensus esse
potest, quod continuatio in-
tensionis intelligatur de parti-
bus intensionis, quæ sunt in una
parte subiecti, cum partibus
intensionis, quæ sunt in alia
parte subiecti, itaut intensio
vnius partis subiecti, vel intensio
qualitatis, quam habet in una
parte subiecti continuetur cum
intensione, quam habet in alia
parte subiecti. Contra primum
sen-

sensum, qui planius est, nihil se offert praeter iam dicta; sed contra secundum, si forte, ut videtur, intendatur a praedicto Authore, obstat, quod si ponatur albedo extensa per palnum, cuius intensio aequalis sit; v.g. ut duo in omnibus partibus palni: tunc si continua-
tio intensionis fieret taliter, quod una pars intensionis, v.g. pars intensionis, quae est in di-
midio palmo, continuetur continua-
tione intensiva, de qua
hunc loquimur, cum intensione,
quae est in alio dimidio palmo:
ex utraque parte intensionis
continuata indivisibilibus
intensionis, & consequenter
continuatione intensiva, resul-
taret maior intensio, quam ut
duo: ergo illa albedo, quam
supponimus solum esse inten-
sam ut duo, esset simul magis
intensa per talem continuationem intensionis, quam ut duo;
quod est contradicatio. Sequela
negari non potest; alias si inten-
sio continuata cum intensione
continuatione intensiva non
facit maiorem intensionem: nec
gradus additus gradu, & continuatus cum eo faciet qualita-
tem intensam: & sic continua-
tio nihil conduceat ad inten-
sionem, ut nos intendimus.

63 Ex dictis in hoc discursu
lucem, & robur accipit alia ra-
tio, que communiter assertor-

contra additionem graduum,
videlicet, quod partes, seu gra-
dus qualitatis, nec possunt se
habere per modum actus, & po-
tentiae, quia unus non est for-
ma alterius; nec aliunde pos-
sunt uniti ad constituendam
unam qualitatem per modum
partium integralium eius. Quia
integralitas partium requirit in
eis unitatem continuationis: quae
unitas est propria quantitatis,
nec congruere potest qualitati,
ut visum est. Alia autem uni-
tas, quae excogitari posset in
qualitate composita ex parti-
bus ad similitudinem eius, quam
aliqui ponunt in habitibus ci-
entiarum, quas dicunt esse compo-
sitas ex pluribus scientijs parti-
bus specie diversis, hic locum
non habet. Quia haec unitas est
veluti artificialis per ordinem
ad aliquod obiectum, quod ali-
qualiter attingunt illae scientiae
partiales, vel ad quod ordinantur
aliqnomodo ea, quae in eis-
dem scientijs traduntur; & hoc
intensioni qualitatum adaptari
non potest. Praeterquamquod
additio illorum habituum, vel
alicuius eorum non facit inten-
sionem illius scientiae, quae ex
eis constatur, sed solam exten-
sionem maiorem. Vnde etiam
dato, quod partes qualitatis
facerent hoc modo aliquid
vnum, adhuc qualitas ex eis com-
posita non evaderet intensa.

Tang

64 Tandem prob. 3. conclusio nostra. Ideò ab adversarijs asseritur , qualitatem intendi per additionem gradus ad gradum , & ex gradibus componi, quia qualitas cum terminet motum alterationis debet habere aliquam latitudinem , & divisibilitatem ; alias si esset omnino indivisibilis sicut substantia , non posset terminare motum in sui intensione : sed etiam ipsi tenentur admittere aliquam latitudinem , in qua non detur compositio partium: ergo etiam si qualitas habeat latitudinem requisitam ad terminandum motum , non ideo erit composita ex partibus , vel gradibus. Mai est vna ex rationibus eorum , min. autem prob. Nam plures gradus , & partes qualitatis recipiuntur iuxta adversarios in eadem parte subiecti : ergo eadem pars subiecti actuata per vnum gradum adhuc habet potentialitatem , & capacitatem , vt recipiat alium , & ultra hunc alium , usque ad vitium , in quo sistere debet intensio. Ergo capacitas vnius , & eiusdem partis subiecti habet suam latitudinem : secundum quam potest plures , & plures gradus qualitatis recipere , & per eos magis , ac magis actuari. Sed haec latitudo salvatur absque eo , quod potentialitas subiecti constet partibus ; ergo

pari ratione latitudo qualitatis salvari debet , absque illa compositione partium in qualitate.

65 Min. subsumpta , in qua poterat esse difficultas , ad minus in capacitate rerum spiritualium ad recipiendum qualitates supernaturales , vt gratiam , & charitatem , negari non potest. Nam cum haec capacitas sit in anima rationali , vel in Angelis in quibus nulla est compositione partium : nec ipsa capacitas in eis potest partibus constare. Sed probatur etiam universaliter de capacitate subiecti materialis ad recipiendum qualitates materiales. Quia si capacitas subiecti habet partes , vel illae sunt partes extensionis , vel alterius generis ? Non primum : quia distinctæ partes extensionis incapacitate ad hoc deservirent , vt in unaquaque parte capacitatis reciperetur distinctus gradus qualitatis ; & hoc dato non fieret intensio qualitatis propter duo. Primo. Quia quilibet gradus recipere tur in distincta parte subiecti , siquidem reciperetur in distincta parte extensionis capacita tis subiecti. Secundo , quia hoc ipso , quod quilibet gradus recipiatur in distincta parte capacitatibus , vna pars huius capacitatibus , non esse ulterius actuabilis per alium gradum : conse quens

quenterque non posset magis participare de qualitate , nec habere eam in maiori gradu intentionis. Nec etiam potest dici secundum , videlicet , quod partes capacitatis sint alterius generis : quia sic essent partes intentionis , capacitasque ipsa esset intensa ; consequenterque esset quædam qualitas , quod est ridiculum.

§. III.

Solvuntur argumenta.

66 **P**rimò arguitur ex D. Thoma , qui loco citato §. 1. docet ut vidimus , qualitates augeri secundum essentiam : ergo iuxta D. Thomam per intentionem augetur essentia , seu entitas qualitatis. Sed essentia non potest augeri , nisi ei aliquid addatur : ergo augmentum qualitatis intensivum fit per additionem. 2. Nam idem D. Thomas in eodem loco sic ait: *Similiter etiam in ipsa (scilicet charitate) essentialiter est virtus ordinata ad actum: unde idem est ipsam augeri secundum essentiam , & ipsam habere efficaciam ad producendum ferventeris dilectionis actum , augetur ergo essentialiter , non quidem ita ut esse incipiat , aut esse definit in subiecto : sed ita quod*

magis , ac magis in subiecto esse incipiat. Ex quibus verbis hæc ratio deducitur : qualitas intensa habet maiorem virtutem ad operandum , quam qualitas remissa , ut patet in calore , ut quatuor magis vrente , quam calor ut duo : sed virtus operandi non est aliud , quam essentia , seu entitas qualitatis : ergo plus entitatis habet dum est intensa , quam habebat , dum erat remissa ; & consequenter aliquid entitatis additur ei per intentionem.

67 **T**ertiò. Nam Aristoteles 4. phisic. text. 85. ait: *Vt enim ex frigido fit calidum , & ex calido frigidum , quia eadem , que erat in potentia , sic , & ex calido fit magis calidum. Ex quibus sic : iuxta Philosophum ex calido fit magis calidum , sicut ex frigido fit calidum : sed ex frigido fit calidum per eductionem entitatis caloris de potentia subiecti : ergo etiam ex calido fit magis calidum per educationem alicuius caloris partialis.*

68 **Q**uartò. Intensio qualitatis non potest fieri absque eo , quod aliquid reale realiter distinctum à qualitate præexistente addatur : sed illud reale non potest esse , nisi entitas partialis eiusdem qualitatis : ergo intensio fit per additionem entitatis partialis. Mai. & min.

sunt probanda; & primò major sic. Intensio est motus realis, & sapè realiter distinctus à prima productione qualitatis, ut patet in calore, qui postquam productus est ab uno igne, intenditur ab alio: sed motus realis distinctus à prima productione qualitatis debent producere aliquid, quod non esset productum per primam productionem, ut per se patet: ergo producit aliquid realiter distinctum à qualitate præexistente. Ulterius probatur eadem maior. Illud, quod producitur per intensionem, est realiter separabile à qualitate, quæ intenditur: ergo est realiter distinctum ab ea. Conseq. patet, & ant. prob. Nam qualitas ante intensionem non habebat illud, quod per intensionem acquirit: item posteà per remissionem potest illud amittere: ergo illud, quod additur per intensionem, est realiter separabile à qualitate.

69 Nunc autem prob. min. principalis. Nam illud, quod additur non potest esse solus modus maioris radicationis: ergo debet esse aliqua entitas partialis. Ant. prob. primò. Nam virtus agendi in qualitate est ipsam etiis qualitatis, & non aliquis modus: sed per illud, quod additur in intensione, qualitas habet majo-

rem virtutem operandi: ergo illud non est modus, sed entitas addita qualitati. Secundò prob. idem aut. Non potest qualitas esse magis radicata in subiecto, nisi perficiatur secundum propriam entitatem: ergo repugnat, qualitatem habere modum maioris radicationis, nisi ei addatur aliquid de entitate. 3. Quia si in intensione solum adderetur modus maioris radicationis in subiecto: tunc in casu, quod duas qualitates una intensa, & alia remissa separarentur per Divinam Potentiam à subiecto, non essent inter se distinctæ, quod patet esse falsum. Sequela prob. Quia in eo, casu nullam haberent radicationem in subiecto, cum in eo non essent: ergo.

70 Quintò arguitur, & simul confirmatur præcedens ratio. Nam si in intensione non producitur entitas qualitatis, sed solus modus, sequitur, qualitatem numquam produci, sed modum tantum, & sic qualitatem nihil esse præter modum: quod est omnino falsum. Sequela prob. Qualitas materialis non producitur, nisi per motum intensionis, itaut simul fiat qualitas, & intensio eius: ergo si per intensionem non producitur entitas qualitatis, sed solus modus, qualitas numquam producitur, vel consistit in solo

modo. Nec valet dicere, quod idem motus alterationis est simul productio entitatis qualitatis, & intensio eius: & prout est productio terminatur ad entitatem qualitatis, prout autem est intensio terminatur ad modum maioris radicationis. Nam contra est, quod entitas qualitatis non sit tota simul, alias fieret in instanti, & non per motum, nec successivè: ergo habet partes, quæ sunt successivè per partes motus alterationis: ergo vel istæ partes sunt entitates partiales: & sic habetur intentum; vel sunt modi: & sic qualitas resolvitur, & evanescit in modos.

71 Denique arguitur à paritate. Nam lux augetur, & intendi turper additionem luminis ad lumen: ergo etiam reliquæ qualitates intenduntur eodem modo. Ant. prob. Si eidem medio applicentur duo luminosa, inter quæ sit aliquod corpus opacum, resultant duæ umbræ: quod signum est, quod unumquodque luminosum producit distinctum lumem in medio: ergo lux intensa, quæ est in medio, cōponitur ex duplice lumine partiali. Confitmatur. Id, quod advenit iusto per augmentum gratiæ, reddit illud obiectum congruum maiori dilectione Divina, quam anteā erat: sed nihil reddit hominem obie-

ctum congruum Divinæ dilectionis, nisi gratia: ergo id, quod advenit iusto per augmentum gratiæ, est aliqua gratia. Sed non illa, quam antea habebat, quia hæc non advenit de novo: ergo est aliquis gradus, seu pars gratiæ addita præexistenti.

72 Respondetur ad 1. ne gando min. sublumptam, quæ non probatur, nec ex verbis D.Thomæ vlo modo colligitur; quin potius oppositum, ubique asseritur à S.Doct. ut in antecedentibus constat. Quare simpliciter verū est, qualitatem augeri secundum essentiam, & essentiam qualitatis, seu entitatem eius augeri, non quia pars essentiæ, aut entitatis de novo adveniat: sed quia entitas simplex qualitatis magis inest, & participatur à subiecto. Vnde ipse D.Thomas Quodlib.9.art. 13. docet, quod dum dicitur charitatem augeri secundum essentiam, ly secundum essentiam denotat subiectum, de quo verificatur augeri, quia ipsa essentia charitatis est, quæ augetur.

73 Ad 2.deductum ex verbis eiusdem D.Thomæ negatur utraque consequentia, quæ male deducitur ex antecedenti. Imò potius, quia virtus operandi est ipsa essentia qualitatis, v.g. caloris, sicut essentia calo-

ris augetur , sine additione , sed solum , quia magis radicatur , seu inest subiecto : ita virtus eius augetur , & est maior , in quantum magis participatur à subiecto . Hoc ipsum docuit D. Thomás 2. 2. quæst. 24. art. 5. in corp. per hæc verba : *Hoc enim est augmenti modus proprius cuiuslibet forma , que intenditur: eo quod esse huius forma totaliter consistit in eo , quod inhæret susceptibili. Et ideo cum magnitudo rei consequitur esse ipsius formæ , formam esse maiorem hoc est , eam magis inesse susceptibili , non autem aliam formam advenire. Vbi expresse afferit , quod formam esse maiorem , quod est idem , ac habere maiorem virtutem , consistit in eo , quod magis actuat , & insit suo susceptibili.*

74. Pro cuius solutionis maiorí intelligentia notandum est , quod qualitas non dicitur habere virtutem operandi ut *quod* , quasi ipsa sit habens , & virtus sit illud , quod habet ; sed dicitur habere virtutem intransitivè , & per identitatem , quia est ipsa virtus operandi . Subiectum autem est propriè quod habet , seu habens virtutem operandi , in quantum participat , qualitatem . Vnde sicut subiectum habet maiorem virtutem , in quantum magis participat , & magis sit in actu per qualita-

tem , quæ est virtus operandi : ita ipsa virtus est maior , in quantum magis participatur à subiecto , & magis illud actuat .

75. Sed dices : qualitatem esse maiorem secundum intentionem est eam esse perfectio rem : sed per esse in subiecto forma non perficitur , sed potius imperficitur ; quia forma limitatur à subiecto : ergo qualitas non potest reddi maior , aut perfectior per hoc , quod magis insit subiecto . Resp. minorem negari posse de formis accidentibus , quia perfectio accidentis dependet à subiecto , sicut ipsum accidens , quia est entis ens , dependet inesse à subiecto . Deinde dico , quod forma limitatur à subiecto quantum ad individuationem , quia per subiectum habet esse hæc numero , & non alia , cum tamen ex conceptu proprio non determinet , sibi aliquam individuationem . Cœterū quantum ad perfectionem suæ speciei , & augmentum , quod intra suam speciem potest recipere , perficitur per hoc , quod magis insit , & radiceretur in subiecto : quia cum perfectio eius sit actuare subiectum , quanto magis in eo radicatur , magis actuat .

76. Ad 3. deductum ex Philosopho resp: intentum Philosophi in illo loco esse probare contra antiquos , quod rarefa-

ctio non sit per adventum novæ materiæ , sed quia eadem materia , qua est sub minore quantitate est in potentia ad maiorem. Hoc constat ex ipso contextu , & expositione D. Thomæ ibidem. Et ad hoc probandum vritur Aristoteles exemplo intensionis : quia sicut quando aliquid ex frigido fit calidum , ibi non est novum subiectum , nec nova materia , sed idem subiectum , quod erat in actu frigiditatis , quia simul est in potentia ad caliditatem, postea fit calidum per reductionem huiusmodi potentiarum ad actum calorū ; ita dum ex minus calido fit magis calidum, idem subiectum , & eadem omnino materia transit de minus calido ad magis calidum.

77 Quare ad formam argumenti neg. conseq. quin prius oppositum sequitur : quia sicut dum aliquid transit de calido in frigidum , vel de frigido incalidum , educitur entitas caloris de potentia subiecti , quia anteā non erat in actu per calorem : ita quia dum fit magis calidum præsupponitur in actu per calorem , non debet educi de eius potentia aliquis calor , qui anteā non fuerit , sed magis educi ille idem , qui prius erat. Hac solutio est D. Thomæ 1. 2. quæst. 52. art. 2. ad 3. Vbi cum sibi obiecisset idem

argumentum , respondet , quod id , quod nondum est calidum , est in potentia ad formam ipsam tamquam nondum habens formam , & ideo agens causat novam formam in subiecto ; sed id quod est minus calidum non est in potentia ad formam , cum iam actu formam habeat , sed est in potentia ad perfectum participationis modum. Et 2. 2. quæst. 24. art. 5. ad 3. Non oportet ut aliquid insit , quod non infuerit , sed quod magis insit , quod prius minus inerat.

78 Dices quomodo potest forma magis educi , quam prius , vel magis inesse , nisi aliquid eius educatur , quod prius non erat educatum , & aliquid eius insit , quod prius non inerat? Hoc est , quod intelligere non valent adversarij , & quod impossibile reputant ; sed D. Thomas expresse illud affirmat , & oppositum scilicet , quod forma augeatur per additionem alicuius , quod prius non erat in subiecto , dicit se intelligere non posse. Quomodo autem possit esse , postea dicetur : interim breviter dico , ideo esse posse , quia forma accidentalis in fieri , & esse suscipit magis , & minus , vt est compertum apud Philospphos. Non autem suscipit multum , & paucum , nec plus , & minus , prout minus contraponitur ad plus : quam-

vis recipiat minus, ut contra-
positum ad magis. Si autem
aliquid qualitatis, quod prius
non erat, educeretur: plus de
qualitate esset in subiecto, quam
antea, non tamen qualitas esset
magis in subiecto, ut supra §. I.
arguebamus.

79 Ad 4. omitto pronunciam
maiorem cum suis probationibus,
& nego min. Ad 1. probat.
distingo min. Habet maiorem
virtutem, entitative, &
quoad substantiam, nego min.
maiorem quoad explicationem,
concedo min. & nego conseq.
Quia eadem virtus entitative
hoc vel illo modo participata,
seu magis, vel minus radicata
subiecto potest producere effec-
tum perfectiorem: & sic iuxta
diversitatem modi radicationis
in subiecto dicitur, & est maior,
vel minor virtus operandi, qua-
tenus ut tali modi radicata po-
test magis, vel minus explica-
re suam virtutem.

80 Et instatur argumentum
contra Rubio, cuius est.
Nam ipse tenet, quod eadem
quantitas rarefacta, quin in se
fiat maior, quia per rarefactio-
nem non additur nova pars
quantitatis in eius sententia,
potest tamen occupare maiorem
locum, quam ante a occu-
pabat, per hoc solum, quod
partes quantitatis varientur
secundum diversam positio-

nem, & secundum diversum
modum se habendi in ordine
ad locum. Sicut ergo in eius
sententia quantitas omnino in-
variata quoad entitatem, quia
tamen per rarefactionem ac-
quirit novum modum positio-
nis partium, potest maiorem
locum occupare, non obstante,
virtus occupativa loci sit in dis-
tingua ab ipsa quantitate, vel
saltim sit passio eius, ut ipse
concedit: ita in nostra eadem
entitative virtus operandi tali
modo radicationis affecta pote-
rit perfectiorem effectum pro-
ducere, quam sine illo poterat.
Ad 2. probat. eiusdem min. ne-
go conseq. Quia per solum
modum maioris radicationis
perficitur qualitas secundum
propriam entitatem, eo quod
eius esse est inesse, & radicari in
subiecto, ut inquit D. Thomas.

81 Ad 3. prob. in primis
si argumentum velit, quod qua-
litas separatur ab omni omnino
subiecto, scilicet, tam à sub-
stantia, quam à quantitate, quae
est subiectum quo accidentium
materialium: hoc videtur im-
perceptibile, quod albedo, v.g.
possit existere, & non sit qua-
ta. Quod si quantitas manet,
ut contingit in Eucharistia: tunc
iam adest sufficiens subiectum,
ut salvetur maior, & minor
radicatio, & consequenter dis-
tinguo qualitatis intensæ à re-
mis.

missa. Admisso tamen, quod qualitas possit esse, sine quantitate, dicendum est manere distinctionem earum qualitatum per ordinem ad diversa subiecta, quæ exigerent, & à quibus separata fuerunt; nullam tamen manere intensionem, aut remissionem earum, quia nulla manet actualis radicatio. Et ita videtur sentire D. Thomas apud PP. Complut.

82 Ad 5. argum. nego sequelam. Ad eius probationem resp. solutione ibi data. Ad impugnationem dist. ant. Non sit tota simul, quoad entitatem, nego ant. quoad informationem, vel quoad modum actuandi subiectum, seu quoad radicati in illo, concedo ant. & nego conseq. Quia qualitatem non fieri totam simul non consistit in eo, quod pars fiat post partem: non enim habet partes; sed ideo dicitur non fieri tota simul, quia non sit totaliter. Cum enim fiat in subiecto, in quo potest magis, & minus radicari, & à quo potest magis, & minus participari: ideo admittit successionem in sui fieri, & sit in tempore per partes motus, quatenus per unamquamque partem motus sit magis in subiecto, & magis educitur de potentia eius: & ratione huius latitudinis, quam habet in modo radicationis,

terminat motum alterationis successivum. Per quod patet ad secundam conseq. ad quam negatur suppositum, quia nec qualitas habet partes entitativas, nec modi sunt partes eius: vnde non evanescit in modos. Dato namque, quod plures modi successivè siant in motu alterationis, de quo postea: illi tamen non sunt, sine entitate qualitatis; immo sunt id, ratione cuius ipsa entitas successivè sit, & magis ac magis sit.

83 Ad ultimum omissa solutione PP. Complut. dicentium, quod luminosa non producunt lumen ambo in eadem parte medij, sed unumquodque in parte distincta, quod infra, dum de reflexione agamus, ostendemus esse falsum: dico, quod hoc argumentum non potest favere adversarijs. Nam vel illa luminosa applicata eidem medio producunt suum lumen unumquodque in parte distincta: & hoc modo non fiet intensio luminis, sed extensio. Vel producunt ambo in eadem parte medij? & tunc cum iuxta adversarios qualitas componatur non solum ex duabus partibus, sed ex pluribus etiam aliquotis: deberent resultare non solum duas, sed plures umbras, semel quod umbras multiplicentur ad multiplicationem partium, ex quibus in eorum sen-

ten-

tentia constat , & componitur lux intensa.

84 Propterea ad argumentum nego ant. Ad probat. nego secundam partem antecedentis. Quia ibi non est , nisi vnum lumen intensius nullas habens partes , sed solum magis radicatum in medio , quam anteà erat. Nec oppositum convincitur ex eo , quod fiant duæ vmbrae ad interpositionem corporis opaci : quia vmbrae multiplicantur propter pluralitatem luminarium , non propter pluralitatem luminum productorum , quæ nulla est. Duo autem luminosa etiam si vnum tantum lumen producant , ideo debent causare duas vmbras , quia corpus opacum opponitur vnicuique eorum per distinctam lineam ; & quia illa pars aeris , quæ est post corpus opacum per illam lineam , qua opponitur luminosum , non potest recipere tantum lumen , quantum reciperet , si corpus nō esset interpositum. E contra verò pars aeris immediata , quæ ex extra lineam oppositionis , illuminatur ab utroque luminoso quantum potest salva distantia : & cum hoc fiat in duabus partibus medij propter duas lineas oppositionis corporis opaci , ideo causantur duæ vmbrae.

85 Ad confirmat. concessio
toto filologismo , nego min. sub-

sumptam , ad cuius probacionem imbibitam dicitur , quod gratia , quæ anteà erat , non advenit de novo quoad entitatem , benè tamen quoad modum maioris radicationis , & gratia ita magis radicata , & participata à subiecto reddit illud dignum , seu congruum maioris dilectionis Divinæ. Nec dicas , hoc non esse verè gratiam de novo advenire , sed modum illius ; & consequenter maior congruitas ad Divinam dilectionem terminandam non consistet in gratia , sed in modo. Respondeatur enim , quod non est gratiam advenire de novo absolute , quia absolute loquendo gratia iam erat ; est tamen gratiam de novo magis advenire , quia est gratiam magis fieri in subiecto : etenim propriè loquendo modus ille non fit , sed gratia secundum illum modum fit magis de novo , & sic augetur.

86 His addo , quod licet in augmento gratiæ , quia præsupponit gratiam in subiecto , posset vtcumque sustineri , quod aliqua pars gratiæ adderetur , & sic gratia erecta esset composta ; tamen in prima infusione gratiæ quando infunditur subiecto illam anteà non habenti , quæ ratio esse potest , vt illa gratia componatur ex partibus ? Non enim ex parte subiecti potest

tali reddi ratio cur illas habeat, quia subiectum ut potè substantia, vel potentia spiritualis non habet partes. Nec ex parte Dei, cuius naturæ est gratia participatio formalis: quia ex capite potius debet imitari Divinam simplicitatem; quanto autem magis composita sit, magis recedet à Divina similitudine, & consequenter minus habebit de natura gratiæ, quia natura gratiæ est redere subiectum simile Deo. Vnde D. Thomas quest. unica de virtutibus, art. i. ad duo argumenta scilicet sextum, & septimum, quæ intendebant probare charitatem, & alias virtutes infusas augeri non posse, quia si augerentur, oporteret, quod eis aliquid adderetur: quo facto per augmentum fierent magis compositæ, & consequenter magis recederent à Divina similitudine. Ad hæc, inquam arguenda respondit, quod augmentum, quod fit per additionem, est augmentum substantie quantæ. Sic autem caritas non augetur. In qua response ostendit, quod si semel concedatur gratiam augeri per additionem, argumentum convincit intentionem, scilicet eam augeri non posse: quia per tale augmentum potius recederet à Divina similitudine, & consequenter à propria natura, quod repug-

nat rationi, & conceptui augmenti.

QUÆST. III.

VTRUM MAIOR RADICATIO qualitatis in subiecto consistat in aliquo realiter distincto ab ipsa qualitate?

§. I.

Referuntur varij modi discendi.

I **S**upponit hæc questione, intensionem qualitatis fieri per solam maiorem radicationem eius in subiecto: quod abunde constat ex dictis quest. ant. esse de mente D. Thomæ, nec ratione alia probativa indiget, nisi explicare an ista maior radicatio sit distincta à qualitate, vel non? Hoc enim explicato, & probato, vt manet probatum intensionem non posse fieri per additionem partium qualitatis, sufficienter concluditur, eam fieri per solam maiorem radicationem. Nihilominus tamen antequam questionem resolvamus, breviter probanda est hæc suppositio ex ipsa significatione huius vocis *maior radicatio*. Et suppono etiam, quod qualitatem magis radicari in

Sub-

Subiecto idem est, ac eam magis participari à subiecto, magis actuare illud, magis inesse illi, magis illud sibi subiecere, & in propriam actualitatem trahere eius potentialitatem: magisque educi qualitatem de potentia subiecti. Omnibus enim his modis loquendi, vel saltim pluribus eorum explicat D. Thomas radicationem qualitatis in subiecto, & eius intensionem, ut videre est apud PP. Complut.

2 Probatur itaque suppositio. Qualitatem intendi est ipsam augeri augmento proprio sue linea, secundum quod subiectum redditur per eam magis tale, v.g. magis calidum: sed per hoc præcisè, quod qualitas magis radicetur in subiecto, habet augmentum, secundum quod reddit, & denominat subiectum magis tale: ergo per solam maiorem radicationem intenditur. Mai. est certa, & ut talis etiam a ponentibus gradus distinctos conceditur; min. autem probatur. Per hoc præcisè, quod qualitas magis radicetur in subiecto, magis inest ipse, magisque actuat illud, & magis ab eo participatur: sed subiectum magis actuatum per qualitatem, magisque illam participans ex hoc ipso redditur magis tale per illam, quia si magis actuatur calore, v.g.

magisque participat illum, magis eū in actu caloris, consequenterque magis calidum: ergo per solam maiorem radicationem in subiecto habet qualitas illud augmentum, secundum quod subiectum per eam redditur magis tale, quod est augmentum intensionis.

3 Hoc adeò clarum, & verum est, ut aliqui ex AA. contrarijs videntes, quod nec secundum D. Thomam, nec secundum veritatem negari potest intensionem fieri per maiorem radicationem in subiecto, ut salvarent suam sententiam de additione gradus ad gradum, possuerunt, quod maior radicatio dependet, & fundatur in additione partis qualitatis ad partem, & ideò nisi ponatur additio, salvari non potest maior radicatio. Ita, ut supravidiimus, discurret P. Rubio; sed circa hoc iam satis dictum est, & quomodo additio potius destruat maiorem radicationem, quam illam inferat: quia nimirum additio alieius, quod anteā non erat, non facit magis inesse, & radicari id quod anteā erat.

4 Præter hoc autem probatur, quod sola radicatio absque omni additione sufficiet ad intensionem ratione ultima præcedentis questionis aliter formata. Quia sicut se habet qua-

litas, quæ intenditur, ad subiectum, quod informat in informando illud penes magis, & minus: ita se habet subiectum ad qualitatem in participando, & recipiendo illam; & sicut se habet actualitas formæ in replendo quasi activè capacitatem subiecti, ita se habet capacitas subiecti quoad passivè repleti per eandem formam: sed ut capacitas subiecti actuata per qualitatem magis repleatur, & actuatur per eandem qualitatem, non requiritur aliqua additione capacitatis in subiecto, nec compositio ex pluribus partibus capacitatis, ut ibidem probatum est, & maximè patet in capacitatem ad qualitates supernaturales: ergo pariter, ut qualitas replet, & magis actueta subiectum, non requiritur additione partium qualitatis.

5. Confirmatur, & vrgetur. Nam semel, quod capacitas subiecti non habeat partes, tota repletur, dum acquirit qualitatem inquitumque gradu, sive intenso, sive remissio illam participet: & tamen non repletur totaliter, quia adhuc potest magis, & magis actuari per alias partes qualitatis, ut adversarij dicunt: ergo sine compositione, & additione partium ex parte capacitatis salvatur, quod illa non sit totaliter repleta, etiam si tota sit reple-

ta, & actuata. Ergo etiam salvati debet absque additione ex parte qualitatis, quod illa etiam si tota actueta, & replet capicitatem subiecti, non tamen totaliter illam replet, sed magis possit replere, & actuare per solam maiorem radicationem, & participationem sui.

6. His ita constitutis, maxima difficultas est in resolventia hac questione: quia nec videtur, quod radicatio possit esse aliquid distinctum à qualitate, nec sine aliqua distinctione explicari posse videntur plura, quæ ad huiusmodi maiorem radicationem requiruntur. Propterea Thomistæ inter se divisi sunt: & quidam tenentes hanc radicationem esse aliquid distinctum dicunt, eam consistere in nova vnione, vel in nova inhærentia qualitatis ad subiectum, vel etiam in nova existentia, per quam existit dum intenditur, & magis radicatur. Hæc enim omnia pro eodem quoad præsentem questionem computari debent, quia dum qualitas magis radicatur in subiecto, magis vñitur ei, magisque ei inhæret, magis etiam illi inest, seu in eo est, consequenterque magis in eo existit, cum existere eius vtpore accidentis est inexistere, seu inesse. Sed notandum, quod hi AA. nec ponunt, nec possunt pone-

re, qualitatem dum intenditur, acquirere novam existentiam, aut unionem simul conservando eam, quam habebat, dum erat remissa. Quia si sic dicerent, eandem difficultatem incurrent, quam in additione graduum; siquidem tunc existentia, vel uno esset composita ex pluribus existentijs: sicque fieret intensio per additionem existentiae ad existentiam, vel unionis ad unionem: in quo idem est inconveniens, ac in eo, quod qualitas perficiatur per additionem novae qualitatis partialis. Dicunt ergo, quod præcedens uno, vel existentia imperfectior destruitur adveniente nova perfectiori per actionem intensivam qualitatis.

7 Cœterum hæc sententia habet contra se primò, quod non videtur quomodo possit nova existentia advenire, vel nova uno absque eo, quod adveniat nova essentia, vel entitas existens per illam novam existentiam. Secundò. Quia ex hoc sequitur, qualitatem non augeri secundum existentiam, sed solum secundum existentiam, quod est contra D. Thomam. 3. Quia si per intensionem adveniret nova existentia, vel uno, per remissionem destrueretur existentia præcedens perfectior: & tunc vel fieret alia

imperfectior, vel non? Si non fieret: ergo qualitas remissa non existeret, siquidem non haberet existentiam priorem, quia hæc destruitur: nec aliam, quia hæc non sit, ut dicitur: ergo per remissionem qualitas corrumperetur, quod est à aperte falsum. Si fieret alia existentia imperfectior, nullum est agens, à quo fiat. Si enim esset aliquid agens, maximè illud, quod remittit qualitatem, v.g. ignis, qui calefaciendo aquam remittit eius frigiditatem, esset causa existentiae frigiditatis remissæ: sed hoc est impossibile, sicut est impossibile ignem causare frigiditatem: ergo.

8 Nec valet dicere, quod causa existentiae qualitatis remissæ est agens, quod primò produxit eandem qualitatem in subiecto, v.g. frigiditatem in aqua, quia virtute primæ productionis resultat nova existentia eiusdem frigiditatis ad præsentiam agentis corruptentis antiquam existentiam perfectiorum. Nam contra est, quod existentia non potest fieri per resultantiam, & idem est de unione: sed requirit influxum causæ efficientis, cuius causalitas terminatur ad dandam existentiam effectui, & ad faciendum unum ex potentia, & actu.

9 Quartò contra eandem

sententiam obstat difficile argumentum, quod æquè vrget omnes ponentes aliquid distinctum à qualitate pro ea magis radicanda in subiecto, sive illud sit modus, sive res, vel quocumque alio nomine appelletur. Nam motus alterationis, per quem intenditur qualitas, est motus continuus, ut communiter tenetur, consequenterque habet partes proportionales infinitas: & vnicuique earum debet correspondere aliquod augmentum in qualitate, quia quandiu durat motus, qualitas continuè, & sine interruptione augetur: ergo si intensio fieret per acquisitionem novæ existentiæ, vel alterius cuiusvis, & corruptionem præcedentis, in qua cumque intensione infinitæ existentiæ novæ adquirerentur, & alia infinitæ corrumpentur; quod est dare infinitum in actu existentiarum, vniuersum, vel modorum.

10 Rursus sequitur aliud maius inconveniens, videlicet, vel quod existentiæ illæ, aut modi simul, & in eodem instanti fiant, & corrumpantur: vel quod durante motu alterationis, qualitas non augeatur, quorum vtrumque est impossibile, vt per se patet. Sequela prob. Data quacumque existentia, vel modo, qui per modum intensionis fiat, vel ille du-

rat incorruptus per aliquod tempus mensurans ipsum motum, vel non durat per aliquod tempus, sed solum per instans? Si durat per aliquod tempus: ergo toto illo tempore qualitas non augeretur, cum tamen in eodem tempore duret motus alterationis. Probo conseq. Quia in eodem tempore, quo in qualitate durat, & perseverat illa existentia, vel modus, non producitur alia; alioquin simul essent in qualitate duæ, vel plures existentiæ, aut modi, & sic intensio fieret per additionem modorum, vel existentiarum: ergo si augmentum qualitatis fit per productionem novæ existentiæ, toto illo tempore nullum dabitus augmentum.

11 Si autem dicatur, quod illa existentia, vel modus solum durat per unum instantem: ergo vel corrumpitur in eodem instanti, itaut in eo sit verum dicere, quod corrupta est, vel corrumpitur in tempore immediatè sequenti? Si in eodem instanti: ergo in eodem instanti illa existentia simul est, & corrupta est, consequenterque in eodem instanti est, & non est, quod est contradicatio. Si in tempore immediatè sequenti: tunc rursus queritur, vtrum immediatè post illud instanti fiat alia nova existentia, vel non? Si fit: ergo cum illa eadem ra-

patione, quia præcedens, beat durare per solum instans, iam dabuntur duo instantia sibi immediata: & sic tempus, & continuum componetur ex solis indivisibilibus. Si autem immediate post non fiat alia nova existentia: ergo immediate post non augetur qualitas; & tamen immediate post durat, & continuatur motus alterationis: ergo durante, & non interrupto motu alterationis, cessat augmentum qualitatis.

12 Sunt etiam alij AA. qui dicunt, maiorem radicationem non esse aliquid ex prædictis, esse tamen quendam modum realiter distinctum à qualitate: qui quidem modus, vel præstat qualitati maiorem actualitatem, ut possit perfectiorem effectum formalem tribuere subiecto, ut dicunt PP. Complut. vel est conditio ad idem, ut afferit Colleg. D. Thomæ. Sed contra primum modum explicandi prædictum modum radicationis obstat, quod si qualitas per illum modum accipit maiorem virtutem informandi, & actuandi subiectum, ille potius erit qualitas qualificans, & perficiens subiectum, quam ipsa qualitas, cui advenit: quia propter quod unumquodque tale, & illud magis. Et cum talis modus sit realiter distinctus à qualitate, erit alia qualitas distin-

cta, & sic intensio fiet per destructionem qualitatis præexistenter, & productionem alterius novæ. Et revera prædicta PP. incident in sententiam Durandi, dum asserunt, illos modos, quos successivè ponunt in qualitate, esse specificè distinctos, & quæst. 10. num. 136. apertè fatentur, calorem ut tria, & ut quatuor distingui specie inesse entis. Alias impugnationes huius sententiae vide in Froylan.

13 Contra eandem sententiam secundo modo intellectam obstat, quod nulla forma indiget conditione aliqua, ut præstet suum effectum formalem, nisi forte ex parte subiecti per modum dispositionis: sed maior radicatio qualitatis in subiecto non potest esse dispositio ex parte subiecti, ut recipiat perfectiorem effectum formalem: ergo. Min. prob. Quia dispositio debet esse distincta realiter ab eo ad quod disponit, & ab actu secundo communicandi effectum formalem, ad quem disponit: sed maior radicatio qualitatis in subiecto si non est ipse maior effectus formalis qualitatis, sicut est actus secundus in ipsa forma communicandi maiorem effectum formalem: ergo non potest esse dispositio ad illum. Min. patet, quia actualis communicatio, qua ipsa

ipso forma communicat se magis subiecto, est maior actuatio, qua magis actuatur subiectum: sed maior actuatio est maior radicatio, ut constat ex dictis in principio questionis: ergo.

14 Tandem alij AA. tenent maiore radicationem esse terminationem qualitatis; sed quid nam sit haec terminatio, & an sit distincta a qualitate, non vidi determinatum. Caietanus enim, qui hoc modo loquendi vtitur, dicit esse importunitatem novitorum querere, quid sit haec terminatio, ut videre est in ipso 2. 2. quæst. 24. art. 5.

15 Per oppositum autem alij AA. asserunt maiorem radicationem nihil distinctum à qualitate importare. Coeterum præmuntur difficultibus argumentis, quorum præcipua sunt illa duo, quæ in questione antecedenti proposita sunt in quarto arguento: nimirum quia intensio activè sumpta est nova actio interdum distincta à prima productione qualitatis: ergo debet illi correspondere effectus, & termino aliquid realiter distinctum à qualitate iam producta. Aliud desumitur ex reali separatione intensionis à qualitate, quam experientia docet: siquidem qualitas eadem nunc est intensa, & nunc est remissa: ergo intensio aliquid

reale addit supra qualitatem, sive illad sit res, sive modus.

16 Ex his duobus argumentis oriuntur alia similia, & sic tertium. Intensio, & remissio accidentaliter prædicantur de qualitate, ut notum est: ergo debet vtraque realiter à qualitate distingui. Quod argumentum fortius vrget in Scola Thomistica, quia D. Thomas eo virtutur ad probandum existentiam realiter distingui ab essentia in creaturis. 4. Nihil potest transire de contradictorio in contradictorium, nisi aliquid acquirat, quod anteā non habebat, vel deperdat aliquid, quod anteā habebat: sed eadem qualitas transit de non esse intensa ad esse intensam, & è contra: ergo. 5. Qualitas est in potentia vera, & reali ad intensionem, vel potius subiectum est in potentia ad effectum qualitatis intensæ: sed nihil est in potentia ad se ipsum, vel ad aliquid secundum identificatam: nec item subiectum est in potentia ad id quod habet: ergo qualitas intensa aliquid distinctum includit præter suam entitatem, quæ iam supponitur in subiecto ante intensionem. 6. calor per intensionem intrinsecè mutatur, vel potius subiectum per calorem intensem intrinsecè mutatur, ergo aliter se habet intrinsecè, quam anteā se habebat. Sed non

potest aliter se habere nunc quam anteā , nisi aliquid habeat nunc , quod anteā non habebat: quia si nihil habet nunc præter illud , quod habebat , eodem modo se habet : ergo idem.

17 Denique. Quia si in intensione nihil reale additur qualitati , vel subiecto , sequitur , quod postquam calidum , quod erat ut quatuor v.g. remittitur usque ad tertium gradum , maneat adhuc calidum ut quatuor; quod est aperta repugnantia. Sequela prob. Tunc manet calidum ut quatuor , quando manet omne , quod constituit calidum ut quatuor : sed facta remissione manet omne , quod constituit calidum ut quatuor: ergo. Min. prob. Calidum ut quatuor constituitur per solam entitatem caloris in hac sententia , cum nihil reale distinctum ab entitate caloris ingrediatur ad constituendum illud : sed facta remissione manet eadem entitas caloris : ergo.

18 Mag. Froylan , qui maiorem radicationem , vel intensionem qualitatis nititur salvare , absque omni realiter superaddito qualitati , respondet ad hæc omnia recurrente ad denominations , & connotata , dicisque , diversitatem , quæ importatur per intensionem , & remissionem , esse solum denominativam: intensionemque fie-

ri , & deficere , non quia aliquid fiat , vel deficiat in ipsa qualitate , sed per solum defectum connotati : quia intensio connotat actionem intensivam , & hæc solum datur de novo , quando qualitas intenditur , & deficit , quando remittitur. Cœterum hæc doctrina à nobis satis impugnata est lib. I. Phisic. circa distinctionem unionis à materia , & forma. Et quidem ego etiam vellem intensionem qualitatis explicare absque interventu alicuius realiter ab ipsa distincti ; verum non invenio quomodo argumenta immedia- te facta possim solvere.

§. II

Resolvitur questio , & solvuntur obiecta.

19 Inter has igitur angustias dicendum est , maiorem radicationem , seu intensionem qualitatis esse terminationem eiusdem qualitatis penes magis esse in subiecto , eamque realiter distingui à qualitate. Ita videtur colligi ex D. Thoma in I. ad Anibaldum distinct. 27. quæst. 2. art. I. ubi sic ait : *Ad tertium dicendum , quod non oportet , si secundum essentiam mutatur , quod charitas corrumpatur: quia eius essentia non est per se ter- mis*

minus motus, sed aliquid coniunctum essentiae eius, sicut diversa terminatio quantitatis virtualis eius, que non est ipsa quantitas virtualis, quamvis sua quantitas virtualis sit sua essentia. In quibus verbis assertit, quod quantitas virtualis charitatis est essentia eiusdem charitatis; terminatio vero humanus quantitatis virtualis, secundum quam terminationem charitas terminat motum augmenti, non est essentia charitatis, sed aliquid coniunctum essentiae eius: ergo talis terminatio est realiter distincta à charitate. Et cum in via D. Thomæ eodem modo discurrendum sit circa omnes alias qualitates, ideo universaliter de omni intensione dicendum est fieri per adventum novæ terminationis.

20 Contra hanc sententiam militare possunt ea argumenta, quæ contra primum modum dicendi facta sunt, scilicet contra ponentes intensiōnēm fieri per adventum novæ existentiæ, vel vniōnis, excepto primò, quod contra istam conclusiōnēm non procedit. Quare ad secundum quatenus contra nos militare potest, respondetur ex sèpè dictis, quod cum hæc terminatio qualitatis sit terminatio existentiæ rei, & ipsum magis inesse subiecto, cumque esse accidentis sit inesse; conse-

quens est, quod si atgetur per terminationem secundumquam magis inest, augeatur secundum essentiam. Pro quo notandum est, quod cum existentia sit actus essentiæ, & ipsa essentia dicatur fieri, in quantum ipsi attribuitur existentia: in accidentibus, quæ possunt magis, & magis fieri in subiecto, dum ipsis communicatur perfectior terminatio existentiæ; essentia eorum magis sit mediata existentia sic terminata. Et quia augmentum consistit in eo, quod essentia eorum magis insit subiecto, ut supra probatum est: ideo per talem terminatiōnēm augentur secundum essentiam.

21 Ad tertium respondeatur, quod etiam tenentur illud solvere qui ponunt, maiorem radicationem consistere in vniōne, vel modo superaddito: quia cum tales modi non sint simul, sed uno adveniente recedat alter, restat assignare causam, à qua producatur modus imperfectior, dum remittitur frigiditas aquæ. In nostra autem sententia facile solvitur, quia dum remittitur frigiditas, nulla terminatio eius sit in actu, usque quo terminetur motus remissionis, ut statim dicemus; sed solum terminatio, quæ ante erat, solvitur.

22 Ad quartum dicendum est,

est, illud concludete contra existimantes, quod in motu intensionis sunt in actu, vel modi, vel visiones, aut existentiae, seu quocumque aliud. Hoc autem falsum est, quia dum durat motus, nihil sit in actu, nisi ipsa qualitas, & eius existentia; maior autem radicatio, seu terminatio existentiae qualitatis non est in actu usque ad finem motus: in potentia tamen sunt infinitae radicationes, & terminations. Sicut in motu locali dum mobile movetur, sit per motum ut sit in actu intra terminos spatij, per quod moveatur; nulla autem ubicatio in aliqua parte spatij sit in actu, sed solum mobile est in potentia ad infinitas ubications, quatenus in qualibet parte spatij posse motus terminari, & tunc mobile erit in aliqua parte spatij. Ita similiter terminatio qualitatis, quæ est in actu in fine motus intensionis, durante ipso est solum in fieri, & in potentia. Vnde durante motu nihil corruptitur, quia non corruptitur nisi quod antead fuit in actu. Nulla item terminatio sit de novo usque ad finem motus: & sic cessat argumentum.



QUÆST. VI.

VTRUM ALTERATIO

sit motus continuus.

S. I.

Rationes dubitandi, & sententia proponuntur.

Questio hæc non procedit de alteratione, quæ fit secundum qualitates non habentes contrarium: tales enī non sunt per motum, sed in instanti. Vnde alteratio hæc non est propriè motus, & consequenter non potest esse continua. Rursus nec procedit questio de alteratione, prout causat extensionem ad diversas partes subiecti, et si ab aliquibus etiam in hoc sensu disputetur. Cœterū ab hoc inquirendo abstinemus, tum quia per accidens est respectu alterationis, quod per illam qualitas extendatur ad diversas partes subiecti; ratio enim alterationis vnicè perficitur per hoc, quod in eadem parte subiecti angeatur continuè qualitas. Tum etiam, quia forte qualibet qualitas materialis habet minimum secundum extensionem, ita ut petat determinatam partem subiecti, in qua pos-

L

posit esse , & non sub minori .
Et si ita est , tunc qualitas per alteracionem producta simul accipiet extensionem secundum extensionem illius partis determinatae , in qua potest esse , & non sub minori ; consequenter que saltem respectu illius partis determinatae non adest locus , ut qualitas extendatur successivè , & per motum .

2 Cœterum hoc omisso , dubium procedit de alteratione , prout per illam augetur qualitas secundum intensionem in eadem parte subiecti , vel minuitur per remissionem . Circa quod primò ingerit difficultatem ipse titulus : videtur enim non habere locum quæstio in via Aristotelis ; ipse namque passim affirmat , omnem motum esse continuum . Si ergo alteratio est motus , ut proculdubio est in sententia eiusdem Philosophi 5. Phisic. & alibi , necessariò erit continua : & consequenter intra Scholam Aristotelis non est locus dubitandi , an alteratio sit motus continuus .

3 Etsi dicatur , Aristotalem sèpè accipere motum , non pro motu strictè sumpto , qui sit successivè , sed pro mutatione instantanea : & cum motus strictè sumptus sit cōtinuus , mutatio verò instantanea talis esse non possit , iam inquit poterit

adhuc in via Aristotelis , an alteratio sit motus strictè sumptus , & consequenter continuus : an verò sit tantum instantanea mutatio ? Si hoc inquam , dicatur , verum est Aristotelem pluriès usurpare motum promotu impropiè sumpto , qualis est instantanea mutatio . Cœterum de alteratione , quæ est inter qualitates contrarias , hoc dici non potest : cum ipsem et Philosophus lib. 5. Phisic. & in præsenti libro de Generatione expressè eam ponat unam ex tribus speciebus motus propriè sumpti , non minus quam motum localem , & motum augmentationis , quæ sunt alia duæ species motus propriè dicti .

4 Quare censeo , quod negare alterationem esse motum continuum , est aperte ab Aristotelis doctrina recedere . Verumtamen aliqui apud P. Rubio hanc sententiam negativam amplectuntur , & sunt Capreolus , Soncinas , Ferrara , & alij . Eosdem pro negativa sententia citat Colleg. D. Thomæ , licet dicat , eos solum negare continuationem alterationis quoad extensionem qualitatis per partes subiecti . Sed ad vietandam confusionem scire oportet , in quo sensu dicant hi AA . alterationem non esse continuam . Dicunt ergo , eam esse motum discretum constantem

ex pluribus mutationibus instantaneis non habentibus inter se unitatem compositionis, sed solum ordinem prioris, & posterioris.

5 Insuper asserunt, tales mutationes instantaneas non esse sibi invicem immediatas, sed inter quamlibet, & aliam mediare aliquod tempus, in quo disponitur subiectum ad alterationem sequentem, quæ fit in instanti, sicut, & aliæ mutationes, & alterationes præcedentes. V. g. dum aqua calefit, primò in aliquo instanti introducitur in ea calor in aliquo gradu determinato; in tempore verò sequenti aqua non calefit, nec alteratur secundum calorem, sed disponitur, ut in alio instanti terminativo huius temporis recipiat maiorem intentionem caloris: & sic deinceps, usque quo cesseret actio agentis calefacientis aquam. Ex quo apparet, alterationem apud hos AA. esse quoddam aggregatum ex pluribus mutationibus instantaneis interruptis per aliquod tempus, quod mediat inter unam, & aliam. Vocant etiam hanc alterationem sic explicatam motum successivum, quia una mutatio succedit alteri, licet non immediate ut dictum est.

6 Cum autem continuum in sententia Aristotelis constet

ex partibus semper divisiibilibus in alias: in aliorum autem sententia constet ex solis indi-visibilibus: & isti AA. ex una parte ponant, alterationem consistere in pluribus mutationibus instantaneis, quæ ut potè instantaneæ non possunt habere partes, sed necessariò debent esse indivisiibiles; ex alia verò parte dicant, tales mutationes non esse inter se unitas, quia non sunt immediatae: inde est, quod in nullo sensu possunt salvare continuatatem alterationis, & ideo illam negant.

7 Hæc itaque sententia ex ipsa sui explicatione convincitur falsa. Primò, quia iuxta eam alteratio non est unus motus per se, sed solum per aggregationem, & extrinsecè, quantum plures mutationes alterativæ accipiuntur ut contentæ, & mensuratae ab una duratione temporis: non aliter, ac omnes cogitationes, quas habet quis per unam horam, possent dici aliquid unum, quia tota earum collectio comprehenditur intra spatium unius horæ. Hoc autem præterquamquod bona Philosophia videtur adversari, est etiam contra experientiam. Nam dum aqua per unam horam applicata ad ignem calefit, constat ibi esse unicum motum secundum cal-

lorem, & vnam per se alteratio-
nem aquæ.

8 Secundò contra eandem
sententiam arguo ex eo, quod
dicit, quòd inter mutationem,
& mutationem instantaneam
mediat aliquod tempus. Natu-
rale tempus non est solum tem-
pus extrinsecum, illud scilicet,
quod consistit in motu Cœli,
vel sequitur ad motum eius
tamquam passio; sed est tem-
pus intrinsecum mobili parti-
culari, v.g. aquæ, quæ calefit,
consequenterque debet consi-
stere in ipso motu aquæ, vel se-
qui ad illum tamquam passio
eius: ergo aliquo motu move-
tur aqua in illo tempore inter-
medio. Sed talis motus non est
motus augmentationis, seu se-
cundum quantitatem, vt per se
patet: nec etiam est motus lo-
calis, quia potest aqua calefie-
ri, quin localiter moveatur, vt
constat evidenter in manu, quæ
immota secundum locum cale-
fit: ergo est motus secundum
qualitatem, seu alterationis.
ergo datur iam aliquis motus
alterationis factus in tempore,
& consequenter continuus, &
habens partes, sicut ipsum tem-
pus, in quo fit, continuum
est.

9 Antecedens autem huius
rationis, scilicet, quòd tem-
pus, quod secundum istos AA.
mediat, debeat esse tempus in-

trinsecum probatur ex his, quæ
diximus lib.4. Phisic. vbi pro-
babimus ex P.N. Augustino ad-
mittendum esse tempus particu-
lare in uno quoque motu præ-
ter illud, quod resultat ex mo-
tu Cœli. Quia si cessaret motus
Cœli, & moveretur rota figuli,
in tempore moveretur: quod
quidem seclusa authoritate cui-
que notum est. Idem ergo in
proposito, si cessante motu Cœ-
li calefieret aqua, vt modo ca-
lefit ab igne, paulatim, & in
tempore calefieret: ergo tem-
pus, quod intercedit in cale-
factione aquæ, quodque iuxta
hos AA. mediat inter mutatio-
nem, & mutationem instantan-
eum, est tempus intrinsecum
ipsi aquæ sequutum ad eius mo-
tum, vel in eodem motu con-
sistens.

10 Tertiò contra eandem
sententiam. In illo tempore in-
termedio, vel aqua quiescit à
motu secundum calorem, vel
movetur secundum calorem? Si
movetur secundum calorem:
ergo alteratur in illo tempore,
& consequenter datur motus
alterationis continuus, & fa-
ctus in tempore. Si quiescit à
motu alterationis: ergo pote-
rat moveri eodem motu alte-
rationis in tali tempore, &
consequenter potest dari motus
alterationis in tempore. Prima
conseq-prob. Quia nihil quies-

cit per aliquod tempus, nisi in eodem tempore posset moveris; quies enim est privatio motus.

11 Secundum quod ingredit difficultatem in praesenti questione, est quomodo alteratio posse esse continua? Cum enim alteratio sit motus strictus, & motus sit quid successivum, cuius partes non simul existunt, sed una post aliam: non videtur, quod possint continuari, itaut ex eis resultet unus motus continuus. Ceterum haec difficultas communis est omni motui, & etiam temporis: partes enim temporis non simul existunt: immo nec apparet quomodo existant, quia praeteritum iam non est, & futurum nondum est; instans autem, quod dicitur esse de praesenti, non est tempus, nec pars temporis. Quare sicut hoc non obstante, salvatur continuitas temporis iuxta diversitatem sententiarum, de quibus aliquid tetigimus lib. 4. Phisic. ita dicendum est de alteratione, & de quolibet alio motu.

12 Hoc unum notandum est conformiter ad ea, quae lib. 6. Phisic. diximus circa compositionem continui, quod cum partes continui, sive permanentis, sive successivi copulentur, & continuentur per indivisibilia sui generis, ut come-

muniter circumfertur, & etiam nos admittimus in sensu statim dicendo: talia indivisibilia non sunt actu in continuo, sed solum in potentia. Et ideo, quia sunt in potentia tantum, sunt continuativa partium, quae etiam iuxta ibidem dicta, sunt tantum in potentia in continuo; si enim indivisibilia essent in actu in continuo, non continuarent illud, sed potius dividerent, quia indivisibilia haec in actu sunt divisio continua, ut expresse docet D. Thomas lib. 6. Phisic. lect. 8. per haec verba: *Sicut punctum infra lineam est in potentia ante linea divisionem, in actu autem quando iam linea est divisa, cum punctum sit ipsa linea divisione: similiter hoc quod dico, mutatum esse, infra motum est in potentia, quando motus non ibi terminatur, sed si ibi terminetur, erit in actu.*

13 Haec D. Thomas, quibus nihil clarius pro nostra sententia dici potuit, sicut nec expressius contra existimantes, quod puncta, vel alia indivisibilia sunt necessaria in actu pro continuatione partium continua; cum D. Thomas dicat, quod si punctum sit in actu in linea, est divisio linea: & idem de mutatum esse, quod est in indivisibile motus, quia si ponatur in actu, motus in eo termi-

natura. Ex quibus etiam verbis deducitur aptior explicatio eius, quod adduci solet contra hanc sententiam nostram, scilicet, quod Philosophus continua dicit esse ea, *quorum ultima sunt unum*. Ex quo videatur sequi, quod ponenda sint in continuo puncta: vel alia indivisibilia, quae sint principium vnius partis continui, & finis alterius: & sic in illo uno indivisibili concurrentes tales partes continuantur. Hoc argumentum loco citato teriginus, & ad illud solvendum recurrimus ad continua per reflexionem, de quibus Philosophum esse intelligendum diximus. Ceterum non est necessarium restringere verba Philosophi ad sola continua per reflexionem, sed de omnibus continua etiam continuitate directa vera sunt, eo solum, quod puncta non sunt in actu, & consequenter divisio non est in actu. Si autem divisio non est in actu, consequens est, quod sit in actu unitas, & continuitas partium continui: quae partes ideo consti-
tuunt unum continuum, quia puncta, per quae dividuntur, dum talia puncta sunt in actu, ante divisionem sunt tantum in potentia, ut inquit D. Thomas.

^{loum. ob} 14 Itaque de indivisibilibus motus, quae dicantur mu-

tata esse, idem sentiendum est, ut constat ex verbis relatis. Non enim sunt in actu in motu quādiū durat, sed ad summum vnum mutatum esse terminativum motus ponendum est in fine motus; quod mutatum esse consequenter ad ea, quae diximus disp. 1. quæst. 2. circa mutationem generativam, erit terminus productus per motum, scilicet in motu locali *obi*, in alteratione, & augmentatione terminatio qualitatis, vel quantitatis secundum magis, vel minus. In potentia vero dantur infinita mutata esse, quatenus motus potuit ante, & ante, usque in infinitum terminari, & finiri: quod in motu locali facile est cernere, ut quæst. ant. num. 21. dictum est.

15 De instantibus vero, quæ sunt indivisibilia temporis, idem, & eadem ratione tenendum est, quia tempus, & motus, vel sunt omnino idem, vel pari passu currunt. Nec obstat si contra hoc dicás, quod si instantia non sunt actu in tempore, tempus ipsum nullo modo existere poterit in actu: cum partes eius non existant de praesenti, instans autem iuxta à nobis dicta non sit in actu, sed tantum in potentia. Non, inquam, obstat: nam in primis quid, quæso, conductit, ut existat tempus, quod existat aliquid, quod

quod nec est tempus , nec pars temporis ? Imò si tota existentia temporis sita est in existentia instantis , dicendum esset , tempus existere in instanti , quod est impossibile . Quare dicendum est tempus , & motum actu existere existentia tamen fluente , & transeunte , quia esse temporis , & motus est fluere , & transire : quam existentiam non habent ratione instantis , vel alterius indivisiibilis , nec etiam ratione suarum partium ; sed potius partes existunt ratione motus , & temporis , in quibus sunt in potentia .

§. II.

Communis , & affirmativa sententia probatur , & solvuntur argumenta .

16 **I**gitur circa hanc questionem communis sententia est affirmativa : quam esse de mente Philosophi constat ex varijs locis eiusdem , & præcipue ex 5. Phisic. ut dictum est . Eam etiam docet D. Thomas pluribus in locis citatis à Colleg. eiusdem Complut. ex quibus vnum tantum propono ex 1. de generat. lect. 24. ubi sic ait : *Motus continuus non est , nisi in tribus generibus , scilicet in quantita-*

te , qualitate , & ubi . Sed motus in qualitate est alteratio : ergo alteratio est motus continuus secundum D. Thomam .

17 Probatur etiam brevis & communi ratione . Agens potest esse debitè applicatum passo per tempus continuum v.g. per horam : sed tunc casus continuè , & sine interruptione alterabit passum : ergo alteratio est motus continuus . Min. patet , nam ex parte agentis per tempus continuum debitè applicati adest virtus movendi , & alterandi passum , vt patet in igne respectu aquæ ; deinde in passo adest capacitas , vt moveatur , & alteretur , recipiendo in se qualitatem , quam agens potest producere , secundum gradum maioris intensionis : ergo . Confirmatur ab experientia . Nam si manus applicetur igni per tempus aliquod continuum , experimur , quod continuè patitur ab igne : ergo continuè movetur ab eodem igne , quia pati , & moveri idem omnino est . Sed non movetur motu augmentationis , nec motu locali , vt per se patet : ergo movetur motu alterationis ; & consequenter hic est continuus .

18 Respondent adversarij , ignem applicatum passo , v. g. aquæ non continuè illam calefaccere , sed interrumpi calefactionem per aliquod tempus , in quo

par-

partes aquæ rarefiunt, & per rarefactionem disponuntur, ut in instanti terminativo eiusdem temporis recipient maiorem calorem. Sed contra: nam in primis hanc solutionem convincit falsitatis exemplum appositum de manu. Quilibet enim experitur, & sentit, manum debitè applicatam per momenta, & sine interruptione non solum rarefieri, sed etiam magis calefieri. Præterea, quia potius calor est dispositio, & causa rarefactionis, quam è contra: ergo prius debet passum calefieri, quam rarefieri. Alij etiam hanc solutionem impugnant ex eo, quod raritas est quædam qualitas: ergo si aqua rarefit in tempore, iam datur in tempore motus secundum qualitatem, seu motus alterationis, & consequenter alteratio continua. Ceterum hæc impugnatio poterit esse efficax ad hominem, si forte AA. contrarij teneant, rarefactionem esse motum ad qualitatem; quod tamen infra ostendemus esse falsum.

19 Sed contra hanc communem sententiam arg. 1. ex Philosopho lib. 8. Physic. dicente: *Dicere alterationem fieri continuè est adversari valde manifestis.* Idem habet D. Thomas aliquibus in locis. Secundo arg. à ratione. Si alteratio esset motus continuus, incipie-

ret per ultimum sui non esse, scilicet alijs motus: sed ita non potest incipere: ergo. Min. prob. Qualitas producta per alterationem incipit in instanti, & per primum sui esse, quia est res permanens: ergo etiam motus alterationis, per quem sit, incipit in instanti, & per primum sui esse: & consequenter est mutatio instantanea.

20 Tertiò. Applicatio agentis ad passum in instanti perficitur, ut patet in manu, quæ per motum pervenit ad debitam distantiam, in qua potest alterari ab igne, itaq; in instanti terminativo motus manus verum sit, quod est debitè applicata: ergo in eodem instanti ignis alterabit manum. Pater conseq. ex dictis inter probandum conclusionem, quia dum agens est debitè applicatum passo capaci alterationis, nulla est ratio cur illud non alteret. 4. Quia sequitur, qualitatem continuè per horam auctam secundum intensionem evadere infinitè intensam, in quorum singulis qualitas semper augetur, & intenditur. Denique. Quia terminus motus continui deberet esse divisibilis; qualitas autem in nostra sententia non est divisibilis, cum non habeat partes: ergo non potest terminare motum continuum.

21 Resp. ad 1. Philosophum

phum in illa authoritate , & alijs similibus accipere motum contiuuum prout est idem, quod motus perpetuus , & semper durans . Agebat enim contra quosdam Philosophos , qui dicebant , res semper moveri, ita ut motus numquam cessaret: contra quos Aristoteles ex ipsa experientia procedit, secundum quam manifestum est , res non semper alterari , nec semper moveri secundum alios motus. Non autem negat Philosophus alterationem , quandiu durat, esse continuam, & sine interrup-
tione , licet aliquando finiatur, & terminetur. Ad 2. negatur min. Ad prob. neg. ant. quia licet qualitas sit res permanens, tamen infieri admittit succe-
sionem , quia suscipit magis, & minus: & ideo incipit per ultimum sui non esse , sicut motus , per quem fit. Ad 3. resp. quod licet applicatio agen-
tis ad passum fiat in instanti propter rationem argumenti: quia tamen agens non potest movere passum in instanti, sicut motus non potest esse in instanti, ideo non potest agere in eodem instanti applicationis ; sed tale instans est instans extrinse-
cum inceptionis alterationis, in quo verum est , quod agens non alterat , sed immediate post alterabit. Exemplum huius po-
test esse in igne , qui in instanti

sua generationis habet levitas tem , ratione cuius potest mo-
veri sursum , & tamen moveri non potest in eodem instanti generationis , sed immediate post , quia saltem de motu lo-
cali non est dubium , quod non poscit esse , nisi in tempo-
re.

22 Ad 4. resp. quod si ali-
quid probat , convincit , nec motum localem posse esse con-
tinuum , & in tempore : quia etiam in motu locali durante per unam horam mobile in sin-
gulis instantibus percurrit sem-
per aliquid amplius de spatio,
per quod movetur. Vnde iuxta
argumentum , tam spatii, quam
motus deberent habere infinitam longitudinem , & extensio-
nem. Sicut ergo hoc non sequi-
tur in motu locali , quia tota
longitudo spatij percurritur per
modum unius longitudinis fini-
tae , & terminatae certis termi-
nis , non autem percurritur nu-
merando singulas partes , &
puncta spatij , quasi si essent in
actu , & divisae : ita in intensio-
ne tota latitudo qualitatis certis
terminis clauditur , & etiam du-
ratio horae , vel temporis , in
quo sit; nec in hora sunt in actu
instantia, quae divisim transeant,
& quibus ex parte motus altera-
tionis corraspondeant plura
mutata esse in actu. Inde nec
motus evadit infinitus , nec in-

tensio qualitatis. Ad ultimum respondetur , qualitatem etsi non habeat partes , habere tamen latitudinem , & divisibilitatem virtualem , sicut habet quantitatem virtutis ratione cu-

ius potest magis , & magis actuare subiectum. Et hoc sufficit ad terminandum motum continuum.
)(S)(

DISPUTATIO III. DE NUTRITIONE, ET Augmentatione.

QUÆST. I.

An sint , & quid sint nutritio , & augmentatio : &
quibus conveniat propriè nutriti?

§. I.

Resolvitur prima pars quæstionis.

Sequitur iuxta ordinem Philosophi , ut agamus de nutritione , & augmentatione. Ideò autem utramque coniungimus , quia utraque simul fit : non enim stat augmentatione , sine nutritione , quamvis possit esse nutritio , sine augmentatione , ut postea

dicemus. Igitur , quod attinet ad quid est nutritionis , ea definitur sic : *Est conversio alimenti in substantiam aliti ; in tantum enim nutriuntur ea , quæ nutritur , in quantum cibum , seu alimentum , quod sumunt , convertunt in propriam substantiam.* Ex quo fit , ut nutritio dicatur etiam aggeneratio ,
guas

quatenus in ea admiscetur ali-
quid generationis ; generatur
enim nova pars substantiae ex
materia alimenti , & additur
præexistenti substantiae eius,
quod nutritur.

2 Sed notandum , quod
haec generatio partis substantiae,
quaे fit per nutritionem , non
requirit productionem novæ
formæ , vel partis illius saltem in
nutritione viventium perfecto-
rum ; sed solum fit per hoc , quod
forma aliti , seu nutriti præexis-
tens extenditur ad informan-
dam materiam alimenti , quam
ante nutritionem non informa-
bat . Vnde dum homo nutritur ,
non producitur forma aliqua ,
vel pars eius ; sed solum addi-
tur materia alimenti , quam de
novo informat anima rationalis .

3 Augmentatio verò est
motus à minori ad maiorem
quantitatem , sicut diminutio
ei opposita est motus à maiori
ad minorem quantitatem . De-
bet autem hoc augmentum fieri
simul cum additione alicuius ,
partis substantiae : quia si solum
fiat maior quantitas , sine addi-
tione materiae alicuius , mag-
gis erit rarefactio , quam aug-
mentatio , de qua in præsenti
agimus . Ex quo colligitur , quod
augmentatio propriè dicta se-
quitur ad nutritionem , & non
stat , sine illa ; ex quo enim id ,
quod nutritur , acquirit novam

partem substantiae per addicio-
nem materie alimenti , & ad
hanc partem substantiae sequi-
tur sua propria quantitas , dici-
tur augmentari , seu fieri maio-
ris quantitatis .

4 Differt tamen augmen-
tatio à nutritione , quia non
quælibet nova quantitas secuta
ad novam partem substantiae
sufficit ad augmentationem : sed
requiritur , quod sit maior ea ,
quaे antea deperdita erat per
actionem caloris naturalis . Cum
enim calor naturalis per conti-
nuam actionem in substantiam
proprii subiecti aliquid consu-
mat de ea , & consequenter de
quantitate ; vt hoc damnum re-
paretur , substituitur alimen-
tum , per cuius conversionem
in propriam substantiam viven-
tia natriuntur . Sed aliquando
minus est id quod convertitur
de alimento in substantiam aliti ,
quam id , quod consumptum
erat per actionem caloris , vt
contingit in senibus . Et tunc
quidem vivens nutritur : non ta-
men augetur , sed potius mi-
nuitur . Aliquando autem tan-
tum convertitur de alimento ,
quantum fuerat deperditum , &
non amplius : & tunc vivens ,
nec augetur , nec minuitur ; nu-
tritur tamen , & est in statu de-
bitæ quantitatis . Tandem ,
quandoque plus convertitur de
alimento in substantiam aliti ,

quām fuerat deperditum , vt
contingit in pueritia , & ado-
lescentia ; & tunc est propriè
augmentatio , per quam vivens
acquirit maiorem quantitatē.

5 Nutritionem , itaque sic
explicatam consistente in con-
versione alimenti in substanciam
aliti , negavit , vt fertur ,
Mag. sent. dicebat enim , vi-
ventia semper conservare illam
eandem substantiam , quam in
generatione acceperant , itaut
nihil illius deperderent per to-
tam vitam : consequenterque
non indigere restauratione fa-
cta per conversionem alimenti
in propriam substantiam . Con-
cedebat tamen indigere ali-
mento , vt esset pabulum calo-
ris naturalis : qui , nisi adesset
alimentum , circa quod ageret ,
consumeret per suam actionem
substantiam viventis . Conse-
quenter ad hanc sententiam
etiam negari debet augmenta-
tio vera , & propria , quæ vt di-
ctum est , & docet Philosophus ,
non stat sine additione novæ
partis substantiæ: solùque in hac
sententia admitti potest augmen-
tatio impropria per rarefactionē

6 Probat autem primò
Mag. suam sententiam ex ver-
bis Christi D. Matth. 5. vbi
ait : Omne quod intrat per os ,
in ventrem vadit , & in seces-
sum emititur : ergo nihil ci-
bi convertitur in substantiam

aliti , sed per actionem caloris
naturalis resolvitur totum in
excrementa , quæ emituntur.
2. à ratione . Quia saltem in
homine non potest dari vera
nutritio : ergo non est admit-
tenda . Ant. prob. Ut daretur
vera nutritio in homine debe-
ret virtus nutritiva attingere
unionem animæ rationalis ad
materiam alimenti , vt sic fie-
ret conversio alimenti in subs-
tantiam aliti : sed hoc non po-
test , quia virtus nutritiva est
corporea , anima verò est spiri-
tualis , & in corpore a : ergo .
3. Nam sequitur , quod vivens
posset se tueri contra mortem ,
& ita perpetuare propriam vi-
tam , vt numquam moreretur :
consequens est absurdum: ergo ,
& illud ex quo sequitur . Seque-
la prob. Nam iuxta nos per nu-
tritionem reparatur quidquid
per actionem caloris naturalis
deperditum est de substantia vi-
ventis : ergo per continuam ,
& perpetuam sumptionem ci-
bi , semper repararetur detri-
mentum proveniens à calore
naturali : & sic vivens posset
semper conservare eundem vi-
gorem , & numquam mori .

7 His tamen non obstanti-
bus sententia hæc falsa ab om-
nibus reputatur , eamque rejicit
P. August. expressè docens
communem sententiam de ve-
ra nutritione viventium per
cone

conversionem alimenti in propriam substantiam: dum in libro de vera Religione, cap. 40. ait: *Alimenta carnis corrupta, idest amittentia formam suam in membrorum fabricam migrant.*

8 Deinde prob. eadem communis sententia ratione sumpta ab experientia. Nam videmus, quod corpus hominis per morbum extenuatur, & amittit aliquid substantiae propriae; quod quidem etiam in sententia Mag. concedendum est, cum ipse admittat, quod, nisi calor naturalis ageret in cibum subministratum, ageret in substantiam viventis, & sic eam consumeret. Demus ergo, quod aliquis per aliquot dies non sumeret cibum; tunc casus substantia eius diminueretur per actionem caloris naturalis: sed etiam experientia docet, huiusmodi diminutionem, & damnum reparari posse, & de facto reparari per sumptionem cibi; ergo, quia per sumptionem cibi vivens nutritur, convertendo de alimento in propriam substantiam quantum de ea perdiderait per actionem caloris naturalis.

9 Nec potest dici, quod talis reparatio non sit per acquisitionem novae partis substantiae, sed per hoc, quod substantia praexistens accipit maiorem

quantitatem, & sic robatur, & confortatur. Nam extensio quantitatis, sine additione nova materiæ, quæ propriè est refactio, potius causat debilitatem, quam robur in membris, eo quod rarefactio aliquando disiungit, & separat partes substantiæ, sicut è contrario condensatio eas congregat, & unit. Virtus autem unita fortior est, quam dispersa: ergo per solam maiorem quantitatem non salvatur reparatio, quam experientia docet in eis, qui post morbum convalescunt per sumptionem cibi; maximè si supponatur, ut in casu præsenti supponimus, deperditum aliquid de propria substancia per diuturnam inediā.

10 Ad argumenta in contrarium respondet ad 1. cum D. Thoma, Dominum non dixisse, quod totum, quod intrat per os, convertitur in excrementum, & in secessum emititur: sed dixit, quod omne. Quod quidem indicat, propositionem esse distributivā: quæ distributio quantum ad speciem cibi est pro singulis generum, itaut de omnibus, & singulis cibis verificatur, quod aliquid illorum in secessum emititur. Ceterum quantum ad partes cibi est distributiva quasi pro generibus singulorum, itaut de omni alimento illud, quod est impurum;

& terrestre convertatur in excrementum, quia non est aptum ad nutritionem viventis; alia vero partes puriores transseant in substantiam aliti.

I. Ad 2. resp. quod sicut potentia generativa hominis attingit unionem animae rationalis ad materiam, in qua primò generatur homo de novo genitus: ita potētia nutritiva, quæ est virtus eiusdem animæ rationalis, potest attingere unionem eius ad materiam cibi. Ad 3. neg. Sequela cum sua probatione, quia ut supradiximus, non omni tempore vita reparatur quidquid deperditum est per actionem caloris naturalis, sed aliquando minus, ita ut quandoque perveniat ad hoc, ut nihil reparari possit: & tunc animal moritur. Hoc autem ideo est, quia ipsa substantia viventis, & virtus eius, & quidquid instrumentaliter deservit ad nutritionem, paulatim deterioratur, & debilitatur per continuam admissionem materiae extraneæ, qualis est materia ciborum, & qualitatum eius. Sicut patet in vino, cui si aliquam parvam quantitatem aquæ infundas, illam in se convertet; sed si iterum, & tertio, & pluries tantundem aquæ infunderis: tandem ita debile reddeatur, ut ultra non possit aquam in se convertere, sed potius

species vini solvatur, & corrumperatur.

§. II.

Resolvoitur secunda pars questionis.

II. In secunda parte questionis dubitatur, an solis viventibus conveniat nutriti? Circa quod communis sententia cum Philosopho 2. de Anima, & D. Thoma ibidem lect. 9. tenet partem affirmativam; sed difficile est videre quomodo hoc verum sit. Prob. tamen ratione eiusdem D. Thome loco citato. Illud propriè nutritur, quod in se ipso aliquid recipit ad sui ipsius conservationem: sed sola viventia sunt huiusmodi: ergo sola illa propriè nutrituntur. Min. prob. in igne, cui inter omnia inanimata magis videtur competere ratio nutritionis. Nam licet igni semel accenso addatur nova materia combustibilis, & ex tali materia generetur ignis; tamen id quod generatur non cedit in conservationem ignis præexistentis: ergo per additionem novæ materiæ nihil apponitur igni ad sui ipsius conservacionem. Ant. tamquam certum videtur supponere Ang. Doct. potest tamen probari sic. Nam

in materia, quæ additur, nihil conservatur ignis præexistentis: non quidem materia præexistens sub forma ignis, ut per se patet: nec etiam forma eiusdem ignis præexistentis, quia in materia combustibili addita generatur nova pars formæ ignis: ergo materia addita non cedit in conservationem ignis præexistentis. E contrario autem evenit in viventibus, in quorum nutritione non generatur nova pars formæ, sed forma præexistens extenditur ad informandam materiam alimenti: & ideo materia alimenti cedit in conservationem viventis, quatenus eius forma eadem conservatur in alia materia.

13 Dices, hanc probationem supponere vnum incertum, scilicet, quod in omnibus viventibus nutritio sit, sine productione novæ partis formæ: cum tamen sit probabile, quod in animalibus imperfectis, quorum Animæ sunt divisibiles, dum nutriuntur, educitur nova pars Animæ de potentia materiæ. Resp. quod licet hoc sit probabile, illud tamen esse falsum, & negandum satis convincit sententia communis, quam modo propugnamus, & ratio facta D. Thomæ pro ea. Si enim in materia alimenti producitur nova forma partialis, quomo^d talis materia cedit in conser-

vationem præexistentis substantiae viventis? Vel si produc^ta nova parte formæ, materia alimenti cedit in conservationem viventis: cur non erit idem in igne, cuius virtute materia pabuli, seu fomenti quo nutritur, recipit formam partialem ignis, & sic continuatur, & vnitur cum præexistenti?

14 Aliquas enim disparates, quas quidam adhibent inter ignem, & viventia, statim expungemus tamquam inviles. Praterea: quia ponere nutritionem cum eductione novæ partis formæ in materia alimenti, est dicere eam fieri per iuxta appositionem, & additionem: quæ nutritio non est propria viventium, sed impropria, & communis non viventibus. Ratio est, quia materiam apponi, seu addi ei, quod nutritur per solam iuxta appositionem non consistit in eo, quod talis materia non vniatur, & continuetur cum materia præexistente rei nutriendæ; alias ignis non nutritur per solam iuxta appositionem, cum ad sensum pateat, quod materia pabuli recipiens formam ignis continuatur cum igne præexistente: ergo si simul cum nova parte materiæ advenit nova pars formæ in nutritione viventium, solum erit additio, & iuxta appositiō, tam ex parte

materiæ , quām ex parte for-
mæ , etiam si , tām materia ,
quam forma de novo adveniens
continuetur cum præexisten-
te.

15 Quod autem animæ
animalium imperfectorum sint
divisibiles , non probat , quod
necessariò debeat produci pars
animæ , dum nutrituntur . Quia
sicut per rarefactionem eadem
materia absque aliqua additio-
ne extenditur ad occupandum
maiorem locum : ita per virtu-
tem nutritivam animæ , etiam
divisibilis potest fieri , quod
eadem perseverans , absque ad-
ditione alicuius partis informet
novam materiam .

16 Ex eadem ratione pro-
bat D. Thomas in eodem loco ,
quod non viventia propriè non
augentur : quia ad proprium
augmentum requiritur , quod
illud idem , quod antea præ-
xistebat , crescat . In non vi-
ventibus autem non crescit ali-
quid , quod antea esset : sed ex
superveniente materia cum sua
parte formæ sit aliud totum
maius ; admodum quo cum duæ
portiones aquæ continuantur ,
sic maior aqua , sed nulla ea-
rum portionum crescit . Huius
autem ratio eadem est , quam
suprà deditus de nutritione ,
quia nempè in augmento non
viventium simul cum nova par-
te materiae advenit nova pars
formæ .

17 Secundò prob. com-
munis sententia . Nam quod
propriè nutritur , propriè etiam
augetur : sed augmentum est
quidam motus : ergo si non vi-
ventia propriè nutrituntur , etiam
moventur motu augmentatio-
nis . Sed motus augmentatio-
nis procedit activè ab eo ipso ,
quod augetur , quia virtus aug-
mentativa residet intrinsecè in
eo , quod augetur , sicut virtus
nutritiva in eo , quod nutri-
tur : ergo non viventia activè
se haberent erga proprium mo-
tum , & consequenter move-
rent se ipsa : ergo viverent per
talem motum , quia vivere est
se mouere .

18 Contra hanc commu-
nem sententiam adest argumen-
tum iam insinuatum de igne :
qui quidem per propriam , & si-
bi intrinsecam virtutem con-
vertit pabulum , quod sibi ap-
ponitur , vt Oleum , vel Ce-
ram , in propriam substantiam ,
& ratione huius conversionis
conservatur , & augetur ma-
nens idem numero : ergo verè ,
& propriè nutritur , & augetur .
Patet conseq. quia nutritio ni-
hil aliud est , quam conversio
alimenti in propriam substan-
tiam . Et confirmatur . Nam
ignis non solum virtute propria
generat ignem in materia com-
bustibili , sed etiam unit , &
continuat sibi talem materiam ;
sed

sed nihil amplius faciunt viventia de materia alimenti, quam eam proprie materiae continua re, & vnire: ergo sicut ista nutritantur, ita ignis nutritur.

19 Ad hoc argumentum respondent aliqui, ideò ignem non nutritiri, neque augeri propriè, quia non augetur, nec nutritur per intus sumptionem, sed tantum per iuxta appositionem materiæ. Recurrunt etiam ad hoc, quod virtus ignis non potest per se destinata, & ordinata ad augendum ipsum, vel nutriendum: quia ignis per se non indiget nutrimento, sed solum per accidens; vnde in propria sphera ignis elementalis nutrimentum non habet. At verò viventia indigent per se alimento, quo nutrientur, & augeantur, eo quod ut inquit D. Thomas quæst. vnica de Anima, art. 13. ad 15. Viventia cum fiant ex semine, debent à principio suæ generationis produci in modica quantitate: ideoque ex vi generationis non possunt habere tantam quantitatem, & substantiam, quanta requiritur ad debite exercendum suas operatio nes; vnde necessè habent eam acquirere per nutritionem, & augmentationem. Cœterū non viventia à principio suæ generationis producuntur cum tota substantia, & quantitate,

quæ sufficiens est ad exercenda dum operationes proprias.

20 Denique recurrunt ad hoc, quod in non viventibus non quælibet pars augetur, & nutritur: quod quidem necessarium erat ad veram, & propriam nutritionem, vt docet Philosophus in 1. de generat. Et eisdem etiam disparitatibus nituntur probare communem sententiam, quam modo pro pugnamus. Cœterū illæ, nec probant, nec evacuant vim argumenti.

21 Et quidem prima, & secunda valde materiales, & superficiales sunt. Nam nutritri per intus sumptionem, vt ab istis AA. intelligitur, consistit in habendo aliquod, vel aliqua receptacula interna, vt os, stomachum, & alia, in quibus alimentum receptum digeratur, concoquatur, & vltimò disponatur ad conversionem sui in substantiam aliti. Hoc autem de materiali se habet, & quasi praæambulum est ad nutriti onem, cuius essentia consistit in conversione alimenti in substantiam aliti facta per virtutem intrinsecam ipsius aliti. Vnde dummodo aliquid habeat intrinsecam virtutem conver tendi in se externam materiam alimenti, salvatur ratio, & essentia nutritionis, sive ali mentum prius deferatur in ali-

quem internum locum aliti , si-
vè non.

22 Similiter secunda dis-
paritas de eo , quòd virtus ignis
non sit per se , & primariò
destinata ad ipsum nutrien-
dum , impertinens est propter
rationem iam dictam : quia
nempè talis virtus intrinseca
conversiva est materiae externæ
in substantiam ignis. Quòd au-
tem talis virtus ad hoc non sit
primariò destinata , ad sum-
mum convincit , ignem non nu-
triri ex indigentia , & necessi-
tate : non autem , quòd pro-
priè , & simplicitè non nutritur.
Nec D. Thomas adducit
illam doctrinam , & differentiam
non viventium à viventibus ad
probandum hæc nutriti , illa
verò non ; sed supponens illud
aliundè probatum , loco scilicet
citato , & ratione à nobis ad-
ducta , vtitur tali doctrina ad
probandum , viventia indige-
re potentia nutritiva realiter
distincta ab Anima ipsorum , vt
constat ex titulo , & contextu,
art. 13. quæstionis de Ani-
ma.

23 Tertia disparitas vera
est , quia in non viventibus ,
non solum non augetur , vel
nutritur quælibet pars verùm
nec illa , quæ præexistebat , au-
getur , vel nutritur ; solum enim
per additionem novæ partis ,
tam materiae , quam formæ fit

totum maius , vt inquit D. Tho-
mas. Ceterum huius ratio qua-
ritur : & nisi recurratur ad nos-
tram supra positam , non vide-
tur alia posse afferri. Nam si
attendamus ad id , quod oculi
percipimus , dum lucernæ in-
funditur Oleum , non minus
videtur tota flamma , & secun-
dum omnes suas partes augeri ,
& crescere , quam viventia per
sumptionem cibi crescere se-
cundum omnes partes cernuntur.
Sed de modo , quo omnes
partes viventium augentur ,
dicemus quæst. sequenti.

24 Qua propter ad argu-
mentum negandum est ant.
quoad omnes suas partes : ne-
que enim ignis convertit pabu-
lum in propriam substantiam
propriè loquendo , neque per
illud conservatur , & augetur.
Nam licet convertat materiam
pabuli in ignem producendo
in ea formam propriæ speciei:
non tamen id , quod producit
redit in conservationem ignis
producentis , quia nihil substanciæ
ignis producentis conserva-
tur in materia pabuli , sed pro-
ducitur in ea nova pars formæ ,
vt dictum est. Quod autem
ignis maneat idem numero
etiam facta additione novæ
partis formæ in materia pabuli ,
præterquamquod incertum est ,
& de eo videtur dubitare D. Tho-
mas loco à nobis allegato ex 2.
de

de Anima, adhuc non probat, ignem verè, & propriè nutriti. Quia talis unitas numerica est per solam continuationem partis additæ cum igne præexistente, non autem per conversionem eius in substantiam ignis præexistentis. Sicut dum modica portio aquæ additur alteri aquæ maiori, hæc manet eadem numero: sed non est ibi nutritio, nec conversio unius aquæ in aliam.

25 Ad confirmationem admissum, quod ignis continuat sibi materiam pabuli, negatur min. Quia viventia aliter continuant, sibi materiam alimenti, scilicet applicando propriam formam, ut informet materiam alimenti, sine productione novæ partis formæ: & in hoc consistit vera nutritio, & conversio alimenti in propriam substantiam. Poterat etiam negari ant. Quia licet ignis producat formam suæ speciei in materia, quæ ei applicatur, non tamen continuat eam sibi; sed hæc continuatio causatur ab agente applicante materiam igni, vel ignem materiam. Sicut cum aqua additur aquæ, continuatio utriusque fit per motum localem ab agente applicante unam alteri, non autem ab aqua.

QUÆST. II.

AN EIUS, QUOD AUGMENTATUR, quilibet pars augeatur? Et an vivens permaneat idem numero toto tempore nutritionis, & augmentationis?

§. I.

Resolvitur prima pars affirmativa cum communis sententia.

Creva primam partem dubij secundum est, Aristotelem in hoc libro lect. apud D. Thomam 14. dixisse, quod eius, quod augetur quilibet pars aucta esse videtur. Quod quidem tamquam experientia ipsa compertum affirmavit, videamus enim in nobis dum nutritur, & augemur, quod omnia membra, & omnes corporis partes augentur simul, usque dum perveniant ad debitum quantitatis terminum à natura præfixum. Hoc tamen sit proportionaliter in singulis membris, & partibus: ita ut non omnes partes per augmentum, & nutritionem aequalē quantitatē acquirant; sed unumquodque augetur servata proportione ad eam quantitatē,

N 2 quam

quam debet habere. Quamvis autem propositio Philosophi vera sit , & experientia ipsa probata : sed quomodo hoc augmentum per omnes partes viventis fiat , difficultate non caret.

2 Sed ante huius difficultatis discussionem oportet quendam sensum, ad quem RR. aliqui reducunt questionem , explodere. Instituunt enim questionem de partibus aliquotis , & proportionalibus disputantes, quæ nam ex eis per se , & immediatè augeantur , & nutriantur ? an scilicet proportionales ratione aliquotarum, vel è contra ? Cæterum mihi videtur hæc distinctio partium aliquotarum , & proportionalium quantum ad præsentem questionem impertinens esse , & extra rem. Sicut enim dum aliquid movetur localiter motu per se , omnes eius partes moventur , quin men aliquod dubium admittat , an partes aliquotæ moveantur immediatiùs quam proportionales , vel è contra : ita est in motu per se augmentationis.

3 Quod autem hic sensus, vel hic modus inquirendi non sit ad mentem Philosophi, constabit notando , Aristotelem lib. I. de generat. lect. citata tria ponere requisita ad motum augmentationis. Primum est,

quod id , quod augetur ; permaneat idem , quod anteā : secundum , quod eius , quod augetur , quælibet pars augeatur: tertium , quod augmentum fiat aliquo extrinseco adveniente. Rationem autem secundi requisiū , quod solum pertinet ad hanc primam partem questionis , iuxta D.Thomæ expositionem reddit hanc, scilicet , quod motus augmenti est motus per se , qui per se convenit ei, quod augetur , & non ratione alicuius partis. Ad differentiam motus secundumquid , qui solum convenit mobili ratione alicuiuspartis : sicut dum homo movet pedem,toto reliquo corpore quiescente , dicitur moveri secundum quid tantum , quia non movetur ratione sui , sed ratione alicuius suæ partis. Dum autem movetur motu progressivo , est motus per se , quia totus homo movetur , & omnes eius partes moventur. Quam distinctionem motus per se , & secundumquid explicat modo dicto idem Philosophus , & cum eo D.Thomas 5. Phisic. lect. I.

4 Intentum ergo Aristoteles in prædicta propositione est asserere , quod motus augmentationis non est motus secundum quid , qui scilicet conveniat ei , quod augetur , ratione alicuius partis tantum : ut

Si imaginaremur, quod animal augetur, quia aliqua eius pars, v.g. caput, vel brachium augeatur, reliquis partibus nullum augmentum recipientibus. Non itaque est huiusmodi motus augmenti; sed potius est motus per se conveniens ei, quod augetur, quo omnes eius partes augmentur simul, ut explicatum est in motu de ambulationis. Nihil igitur quantum ad propositum facit distinctio illa partium aliquotarum, & proportionalium.

5 Imò notandum etiam est, quod si aliquis diceret, non omnes partes viventis simul augeri, sed unam tantum, vel alias: vt si casu aliquo accideret, quod virtus nutritiva, vel augmentativa non possit convertere alimentum in substantiam aliti per reliquias partes corporis: posset tamen circa pedem, vel manum. Qui hoc, inquam, assereret, non ideo negaret verum motum augmenti, & proprium solis viventibus, licet talis motus non esset motus per se respectu totius, quod dicitur augeri v.g. hominis, sed conveniret illi secundumquid, scilicet ratione partis. Admodum quo dum homo movet pedem, reliquo corpore quiscente, talis motus est vere, & propriè motus localis, quamvis eo non move-

tur homo per se, & simpliciter, sed solum secundum partem.

6 Verum est autem, hoc esse de mente Philosophi, & in praesenti ab eo assertum, scilicet, quod partes etherogeneæ, seu dissimilares augmentur ratione partium homogenearum, seu similarium. Partes etherogeneæ dicuntur illæ, quæ non sunt eiusdem rationis, & denominationis secundum omnem id, quod habent: vt brachium, caput, manus, &c. Non enim quælibet pars brachij est brachium, nec quælibet pars capitidis est caput. Partes autem homogeneæ è contrà sunt eiusdem rationis, & denominationis in omnibus suis partibus, vt os, & caro; quælibet enim pars ossis est os, & quælibet pars carnis est caro.

7 Coeterum hoc ideo dixit Philosophus, quia denominationis partium etherogenearum sumitur ab eo, quod est accidentale in ipsis, scilicet ab organizatione, & figura, non autem à substantia earum: quia substantia harum partium eadem est cum substantia partium homogenearum. Caput namque, & brachium, &c. quoad substantiam nihil aliud sunt, quam caro, & os, cum principaliter ex carne, & osse consistant: solumque addunt speciem organizationem, ex qua

denominationem desumunt. Cum ergo partes etherogeneæ substantialiter idem sint, quod homogeneæ, recte dixit Philo-Sophus, quòd auctis his augentur illæ, quia scilicet dum augetur caro, & os, augetur substantia partium etherogenearum.

8 His circa sensum quæstionis prænotatis, quod in ea ingredit difficultatem est, quomodo omnes partes viventis simul augeri possint, & nutriti? Cum enim ad hoc requiratur, quod singulis partibus viventis applicentur, vel approximenter aliquæ partes cibi, ut possint converti in substantiam eamdem partium viventis: videtur, hoc non posse fieri, nisi vel per penetrationem partium alimenti cum partibus viventis, quæ naturaliter impossibilis est; vel per scisionem, & ruptionem partium viventis, qua mediente possit alimentum per totum corpus diffundi. Hanc autem scisionem non dari ex eo convincitur, quòd omnis divisio partium viventis causat dolorem, qui tamen non sentitur, dum vivens nutritur, & augentur; nec etiam congruum naturæ est, quòd nutritio, & augmentatio, quæ sunt maximè naturales viventibus, secum afferant aliquem dolorem. Videtur ergo, quòd vivens non

possit augeri, & nutriti secundum omnes suas partes.

9 Ad hanc difficultatem communiter responderetur recurrente ad poros, qui sunt foramina quædam minutissima per totum corpus viventis dispersa, per quæ attrahitur sanguis, qui est materia proxima nutritionis, & defertur ad omnes partes corporis viventis, ut in substantiam earum possit converti. Positis autem poris vicatur, vtrumque inconveniens scisionis, & penetrationis.

10 Sed contra hanc solutionem obstat in primis, quòd revera non vitar inconvenientia prædicta. Nam pori non possunt esse inter se immediati, & contigui: tūm quia alias in corpore nihil esset præter poros; tūm etiam, quia si pori sunt inter se immediati, debent habere extremitates, quibus se tangant. Haec autem extremitates, vel sunt puncta, vel lineæ, vel superficies: sed nec puncta, nec lineæ, nec superficies naturaliter possunt esse sine aliqua profunditate, & soliditate eius, in quo sunt: ergo inter concavitatem unius pori, & concavitatem alterius mediat aliqua pars corporis solida, quæ non habeat aliquam concavitatem receptivam alimenti. Debet ergo inter porum, & porum mediate pars

solida : quo posito redit idem argumentum. Nam hæc pars solida cum sit divisibilis , debet etiam habere suas partes, & secundum omnes illas debet augeri : alias vivens non auge- retur secundum omnes suas par- tes. Cum autem omnes partes huius partis solidæ non sint æquæ approximata poro eidem parti contiguo , & consequen- ter, nec alimento existenti in eodem poro : non poterit ali- mentum converti in substanciam talis partis , nisi vel pene- trando illam , vel scindendo, ut sic possit pervenire ad om- nes partes illius partis solidæ, & in eas converti.

11 Quod si propter hoc di- catur cum Rubio , non esse ne- cessarium , quod alimentum vniatur immediate omnibus partibus illius partis solidæ, sed sufficere , quod vniatur imme- diate secundum extremitatem eiusdem partis solidæ : itaut dum convertitur alimentum in substantiam illius partis , des- truitur superficies , vel aliud, quod terminabat illam partem, & per quod eadem pars tangebat alimentum existens in poro sibi contiguo : quo terminati- vo destructo fit continuatio ali- menti conversi cum illa parte solida , & sic dicitur illa pars tota augeri.

12 Si hoc , inquam , dica-

tur , contra illud manet potissi- ma , & præcipua difficultas hu- ius questionis ; quia neimpè hic modus dicendi non salvat aug- mentum proprium viventium, sed solum impro prium , quod est commune non viventibus, & fit per additionem , & iuxta appositionem. Patet hoc : nam etiam ignis dum augetur , non solum ei iuxta ponitur mate- ria externa , sed etiam eadem materia recipiens formam ignis continuatur cum igne præexit- tente ; consequenterque etiam destruitur id quod terminabat quantitatem ignis præexistentis, ut fiat maior ignis per continua- tionem cum materia de novo adveniente : ergo si non aliter nutruntur , & augmentur viven- tia , nulla est distinctio quoad nutritionem , & augmentationem inter ipsa , & non viven- tia.

13 Præterea . Quia iuxta hunc modum dicendi omnes partes illius partis solidæ reve- rá manent immutat sicut anteā : nec verè crescunt , & sunt maiores , quamvis ex eis , & materia alimenti , quæ additur, fiat aliquid maius ; sicut dum aqua additur aquæ , fit quidem maior aqua , sed nulla pars aquæ illius , cui fit additio , crescit , vel maior fit. Recursus autem ad hoc , quod viventia augen- tur per intus sumptionem , fe- cūs

cùs non viventia , inutilis est, vt constat ex dictis: quia est differentia de materiali se habens ad essentiam nutritionis, & augmentationis.

14. Quare etiam ad solvendū hanc difficultatem necessaria est doctrina suprà tradita de eo , quòd viventia augentur , sínè productione novæ partis formæ. Ex eo enim, quòd eadem forma , quæ informabat partem illam solidam, extenditur , sínè additione ad informandam novam materiam , omnes partes eiusdem partis solidæ immutantur , quia forma omnium earum informat novam materiam : similiter omnes crescunt , & fiunt maiores , quia omnium earum forma informat plus materiae, quam anteà informabat.

15. Etsi dicas , quod adhuc toto hoc concessio , manet idem inconveniens ex parte materiae alimenti , quæ additur. Nam hæc non potest vñiri materiae partis solidæ , quæ nutritur , nisi secundum extremitatem suis alias si vñiretur immediate cum omnibus partibus eiusdem partis solidæ , daretur penetratio materiae alimenti cum materia alii : ergo partes materiae illius partis solidæ quæ alitur , omnino immutatae manent , & consequenter non possunt crescere , nec nutriti.

16. Respondetur admittendo totum : ex quo nihil contranos , quia id, quod nutritur , & augetur , non est materia , nec forma , sed totum, quod ex utraque resultat. Vnde nec requiritur , quod materia partis alienæ immutetur , sed ipsa pars aliena est , quæ immutari debet ; immutatur autem ratione formæ , quatenus forma sua eadem perseverans sínè additio ne est in nova materia. Potest etiam responderi ad hoc ultimum , quòd quia eadem forma , quæ anteà existebat , extenditur ad informandam novam materiam , utraque materia scilicet alimenti , & partis alienæ commiscetur inter se , vt inquit D. Thomas 1. part. quæst. 119. art. 1. ad 2. per hæc verba: Et iterum (cum id, quod ex alimento generatur adiungatur corpori nutritio per modum mixtionis : sicut aqua miscetur vi no , vt ponit exemplum ibidem Philosophus) non potest alia esse natura eius , quod advenit , & eius cui advenit , cum iam sit factum vnum per veram mixtionem. Ex quo patet , quòd ex utraque materia fit vnum plusquam per continua tionem.



§. II.

*Resolvitur secunda pars pro
communi sententia.*

17 **C**irca secundam partem quæstionis iam dictum est, præsupponi ab Aristotele tamquam requisitum ad veram nutritionem, & augmentationem, quod id, quod augetur, & nutritur permaneat idem numero. Cuius quidem ratio clara, & in promptu est: nam nutritio, & augmentatio ordinantur ad conservationem eius, quod nutritur, & augetur: sed si non permaneret idem numero tempore nutritionis, & augmenti, non conservaretur, sed potius destrueretur; nihil enim conservatur, nisi quod permanet idem, ac antea erat: ergo. Præterea. Quia si non ita esset, nutritio, & augmentatio non essent tales, sed potius essent generatio, & corruptio. Generatio quidem eius, quod succedit, & de novo fit numero distinctum à præcedenti: corruptio autem præexistens compositi, quod, si non manet idem numero, necesse est quod pereat, & definat esse: ergo ut salvetur nutritio, & augmentationis distincta a generatione, & corruptione simili-

citer talibus, necessarium est dicere, id quod nutritur, & augetur idem numero permanere toto tempore nutritionis, & augmentationis.

18 Quamvis autem hoc sit ita certum, patitur tamen gravem difficultatem desumptam ex natura ipsa nutritionis, & augmentationis. Nam finis nutritionis est, vt reparetur id, quod de substantia viventis consumptum est per actionem caloris naturalis. Qæ quidem restauratio sit per hoc, quod loco materiae, quæ resoluta fuit in vapores, vel aliud per actionem caloris naturalis, & consequenter separata fuit à vivente, substituitur materia alimenti, quæ recipiens formam viventis transit in substantiam eiusdem. Vnde per nutritionem variatur ad minus materia viventis, ita ut aliquæ partes materiae recedant, & separentur ab eo, & aliae de novo adveniant; & tandiù potest nutriti, & augeri vivens, vt tota materia eius variata sit per continuam conversionem alimenti, taliter, quod nulla pars illius materiae, in qua primò generatum est vivens, permaneat.

19 Ex quo arguitur sic: in hoc casu vivens, non potest idem numero permanere: ergo nutritio non ita sit, vt nu-

tritum idem permaneat toto tempore nattionis. Ant. prob. Quia vnitas numerica materiæ requiritur ad vnitatem individualem, & numericam compoſiti, cum materia sit pars intrinſeca, & essentialis compoſiti, principiumque, & radix individuationis, ergo non permanente eadem numero materia, non potest idem numero vivens permanere. Auget autem difficultatem, quod D. Thomas 2. de Anima lect. 9. videtur dicere, ignem, qui resultat ex pluribus lignis dum comburuntur, solum esse vnum per aggregationem, ſicut acervus lapidum. Sed in 1. parte, quæſt.

119. citata explicat vnitatem numericam viventium, dum nutriuntur, & augmentur, exemplo ignis, cui paulatim apponuntur plura ligna comburenda: qui quidem ignis est idem numero, quia non tota materia eius ſimul amittit formam ignis, ſed per partes, ſuccedentibus alijs lignis, quorum materia transit in ignem præ-existentem. Vnde videtur S. Doctor. non maiorem vnitatem numericam agnoscere in viventibus, dum nutriuntur, & augmentur, quam in igne, qui per continuam combustionem lignorum conservatur.

20. Ut hanc difficultatem solvant aliqui apud P. Rubio

ponunt, quod in viventibus semper manet illa materia, & substantia, cum qua generata fuerunt in principio; variationem verò ſolum admittant ex parte illius substantiæ, & materiae, quæ advenit per conveſionem alimenti, quæ etiam deperditur, & iterum restauratur continuè toto tempore nutritionis, & augmenti; ſemper tamen manente illæſa, & integra illa materia, quam in principio generationis habuerunt. Ratione autem huius materiæ permanentis dicunt ſalvari vnitatem, & identitatem numericam viventis tempore nutritio-nis.

21. Sed hunc modum dicendi impugnat D. Thomas loco citato 1. part. ex eo, quod iſti AA. admittunt, aliquid de alimento converti in ſubstantiam viventis, quod alitur: quo poſito nulla eſt ratio, quare id, quod deperditur per actionem caloris naturalis ſit illud, quod acquisitum eſt ex alimento, & non illud, quod vivens habuit in prima ſuī productione: quia utrumque, ſcilicet id, quod advenit ex alimento, & ſubstantia cum qua vivens generatum eſt, iam ſunt vnum per veram mixtionem.

22. Alij autem recurruunt ad partes duriores, ut ſunt ossa, & alia, quæ licet augeantur, non

nō tamen consumuntur , vel ad summum parum est , quod de eis consumitur , vt experientia ipsa docere videtur . Et ratione harum partium salvare nuntuntur identitatem materiae , & consequenter identitatem viventis tempore nutritionis . Ceterū hoc parū , aut nihil refert : nam ossa non ita principaliter pertinent ad constitutionem viventis , sicut caro , quia minus participare videntur de vita , & minus informari ab Anima ; vel saltē non minus caro , quam illa , pertinet ad talement constitutionem . Vnde cum ipsi admittant variationem in materia carnis de cursu temporis quantum ad omnes partes , vel saltē quantum ad plures : non est maior ratio , vt materia viventis sit eadem propter permanentiam materiae osium , quam diversa propter variationem materiae carnis .

23 Tandem prædictus A. & cum eo PP. Complut. & Colleg. D. Thomæ distinguunt inter partes materiae sumptas materialiter , & inesse entis , & ipsas sumptas formaliter : & dicunt , quod sumptæ primo modo variantur , & non sunt eadem toto tempore nutritionis ; sumptæ vero secundo modo icti per permanent eadem numero . Partes autem materia-

liter , & entitatib[us] sumptas appellant partes materiae secundum se præcissè consideratas : formaliter vero , in quantum considerantur , vt unitæ per continuationem , & imperceptibilem successionem unius post aliam cum partibus præexistentibus viventis ; ratione cuius continuationis sunt unum cum materia præexistente : & sic vivens semper conservat eandem numero materiam formaliter sumptam , & permanet idem numerò .

24 Hæc solutio sustineri potest , si adiungatur id , quod sæpè diximus , nempe quod in nutritione viventium etiam imperfectorum non producitur nova pars formæ in materia alimenti de novo adveniente , nec in diminutione deperditur aliquid eiusdem formæ . Hoc enim posito dicendum est ad argumentum factum contra communem sententiam , quod stante unitate , & identitate formæ viventium , quæ non recipit additionem , nec diminutionem , sufficit ad unitatem numericam eorum identitas ex parte materiae per continuationem , imo vt inquit D. Thomas per mixtionem veram cum materia viventis præexistente . Quia cum viventia capacia nutritionis sint corruptibilia , & mutabilia secundum incrementum ,

rum , & decrementum : ita debent conservari in suo esse , & unitate numerali , ut etiam patiantur aliquam mutationem in propria substantia : quam mutationem patiuntur , in quantum forma eorum potest amittere materiam , in qua est , & informare aliam extraneam continuando eam sibi .

25 Præterea per hanc doctrinam habet locum id , quod aliqui dicunt explicantes , quomodo materia viventium semper sit eadem formaliter , licet entitativè varietur : quia , inquit , semper stat sub ordine ad idem totum . Hoc autem , nisi recurratur ad prædictam doctrinam , est petitio principij ; nam difficultas præsens est , quomodo possit compositum vivens permanere idem numero , si materia , quam habet nunc , non est eadem , sed alia diversa ab ea , quam anteà habebat ? Respondere autem , quòd materia est eadem , quia compositum , ad quod dicit ordinem , est idem numero , est respondere cum eadem difficultate , & circulum committere . Stante autem unitate omnimoda formæ , vt nos ponimus , iam est aliquid unum , per ordinem ad quod materia viventis permaneat eadem formaliter , licet materialiter , & inesse entis varietur ; materia enim ut stat

sub ordine ad formam viventis invariata , & ab ea informatur , est eadem formaliter . Sicut licet superficies aquæ , vel aeris ambientis arborem stantem in flumine varientur per continuam successionem : tamen ut sunt locus arboris sunt idem formaliter , itaut arbor maneat semper in eodem loco ; quia nempe in ordine ad locandum arborem considerantur , ut stant sub distantia ad aliquid fixum , scilicet ad polos : quæ distantia semper eadem est in omnibus superficiebus , quæ successivè ambiunt arborem , ut dimidius 4. Phisic.

26 Ad id autem , quo vrgentur difficultas ex D. Thoma ; resp. S. Doctorem non intendere omnimodam similitudinem inter unitatem ignis per continuam combustionem lignorum , & unitatem viventium per conversionem alimenti in propriam substantiam : sed aliqualem tantum . Loquitur enim supponendo disparitatem , quam in eadem quæst. 119. tradit , consistentem in eo , quod in viventibus ex materia præexistente , & materia alimenti sit unum non solum per continuationem , sed etiam per veram mixtionem . Forte etiam supponit , quòd in viventibus nulla sit additio per nutritionem ex parte formæ , vt ex eius

ratione supra facta quæst. ant.
§. 2. num. 12. non obscurè
colligitur.

QUÆST. III.

AN NUTRITIO, ET
augmentatio sint motus
continuus?

S. I.

*Proponantur fundmента sen-
tentiae affirmantis.*

Circa hanc difficul-
tatem pro utraque
parte sunt Antho-
res, qui videri possunt apud
Rubio, & PP. Complut. &
teste Colleg. D. Thomæ plures
intra Scholam eiusdem tenent
partem negativam afferentes,
eas esse mutationes instantaneas,
& terminum alterationis
præcedentis, sicut dicitur de pri-
ma generatione viventis. Quod
vero attinet ad mentem Aristote-
lis idem iudicium videtur esse
ferendum de sententia negati-
va, ac de sententia negante
continuitatem alterationis, quod
nempè talis sententia est expres-
sè contraria doctrinæ Aristote-
lis, qui augmentationem nu-
merat inter species motus proprie-
sumpti, & contradistincti
a mutatione instantanea. Nisi
forte dicatur augmentationem,

quam Aristoteles ponit inter
species motus propriæ sumpti,
esse augmentum solius quanti-
tatis, quod fit per rarefactio-
nem, non autem augmentum
substantiæ quantæ, quod fit per
nutritionem. Michi sane res
hæc dubia, & incerta est: ideò
utriusque sententiae fundamen-
ta proponam, & quæ contra
affirmativam procedunt, sol-
vam, quia communior esse vi-
detur.

2 Pro parte igitur affirmati-
tiva adsunt hæc argumenta.
Primum est, quod nutritio si-
mul fit, & in eadem duratione
cum augmentatione: sed aug-
mentationio est motus continuus;
& fit in tempore, vt est ex-
pressum in Philosopho: ergo
etiam nutritio fit in tempore,
& non instanti, consequenter-
que est motus continuus. Se-
cundò. Quia hæc est differentia
inter primam productionem
viventium, & eorum nutritio-
nem, quod in prima sui pro-
ductione petunt determinatam
materiam, & quantitatem, vt
valeant suas exercere operatio-
nes. Vnde quoisque tota hæc
materia sit disposita, non potest
introduci forma viventis in pri-
ma generatione; & cum mate-
ria determinata non posset esse
tota simul disposita, nisi in ins-
tantii terminativo alterationis;
consequens est, quod generatio-

prima viventium sit in instanti,
& non possit esse successiva.

3 At verò in nutritione
iam supponitur vivens cum sua
debita quantitate: ideoque ut
nutriatur, vel augeatur, non
requirit determinatam portionem
materiæ, vel quantitatis,
sed per quamcumque minimam
potest nutriti, & quamcumque
minimam partem materiæ po-
test convertere in suam sub-
stantiam. Ex quo fit, ut non
detur pars materiæ alimenti ita
parva, ut illa possit converti
in substantiam viventis, non
autem minor ea: quod est non
dari in materia alimenti *mini-
mum quod sic*, seu terminus in-
trinsicus paruitatis. Imò nec
datur pars materiæ ita parva,
quod non possit converti, be-
nè tamen maior ea: quod est
non dari terminum extrinse-
cum paruitatis, seu *maximum
quod non*; sed quacumque data
parte minima adhuc minor, &
minor usque in infinitum con-
verti potest, & vivens potest
per eam nutriti, & augeri:
quia licet talis pars minor, &
minor per se, & separatim non
possit informari forma viven-
tis, potest tamen unita, & con-
tinuata cum materia præexisten-
te viventis: quæ quidem
materia præexistens semper per-
severat cum debita quantitate,
quam requirit forma viventis.

4 Hoc statuto, probatur;
quod nutritio debeat fieri suc-
cessivè, & in tempore, & con-
sequenter sit continua. Nam
quæcumque pars alimenti inde-
terminatè, & proportionaliter
minor potest converti in subst-
tantiam viventis: ergo agens
disponens materiam alimenti
non introducit ultimam dispo-
sitionem ad conversionem in
aliqua parte certa, & determi-
nata materiæ alimenti taliter,
quod non priùs introduxerit
eandem ultimam dispositionem
in medietate illius partis, &
priùs in medietate huius me-
diatatis, & sic in infinitum.
Hæc consequentia patet ex di-
ctis, quia quælibet pars propor-
tionaliter, & indeterminate mi-
nor est capax converti in subst-
tantiam viventis: ergo est ca-
pax recipere ultimam dispo-
sitionem ad eandem conversio-
nem. Sed ultima dispositio ad
conversionem fit per motum
alterationis alimenti, qui est
successivus, & continuus: er-
go successivè introducitur talis
ultima dispositio in partibus
alimenti; & consequenter
etiam nutritio, quæ sequitur
positionem ultimæ dispositio-
nis, fit successivè per partes in-
determinatas minores, & mi-
nores.

5 Confirmatur hæc ratio.
Nam omne agens priùs, & for-
tiùs

tiū agit in partes passi sibi propinquiores, quam in remotiores, ut experientia ipsa constat, dum accedimus ad ignem; partes enim corporis, quæ proximiōres sunt igni, prius, & magis caleſiunt, quam eæ, quæ magis distant: sed partes alimenti non possunt æquè proximæ esse substantiæ viventis, nec virtuti nutritivæ: quia etsi alimento secundum superficiem possit ex omni parte, & æquāliter circumdari à vivente, tamen partes eius profundiores sicut aliae alijs magis distant à superficie eiusdem alimenti, ita magis distant ab ipso vivente. Quod quidem locum habet in omni parte, sive parva, sive magna, quia qualibet debet habere suam profunditatem, & consequenter partes magis, & minus distantes: ergo virtus nutritiva prius agit, & fortius in partibus alimenti sibi propinquiores, priusque in eis introducit ultimam dispositionem ad formam viventis, quam in remotis. Ergo prius in partibus alimenti proportionaliter minoribus, & minoribus, ut poterit minus distantibus; consequenterque nutritio fiet successivè, & in tempore per partes minores, & minores alimenti.

(9)

§. II.

Fundamenta sententiae negantur, & solvantur.

6 PRO parte autem negativa adsunt hæc argumenta. Primo, quia si nutritio est motus continuus, sequitur dari per se motum ad substantiam, quod est contra Aristotelem, & receptam Philosophorum sententiam. Sequela probatur. Nam terminus per se nutritionis est substantia vivens licet partialis. 2. Quia si nutritio est motus continuus, incipiet extrinsecè, & per ultimum sui non esse sicut reliqui motus: sed hoc esse non potest: ergo. Min. prob. Si nutritio incipit per ultimum sui non esse, eodem modo incipiet pars substantiæ viventis per nutritionem acquisita, quod est contra communem Philosophorum sententiam afferentium, substantiam incipere per primum sui esse.

7 Rursus sequitur, substantiam alimenti definire per ultimum sui esse, cuius contrarium asseritur etiam a Philosophis, ut diximus lib. 6. Phisic. Sequela probat. Quia semel, quod nutritio incipiat per ultimum sui non esse, verum erit dicere, nunc

nunc vltimo non est forma viventis in materia alimenti , & immediatè post erit : ergo in eodem nunc , sive in instanti verùm etiam erit , nunc vltimo est forma alimenti in materia , & immediatè post non erit : alias si hoc non esset verùm , daretur aliquod instans , in quo materia aliqua , nec haberet formam viventis , nec formam alimenti , & sic existeret sine forma . Sed hoc est alimento desinere per ultimum sui esse , ut patet ex explicatione terminorum inceptionis , & desitionis ab omnibus recepta : ergo substantia desineret per ultimum sui esse .

8 Tertiò in illo instanti extrinseco , quod est vltimum non esse nutritionis , vel materia alimenti est sufficientè disposita ad receptionem formæ viventis , vel non ? Si est : ergo in eodem instanti introducetur in ea forma viventis , & sic nutritio fiet in instanti , & non in tempore . Si noa est sufficientè disposita : ergo nec immediatè post erit sufficientè disposita , & consequenter nutritio non poterit esse immediatè post . Prima consequentia prob . Tum , quia materia alimenti disponitur per alterationem : alteratio autem cum sit motus , & accidens recipitur in toto composto corrumpendo , scilicet in

composito ex materia ; & forma alimenti , vt nunc supponimus ex communi Thomistarum sententia circa subiectum accidentium : sed immediatè post ad illud instans forma alimenti non est in materia , quia immediatè post datur in ea forma viventis , vt vult sententia , quam modo impugnamus ; duplex autem forma non potest simul esse in eadem parte materialè : ergo immediatè post non datur alimento , quod possit disponi per alterationem , & consequenter immediatè post non potest sufficientè disponi materia , si in instanti antecedenti non est disposita .

9 Tum etiam prob . eadem conseq . Quia immediatè post est tempus , cum immediatè post instans non possit sequi aliud instans , alias darentur duo instantia immediata in tempore , illudque componeretur ex solidis indivisibilibus contra sententiam Aristotelis : sed dispositio , quæ sit cum tempore , non potest tota simul esse completa , sed necessariò debet fieri successivè , & per partes : ergo immediatè post ad illud instans non potest dari tota dispositio requisita ad conversionem : ergo falsum est , quod materia est sufficientè disposita immediatè post ad illud instans .

10 Ad 1. ex his argumentis

fis tacitè respondent PP. Complut. qui dum accedunt ad disputandam hanc questionem, notant, se ideo non querere, an nutritio sit motus continuus? sed an sit mutatio continua? Quia certum est in doctrina Aristotelis, nutritionem, cum terminetur ad substantiam, non posse esse motum: potest tamen esse mutatio. Mutationem autem dari ad substantiam non negavit Philosophus, nec aliquis potest negare, cum generatio substantialis sit vera mutatio, & terminetur ad substantiam.

11 Verum hæc solutio apparenter solum solvit argumentum: quia licet possit dari nutritio instantanea, quæ non sit propriè motus, ut patet in generatione substantiali; omnis tamen mutatio continua, qualis est apud ipsos nutritio, est propriè, & strictè motus. Ratio est, quia si mutatio est continua, constat ex partibus semper divisibilibus: hoc enim est de ratione omnis continui, sive permanentis, sive successivi. Hoc autem ipso, quod habeat partes, illæ debent sibi succedere una post aliam, consequenterque mutatio continua necessariò includit successionem partium, & temporis: sed nihil amplius habet motus strictè sumptus, quam

divisibilitatem in partes sibi succedentes: ergo ponere, nutritionem esse mutationem continuam, est ponere eam esse motum strictè sumptus, & consequenter dari per se motum ad substantiam.

12 Præterea. Omne continuum, vel est permanens, vel successivum: sed mutatio continua non est permanens, quia non pertinet ad aliquam speciem quantitatis permanentis, scilicet lineam, superficiem, vel corpus, ut ex se patet: ergo esse continuum successivum. Sed continuum successivum adquatè dividitur in tempus, & motum: ergo cum non sit tempus, si hoc distinguitur à motu, restat quòd sit motus.

13 Secundò responderi potest, doctrinam Aristotelis de eo, quòd ad substantiam non datur per se motus, intelligendam esse de substantia totali, & dum sit in prima sui generatione, non autem de substantia partiali, qualis est ea, quæ acquiritur per nutritionem. Tunc enim substantia non terminat per se illum motum secundum se sumpta, sed ut est partialis, seu pars adiuncta substantiæ totali viventis, quæ supponitur iam producta; unde talem motum terminat ratione quantitatis, à qua habet esse partem, & non ratione sui.

14 Hæc solutio sustineri posset, si teneretur id, quod aliqui affirmant, nempe nutritionem non esse realiter distinctam motum ab augmentatione. Hoc enim posito, motus nutritionis non terminatur per se ad substantiam, sed ad quantitatem; per accidens vero terminatur ad substantiam, quia nova quantitas non potest esse, sine additione novæ substantiæ partialis. Iuxta hanc ergo doctrinam dicendum esset, quod in nutritione substantia sit ratione quantitatis, & ideo per accidens sit per motum; sicut è converso in prima generatione rei quantitas eius sit ratione substantiæ, & ideo in instanti simul cum ipsa substantia, ad quam sequitur tamquam propria passio. Ex quo colliges, hac solutione non posse uti, nisi inconsequenter eos, qui tenent, nutritionem, & augmentationem esse mutationes realiter distinctas, terminumque primarium, & per se intentum in nutritione esse substantiam, & non quantitatem; in augmentatione vero esse quantitatem, & non substantiam.

15 Ad 2. respondent aliqui concedendo utramque sequelam, scilicet, quod substantia partialis vivens incipiat per ultimum sui non esse, & substantia partialis alimenti definit per

ultimum sui esse. Nec hoc est inconveniens, vel contra id, quod dicetur à Philosophis circa inceptionem, & desitionem rerum. Nam dum ibi dicitur, substantiam incipere per primum sui esse, & desinere per primum sui non esse, intelligitur de inceptione, & desitione substantiæ totalis, & absolute sumpta: non autem quando substantia incipit, vel desinit non absolute, sed ut tanta, sicut contingit in nutritione. Non enim per nutritionem incipit esse absolute substantia vivens, sed solum incipit esse, ut tanta, id est sub pluri materia, & quantitate; & similiter alimentum, quandiu durat nutritio, non desinit esse absolute, sed ut tantum, quia successivè aliqua pars illius indeterminata amittit formam alimenti, & recipit formam viventis.

16 Ad 3. quod revera difficile est, P. Rubio postquam varias aliorum solutiones impugnavit tamquam in sufficietes, respondet, quod in illo instanti, quod est ultimum non esse nutritionis, datur quidem sufficiens dispositio in materia alimenti ad recipiendam formam viventis; sed non datur aliqua pars certa, & determinata, quæ sit primò disposita: & ideo in eodem instanti non potest

test introduci forma viventis, sed introduci debet in tempore sequenti per partes indeterminatas.

17 Cœterum nec hæc solutionio satisfacit. Primò, quia si in illo instanti datur sufficiens dispositio in parte aliqua materiae licet indeterminata, cur non in eodem instanti poterit dari etiam forma viventis in parte etiam indeterminata? maximè cum in eius sententia nutritio fiat per partes indeterminatas minores, & minores. Quod si dicas, hoc esse non posse, quia potius forma introducenda postulat introduci in duratione posteriori ad ultimas dispositiones præbias, ut patet in prima generatione substantiali, cuius dispositiones præviae existunt tempore antecedenti, quod est tempus alterationis, & forma substantialis introducitur in instanti immediatè sequenti, quod est terminus alterationis. Contra est: quia hæc est una ex solutionibus, quas prædictus A. impugnat Tract. de Augment. quest. 3. num. 37. vnde non potest ea vti.

18 Secundò impugnatur prædicta solutio. Nam vel forma viventis, ut introducatur in materia alimenti postulat certam partem materiae, quæ sit primò disposita, vel non? Si non postulat: ergo quod in illo

instanti non detur certa pars materiae primò disposita, non obest quominus in eodem instanti introducatur forma viventis. Si postulat: talis pars certa, & primò disposita non potest dari in tempore immediate sequenti: ergo nec in tempore immediate sequenti poterit dari nutritio. Ant. prob. Tùm propter rationem argumenti, quia scilicet tempore immediate sequenti cum iam sit introducta forma viventis in materia alimenti, iam non est in ea forma alimenti: & consequenter non datur subiectum receptivum dispositionis, quod debet esse totum compositum ex materia, & forma alimenti. Tùm etiam, quia in tempore non datur prima pars, antequam non præcesserit alia, sicut in nullo continuo potest assignari prima pars, antequam non sit alia: ergo nec in materia alimenti si disponitur in tempore, potest dari pars certa primò disposita, antequam alia non sit disposita.

19 Quarè probabilior videtur solutio PP. Complutensis, quam prædictus A. impugnat. Respondent itaque distinguendo inter dispositiones præbias, & dispositiones comitantes, quæ propriè dicuntur ultimæ, & dicunt, quod in instanti illo, quod est ultimum

non esse nutritionis , materia alimenti est sufficienter disposita per dispositiones prævias; sed deest illi dispositio ultima , & comittans , quæ quidem advenit tempore immediate sequenti simul cum forma viventis: hæc enim est natura talis dispositionis , quæ ideo dicitur comittans , quia simul cum ipsa forma introducenda existit , & non ante , nec post.

20 Ex quo patet ad argumentum , ad cuius interrogationem respondendum est sub distinctione prædicta , & neganda est prima consequentia , quia forma viventis nō petit esse , immo nec potest quando adeat dispositio prævia , sed immediate post . Sicut patet in generatione substantiali , quæ existit immediate post alterationem in instanti terminativo illius , quando iam non sunt dispositiones præviæ , sed corruptæ sunt simul cum composito , in quo erant tamquam in subiecto . Cum ergo in nutritione dispositiones præviæ sint in instanti prædicto , consequens est , quod ipsa nutritio sit immediate post , & consequenter in tempore .

21 Similiter ex hoc patet ad aliam partem disiunctivæ , quæ continetur in interrogacione argumenti ; neganda est enim consequentia illius conditionalis , videlicet , quod si in

prædicto instanti materia alimenti non est sufficienter disposita , non poterit disponi in tempore immediate sequenti: vel distinguenda est iuxta distinctionem datam dispositiōnem antecedentium , & comitantium . Quamvis enim immediate post disponi amplius non possit materia alimenti per dispositiones prævias , vt bene probat argumentum : potest tamen ultimò disponi per dispositionem ultimam , & comitantem , vt patet etiam in generatione substantiali . Nec talis dispositio comittans fit per alterationem , sed sequitur tamquam propria passio ad formam , quæ introducitur per nutritionem: sicut in generatione substantiali ultima dispositio est proprietas formæ per generationem productæ , simulque cum eadem forma in instanti generationis existens . Vnde prima probatio consequentiae nihil convincit , quia procedit de dispositionibus præviis .

22 Ad secundum probationem ut respondeatur , notandum est , quod ultima dispositio ad nutritionem cum debeat esse aliqua qualitas propria formæ viventis , quæ per nutritiōnem extenditur ad informandam novam partem materiæ , potest considerari , & quoad sui intentionem , & quoad exten-

monem ad partes materiae alimenti, quæ successivè converuntur in substantiam aliti. Quoad intensionem igitur considerata licet fiat in tempore, non sit cum tempore, nec successivè, successione scilicet intra lineam qualitatis, qua magis ac magis augeatur; sed potius in toto tempore, quo durat nutritio, & in quacumque parte illius semper est tota simul quoad intensionem. Cuius ratio est, quia cum talis qualitas sit proprietas formæ viventis, debet esse in illo determinato gradu intensionis, qui exigitur ab eadem forma, itaut in minori, vel maiori gradu non sit proprietas illius: ut patet in calore, qui solum in certo, & determinato gradu est proprietas ignis.

23 Considerata vero ultima dispositio secundum extensionem ad diversas partes materiae rerum est, quod non est

tota simul: sicut nec tota materia aliqua alimenti simul informatur forma viventis durante nutritione, sed successivè, & pars post partem. Coeterum hoc non obstat, quominus immediate post ad illud instans, quod est ultimum non esse nutritoris, detur ultima dispositio in materia alimenti, licet non sit assignabilis aliqua certa, & determinata pars, in qua primò sit forma viventis. Sicut licet immediate post instans extrinsecum initiativum motus localis, quod est ultimum non esse eiusdem motus, non sit assignabilis aliqua pars spatij, quam primò pertransierit mobile, quia quacumque signata prius aliam minorem, sine termino pertransivit; tamen est verum, quod immediate post

illud instans aliquid

spatij pertransi-

sivit.

) (6) (



DIS:



DISPUTATIO VI. DE RAREFACTIONE, ET condensatione.

QUÆST. Vnica.

Quomodo siant Rarefactio, & condensatio : & ad
quod genus motus reduci debeant?

§. I.

Explicantur definitiones vari, & densi.

Quia rarefactio,
& condensa-
tio aliquam
affinitatem ha-
bent cum augmentatione , &
diminutione , vt ex dicendis
constabit ideo nunc de eis agen-
dum est. Est igitur rarefactio
motus , quo aliquid corpus fit
rarum : condensatio autem est
motus , quo aliquid corpus fit
densum. Rarum autem , seu

raritas in concreto definitur ex
Philosopho , & D.Thoma , quod
habet parum materiae sub mag-
nis dimensionibus : è contra ve-
rò densum est illud , quod habet
multum materiae sub paruis di-
mensionibus . V.g. si accipia-
mus duo corpora æqualium di-
mensionum , seu æqualis quan-
titatis , & vnum eorum habue-
rit plus materiæ , quam alterum:
illud est densum , & hoc rarum ,
di-

dimensionesque licet sint aquales, dicuntur parvae respectu primi habentis plus de materia, & magnae respectu habentis minus. Vnde inter ipsa corpora quædam dicuntur rara, alia autem denta: sicut ignis est rarer omnibus elementis, & universalibus omnibus corporibus sub lunaribus, quia sub æquali quantitate habet minus de materia, quam reliqua corpora.

2 Colligitur autem hæc diversitas in corporibus penè habere plus, vel minus materiarum sub eisdem dimensionibus ex generatione, & transmutatione eorum ad invicem. Nam sunt aliqua corpora, ex quorum uno si generetur aliud, generabitur in maiori, vel minore quantitate, quam ea sub qua erat illud, ex quo generatum est: sicut dicit Philosophus in his libris, quod ex uno pugillo terræ generantur decem, vel plures aeris. Cum ergo materia eius, quod generatum est, sit eadem, quæ anteā erat in eo, ex quo generatum est, quia materia est subiectum commune generationis, & corruptionis, consequenterque communis genito, & corrupto: rursusque non sit plus, nec minus materiarum in genito, quam in corrupto, quia supponimus, totum genitum generari ex toto corrupto, & consequenter ex tota

materia eius: si aliundè quantitas geniti evadit maior, vel minor ea, quæ erat in corrupto: consequens est, eandem materiam, seu tantum illius posse esse iam sub maioribus, iam sub minoribus dimensionibus, consequenterque dari ratum, & densum in corporibus.

3 Colligitur etiam ex hoc, quod datis duobus corporibus æqualis quantitatis, unum possit habere plus, vel minus materiarum, quam aliud. Nam si unum generatur ex alio in maiori quantitate, sicut dictum est de aere genito ex terra, supponamus, illum scilicet aerem generari in dupla quantitate, & sumamus terram, & aerem æqualis qualitatis, v.g. pugillum utrinque. Tunc ex dictis probatur, pugillum terræ plus materiarum habere, quam pugillum aeris. Etenim si generandus esset pugillus aeris ex terra, non generaretur ex tota materia, quæ est in pugillo terræ, sed ex minori, scilicet ex tanta, quantum habet dimidius pugillus terræ; siquidem supponimus, quod aer ex terra generatur in dupla quantitate: ergo si aer generaretur ex tota materia, quæ est in pugillo terræ, non unus tantum pugillus aeris, sed duo generarentur: ergo dum unus tantum generatur, generatur ex dimidia tantum materia, quæ

est in pugillo terræ. Sed in pugillo aeris non est plus materia, quam ea ex qua generatur: ergo duplo minus materia habet pugillus aeris, quam pugillus terræ.

4. Ex his constat intelligentia praedictarum definitionum, & quid dicendum sit ad id, quod solet mouere aliquos, quomodo scilicet in duobus corporibus æqualis quantitatis possit esse plus, vel minus materiae in uno, quam in alio. Videatur enim, hoc esse non posse, cum materia sit tanta a quantitate, quam habet: ergo si corpora habent æqualem quantitatem, habebunt æqualem materiam, nec poterit esse plus materiae in uno, quam in alio. Præterea. Quia cuilibet parti quantitatis correspondet determinata pars materiae æqualis, & commensurata cum parte quantitatis sibi correspondenti: ergo si ponuntur duo corpora esse æqualis quantitatis, omnes partes quantitatis unius corporis erunt æquales partibus quantitatis alterius corporis: & consequenter etiam partes materiae eis correspondentes erunt æquales in utroque. Sed stante æqualitate partium materiae in utroque corpore, non potest unum habere plus materiae, quam aliud: ergo.

5. Constat, inquam, quid

dicendum sit ad hoc. Nam si verum est id, quod docet Philosophus, & experientia ipsa comprobare videtur, scilicet, quod quandoque unum generatur ex alio in maiori quantitate, quam habebat materia eius, ex quo generatum est: necessariò sequitur genitum habere sub sua quantitate minus materiae, quam illud ex quo generatum est, habebat sub æquali quantitate, ut probatum manet.

6. Nec obstant ea, quæ in contrarium obiciuntur. Ad primum enim respondetur, quod ly tantum, seu materiam esse tantam potest sumi dupliciter. Primò prout determinat, & explicat differentias quantitatis secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; & in hoc sensu verum est, quod materia, habet esse tanta à quantitate, quia sive extensionem secundum prædictas differentias, sive tautitatem extensionis non habet nisi à quantitate. Similitè in hoc sensu materia duorum corporum habentium æqualem quantitatem tanta est in uno, quanta in alio, quia non habet maiorem extensionem in uno, quam in alio: nec in uno est latior, longior, vel profundior, quam in alio, supposito, quod quantitas talium corporum sit æqualis in utro.

Veroque quoad omnes tres dimensiones.

7 Secundo modo potest sumi ly *tantum* prout determinat, & explicat differentias multi, & pauci, patet enim non esse idem dicere materiam esse extensam, longam, vel latam, ac dicere eam esse multam, vel paucam. Esse ergo materiam tantam in hoc sensu non habet à quantitate; sed ipsa ex natura sua talis est, ut multa possit esse sub paruis dimensionibus, & parua sub magnis. Per quod patet ad 2. Concedimus enim, quod materia, & quantitas sibi correspondent, & commensurantur quoad extensionem. Et similitè corpora æqualis quantitatis habent materiam æquali- ter extensam secundum omnes partes, ita vt materia vnius non sit magis extensa, nec maior, quam materia alterius; potest tamen esse multa in uno, & pauca in alio, & in uno esse plus materiae, & in alio minus.

8 Hæc dicta sunt, vt ex generatione, & transmutatione corporum concludatur dari rarefactionem, & condensationem consistentem in eo quod multum materiae sit sub paruis dimensionibus, & parum materiae sub magnis, vt traditur in prædictis definitionibus. Cœterum extra generationem substantiali datur etiam condens-

satio, & rarefactio incorporibus absque eo enim quod aliquid substantialiter generetur, vel corruptatur, potest idem corpus substantialiter invariatum rarefieri, & condensari per solam transmutationem accidentalem ad maiores, vel minores dimensiones; quod quidem ipsa experientia docere videtur in aqua, quæ calore rarefit, & occupat maiorem locum: frigore autem condensatur, & in minorum recipit locum. Hæc igitur est rarefactio, & condensatio, de qua in præsenti agimus, qua scilicet idem subiectum quoad substantiam mutatur de maioribus dimensionibus in minores, dum condensatur: vel de minoribus in maiores, dum rarefit; & hoc absque additione etiam partiali, vel deperditione substantiæ, quia si aliqua additio, vel ablatio materiae interveniat, erit augmentatio, vel diminutio substantiæ, de qua dictum est disput. ant.

9 Sed difficultas est, quomodo hic rarefactioni, & condensationi, in qua manet eadem omnino materia, & idem subiectum, quod nunc dicitur esse rarum, nunc densum, possint adaptari supradictæ definitiones. Nam aqua; v. gr. quæ modo est condensata, & postea rarefit, tantum materiae habet dum est rara, ac dum est densa;

Q

alias

alias si dum rarefit, haberet minus materiae, & plus dum condensatur: iam rarefactio, & condensatio fierent per additionem, & subtractionem materiae, quod esse non potest: ergo aqua non est modo rara per hoc quod habeat parum de materia, & postea densa per hoc quod habeat multum: siquidem tam dum est rara, quam dum est densa, habet tantum materiae, & non plus, nec minus.


10 Si dicatur, quod licet aqua habeat tantum materiam dum rarefit, hac habet dum condensatur: tamen eadem materia dicitur pauca respectu dimensionum, quas habet dum rarefit, quae sunt magnae; respectu autem dimensionum, quas habet sub densitate, dicitur multa, quia tales dimensiones sunt paruae. Contra est: quia potius ut supra dictum est, dimensiones dicuntur magnae, vel paruae, quia afficiunt materiam multam, vel paucam. Alter enim non posset explicari quomodo ex duobus corporibus habentibus aequales dimensiones, unum haberet multum materiae sub parvis dimensionibus, & sic esset densum, & aliud haberet parum materiae sub magnis dimensionibus, & sic esset rarum: ergo materia non potest dici pauca, vel multa respectu ad dimensiones. Vel si

ita dicere licet, explicantur per circulum, & vitiouse definitio-nes rari, & densi: dum aliquando materia cum sit una, & tan-ta, dicitur pauca, vel multa, per ordinem ad dimensiones inæquales; aliquando vero di-mensiones cum sint æquales dicuntur paruae, & magnae per or-dinem ad materiam multam, & paucam.

11 Quarè ad difficultatem propositam dicendum est, quod licet materia totalis vnius, & eiusdem aquæ, quæ modo est condensata, & postea rarefit, sit eadem, & tanta in utroque casu: tamen datur in ea plus, & minus secundum partes eiusdem materiae, ita ut minus materia sit in una parte certa, & determinata aquæ rarefactæ, quam erat in parte æquali, & eiusdem quantitatis quando aqua erat condensata.

12 Ad quod explicandum ponamus, aquam per rarefactionem acquisivisse duplo maiorem quantitatem, quam ante habebat: & sit exempli gratia quantitas, quam ante habebat subdensitate, quantitas digitalis. Cum ergo per rarefactionem creverit, usque ad quantitatem duorum digitalium, minus materia est sub quantitate digitali aquæ rarefactæ, quam sub quantitate etiam digitali eiusdem aquæ con-dens-

Sensatæ. Patet hoc , quia in aqua condensata tota materia eius erat sub quantitate digitali , quia supponimus, aquam condensatam non habere maiorem quantitatem, quam digitalem. At verò rarefacta aqua , eadem , & tanta materia est sub quantitate duorum digitorum distributa: ergo sumpta medietate huius quantitatis duorum digitorum , quæ est quantitas digitalis , non potest tota materia aquæ esse sub tali medietate. Patet hæc consequentia, quia aliæ nihil materiæ esset sub alia medietate, quod manifestè repugnat: cum nulla pars quantitatis possit esse, nisi in aliqua parte materiæ: ergo evidens est , minus materia esse sub quantitate digitali aquæ rarefactæ, ac erat sub quantitate etiam digitali eiusdem aquæ condensata ; quamvis loquendo de materia totali tanta sit , nec plus nec minus in aqua rarefacta , & condensata. Semper itaque salvatur , quod aqua rarefacta habet parum materiæ sub magnis dimensionibus, & condensata multum sub paruis.



Varia sententia proponuntur;
& reiiciuntur.

13 **E**xplícatis iam definitionibus rati, & densi , circa modam quo sit rarefactio , & condensatio varia sunt Philosophorum placita. Quidam enim dixerunt , rarefactionem fieri per introductionem quorundam corpusculorum , quæ intrando per poros alicuius corporis quod circumdant , illud extendunt, & faciunt occupare maiorem locum; è contra vero rarefactionem fieri per expulsionem eorumdem corpusculorum , quibus egressis pori corporis comprimuntur , & clauduntur : & sic corpus occupat minorem locum.

14 Verùm hæc crassa nimis intelligentia rarefactionis, & condensationis est. In primis enim non salvat conceptum carum, & definitionem; nam cum talia corpuscula , quæ introducuntur, habeant suam propriam materiam : iam rarefactio fieret per additionem novæ materiæ, & sic rarum non esset illud, quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus. Imò nec propriè additio esset , sed solum quædam iuxta positio vnius corporis iuxta aliud , vel intra illud:

illud : magisque esset inflatio,
quam rarefactio. Sicut dum vt̄r
impletur aere, non ideo rarefit,
licet aerem intra se contineat.

15 Secundo impugnatur
hic dicendi modus. Quia pori
corporis, quod rarefit, vel sunt
vacui ante intromisionem ta-
lium corpusculorum, vel sunt
repleti aliquo alio corpore?
Vacui non possunt esse, alias
daretur vacuum in rerum natu-
ra. Debent ergo esse pleni ali-
quo corpore: & tunc inquirō,
an corpuscula, quae introducun-
tur, ut fiat rarefactio, sint aqua-
lia illis corporibus, quae antea
erant intra poros, vel maiora
, aut minora? Si aqua-
lia, aut minora: non pote-
tit corpus ratione talium cor-
pusculorum occupare maiorem
locum, quam occupabat ante
illorum receptionem: quando-
quidem, ut intrent talia cor-
puscula, debent loco cedere ea,
quibus antea repletum erat cor-
pus quod rarefit; alias daren-
tūr duo corpora in eodem loco,
quod naturaliter est impossibile.

16 Sed corpuscula de novo
intrantia non habent maiorem
extensionem, nec quantitatem,
quam ea, quae loco cedunt: er-
go non poterunt extendere cor-
pus in ordine ad locum magis,
quam antea erat extensum; con-
sequenterque non poterunt il-
lad rarefacere. Si vero talia cor-

puscula sint maiora, quam ea,
quae antea erant in poris: non
poterunt pori ea capere, nec
ipsa poterunt poros intrare: er-
go nullo modo potest rarefactio
fieri per introductionem cor-
pusculorum.

17 Alius modus dicendi
est eorum, qui dicunt, rarefa-
ctionem fieri per acquisitionem
novae quantitatis, & condensa-
tionem per deperditionem
quantitatis præexistentis. Ita
quidam antiqui apud P. Rubio.
Cœterum adhuc isti divisi sunt;
nam aliqui dicunt, in rarefa-
ctione solum addi novam par-
tem quantitatis ei, quae præexi-
stebat: Similiterque in condensa-
tione deperdi aliquam par-
tem quantitatis tantum, ma-
nente alia; quam sententiam
tenet Scotus apud eundem A.
Alij autem volunt, totam quan-
titatem præexistentem corrumpi,
& de novo produci aliam;
in rarefactione quidem maiorem,
& incondensatione minorem.

18 Hæc etiam sententia
quantum ad utrumque modum
eam tuendi communiter rejici-
tur ut falsa. Et in primis quod
in rarefactione, & condensa-
tione non acquiratur nova quanti-
tas totalis, destructa veteri, pro-
batur ratione communi. Nam
quantitas non habet contra-
rium, ideoque corrumpi non
potest nisi ad corruptionem sub-
stan-

stantia, vel subiecti, in quo est: sed substantia manet eadem dum rarefit, vel condensatur, ut est constans: ergo non potest amittere quantitatem, & novam acquirere. Præterea. Quantitas per rarefactionem verè augetur, cum fiat maior, quam anteā erat, & per condensationem verè minuitur, cum fiat minor: Sed si tota quantitas præexistens corrumperetur; & alia nova adveniret, non augeretur, nec minueretur: ergo. Min. prob. Quia de ratione eius quod augetur, vel minuitur est quod permaneat idem numero, ac anteā erat, vt in antecedentibus dictum est; alias si non permanet idem quod anteā erat, illud corrumpitur, con sequenterque non augetur, quia corrupti, & augeri simul impossibile est: ergo.

19 Quod autem nec pars quantitatis de novo producatur in rarefactione, vel in condensatione corrumpatur, probatur etiam ratione communi. Nam si in rarefactione acquiritur nova pars quantitatis, sequitur, vel quod aliqua pars quantitatis existat sine subiecto, vel quod due partes quantitatis penetrantur, quorum utrumque est naturaliter impossibile. Sequela quoad primam partem prob. Nam in rarefactione non producitur nova pars substan-

tiae, nec advenit nova pars materiae, vt est certum inter Philosophos; alias rarefactio non distingueretur ab augmentatione propriè dicta, quæ semper fit cum additione novæ materiæ. Constat etiam ipsa experientia, quod dum cera, vel aqua per calorem rarefit, nulla additur pars aquæ, vel ceræ. Ex quo sic: si per rarefactionem producitur nova pars quantitatis, vel talis pars recipitur in aliqua parte substanciæ, vel in nulla? Si in nulla: ergo existit sine subiecto. Si in aliqua: ergo cum talis pars substanciæ haberet ante rarefactionem suam propriam quantitatem, quia nec substantia potest naturaliter existere, sine quantitate: iam duæ quantitates partiales recipiuntur in eadem parte substanciæ, & sic essent penetratae.

20 Tertia sententia, quam dicuntur sequi plures RR. Societatis, asserit, rarefactionem nihil aliud esse, quam maiorem extensionem corporis rarefacti in ordine ad locum, vel maiorem præsentiam localē: condensationem vero minorem præsentiam, seu extensionem in ordine ad locum; quod quidem asserunt fieri sine additione novæ materiæ, nec quantitatis adhuc partialis. Ceterum hæc sententia deficit primò in eo, quod in rarefactione quantitas sit ma-

ior, & in condensatione minor, vt experientia ipsa docet, & constat ex definitionibus rari, & densi. Restat autem explicare, quomodo quantitas possit fieri maior sine additione novae quantitatis, & minor sine subtractione: aliquid ergo præter presentiam, & extensionem localis sit circa quantitatem in rarefactione, & condensatione.

21 Præterea deficit: quia corpus occupare maiorem locum absque eo, quod habeat maiorem extensionem in ordine ad se, & consequenter absque eo, quod in se sit maius per maiorem quantitatem, impossibile est; cum extensio in ordine ad locum sit effectus formalis quantitatis. Vnde sicut nihil potest esse extensum in ordine ad locum, sine quantitate: ita non potest esse magis extensum sine maiori quantitate, nec minus sine minori. Prius ergo est corpus esse in se maius, & in ordine ad se magis extensum, quam habere maiorem extensionem localis. Sed præcise pet hoc quod absque additione novæ materiæ corpus sit in se maius, & in ordine ad se magis extensum, est rarefactum, quia tunc habet parum materiæ sub magnis dimensionibus: ergo independenter, & antecedenter ad maiorem extensionem in ordine ad locum datur rarefactio.

Et idem est de condensatione.

22 Quarta, & ultima sententia, quam Colleg. D. Thom. dicit esse communem Thomistarum, asserit, rarefactionem, & condensationem esse motus alterationis terminatos ad qualitates raritatis, & densitatis. Hanc sententiam tenet P. Rubio, quem sequuntur prædictum Colleg. & PP. Complut. Asserit ergo hæc sententia, in rarefactione non produci novam quantitatem adhuc partiale, nec in condensatione desperdi: produci tamen qualitates, quæ dicuntur raritas, & densitas, & sunt terminus rarefactionis, & condensationis: consequenterque ipsa rarefactio, & condensatio sunt motus alterationis terminatus ad qualitatem.

23 Hæc sententia putatur esse D. Thomæ propter hoc quod S. Doctor 3.p. quest. 77. art. 2. ad 3. ait: *Raram, & densum sunt qualitates quedam consequentes corpora ex hoc quod habent multum, vel parum de materia sub dimensionibus.* Et l. i. de Generat. lect. 14. ait: *Talis transmutatio non potest propriè dici augmentum, sed alteratio, fit enim secundum transmutationem passibilium qualitatum scilicet rari, & densi.* Dicunt insuper AA. prædicti, quod ratione harum qualitatum raritatis, & densitatis ha-

habet corpus rarum , & denūm esse maius , vel minus , seu magis , aut minus extensum in ordine ad locum : (de extensione enim , & maioritate in ordine ad se obscurè loquuntur , vt statim dicemus) non quia huiusmodi qualitates sint rationes formales extendendi corpus in ordine ad locum ; hoc enim factentur provenire à quantitate in genere causæ formalis . Solum ergo provenit hæc maior , vel minor extensio à prædictis qualitatibus tanquam à causa dispositiva , vel tanquam à conditione : quia illis qualitatibus ita disponitur , & afficitur quantitas , vt reddat corpus maius , & magis extensum in ordine ad locum .

24 Notandum tamen est , hos AA. præcipue PP. Complut. ægrè serre , quod in rarefactione quantitas fiat maior , & incondensatione minor secundum se , vel in ordine ad se : solumque admittunt , quantitatem fieri maiorem , vel minorem sumpta quantitate pro extensione locali corporis , seu pro extensione in ordine ad locum . Vnde prædicti PP. disp. 7. de Rarefact. quæst. 3. §. 4. num. 35. dicunt , quod nomine magnarum dimensionum , quas dicitur habere corpus rarum , intelligi debet iuxta communem Thomistarum consensum mag-

na extensio localis : non vero ipsa quantitas , quæ est subiectum quo ; id est , mediante quo accidentia materialia recipiuntur in substantia . Quam doctrinam fortè desumpserunt ex P. Rubio , qui cap. 5. tract. de Rarefact. quæst. 2. num. 141. docet prædictam acceptionem quantitatis pro subiecto quo accidentium , & pro extensione in ordine ad locum .

25 Item prædicti PP. quæst. 2. §. 2. per totum expressè asserterunt , & probare intendunt , in rarefactione non acquiri maiorem quantitatem , quam antea erat . Vnde tam ipsi , quam P. Rubio propugnant , terminum per se rarefactionis non esse quantitatem : quia si accipiatur quantitas pro extensione corporis in ordine ad se , in quo sensu quantitas est subiectum quo accidentium materialium : per rarefactionem non producitur , seu non fit maior quantitas . Cuius ratio apud AA. prædictos est , quia maior quantitas apud illos idem est , quod nova quantitas distincta à præexistente minori ; & cum aliunde te neant , per rarefactionem non produci novam quantitatem adhuc partiale , consequenter dicunt , quantitatem non fieri maiorem in rarefactione , nec minorem in condensatione . Si vero quantitas accipiatur pro

extensione corporis in ordine ad locum, dicunt, fieri quidem per rarefactionem maiorem præsentiam localēm, seu maiorem extensionem quantitatis in ordine ad locum, ut experientia ipsa convincit; ceterum hanc maiorem præsentiam, vel extensionem localēm solum esse terminum secundarium secutum, & ex consequenti se habentem ad terminum primarium, qui iuxta ipsos est qualitas illa, quam vocant raritatem. Eandem doctrinam quantum ad negare quantitatem fieri secundum se, & in ordine ad se maiorem, habet P. Rubio tract. de Rarefact. quæst. 1. num. 132.

26 Collegium etiam Div. Thomæ quæst. 5. de Rarefact. art. 1. §. 3. num. 34. negat, corpus per rarefactionem habere maiorem multitudinem partium, seu habere plures partes quantitatis, quam antea habebat: quod idem est ac negare, extensionem quantitatis in ordine ad se esse maiorem, quam antea erat. Et §. 2. num. 26. describit rārum sic: *Rarum est corpus quantum ita qualitate dispositum, ut sine quantitatis additione occupet maiorem locum.* Ex qua descriptione colligitur, illam maioritatem dimensionum, quæ sit per rarefactionem, & minoritatem, quæ

fit per condensationem, non est se maioritatem, vel minoritatem quantitatis in se, vel in ordine ad se, sed solum in ordine ad occupandum maiorem locum. Verum est tamen, quod hic A. eodem num. 34. citato concedit in rarefactione maioritatem quantitatis in ordine ad se, non entitativam, quia hanc putat non posse fieri sine additione quantitatis, sed tantum quoad modum. Quem modum dicit esse illam modificationem, quam accipit quantitas à qualitate raritatis, ratione cuius eadem quantitas, seu extensio in ordine ad se entitativè invaria-ta magis explicatur.

27 Hæc circa hanc com-munem sententiam proposui, quia quæstionem præsentem ex se difficillimam obscuriorem reddunt modi explicandi, & defendendi hanc sententiam, quos prædicti AA. invenerunt recu-fantes concedere simpliciter, quantitatem fieri maiorem in rarefactione, & minorem incondensatione. Et quidem, nisi fal-lor, præcipua huius quæstionis difficultas non est, an condensatio, & rarefactio sint motus per se terminati ad qualitatem, vel ad quantitatem? Sed maxi-mè in eo sita est, an scilicet sup-posito quod per rarefactionem, & condensationem mutatur corpus secundum quantitem, quia

quia per rarefactionem sit maioris quantitatis, & per condensationem minoris: quomodo hæc mutatio secundum quantitatem possit sine additione novæ quantitatis in rarefactione, vel sinè deperditione quantitatis in condensatione fieri? Quidquid sit an ad istam mutationem secundum quantitatem requiratur presuppositivè, & tanquam dispositio, vel alio quocumque modo aliqua alteratio, seu mutatio secundum qualitatem.

28 Illud etiam considerandum est, non esse mirum, quod in hac difficultate Iesuitæ recurrent ad extensionem quantitatis in ordine ad locum pro explicanda rarefactione. Nam cum ipsi doceant, qualitatem non posse fieri maiorem secundum intensionem nisi per additionem partialis qualitatis: consequenter tenentur dicere, quantitatem non posse fieri maiorem secundum extensionem, nisi ei addatur aliqua quantitas partialis de novo producta. Et quia hoc non possunt asserere propter argumentum supra factum contra secundam sententiam, quia nempe sequeretur, illam partialem quantitatem additam, vel esse sinè subiecto, vel penetrari cum quantitate præexistente: ideo coguntur negare maioritatem quantitatis

rarefactæ, & solum restat illis recursus ad maiorem extensionem quantitatis in ordine ad locum, vel ad qualitatem, quam vocant raritatis. Cœterū Thos mistæ nescio cur timeant cōcedere, quantitatem fieri maiorem in rarefactione: cum non sit maior difficultas in eo quod quantitas fiat major sine additione novæ quantitatis, quam in eo quod qualitas fiat intensior, seu maior intensivè sine additione novæ qualitatis. Unde, ut verius loquar, hanc majoritatem quantitatis negando reddunt difficilem questionem planam, & perviam in via Thomistarum. Ut ergo confusione vitemus, sequentes conclusiones pro decisione quæstionis propono.

§. III.

Aliquæ conclusiones proponuntur, & probantur.

29 **D**ico primò: *Per rarefactionem quantitatis corporis rarefacti strictè sumpta, & prout est extensis in ordine ad se sit maior, & per condensationem minor.* Hoc assertum adeò mihi evidens est, ut alia probatione non egeat præter occularem experientiam, sed propter prædictos AA. qui ut constat ex dictis, vel illud

negant, vel saltem de eo dubitant, probatur. Longitudo, latitudo, & profunditas sunt differentiae, & species quantitatis strictè sumptæ, & prout est extensio in ordine ad se: sed quantitas corporis rarefacti fit maior secundum prædictas differentias, è contra vero per condensationem fit minor secundum easdem dimensiones: ergo fiet maior, vel minor in ordine ad se, & non solum in ordine ad locum.

30 Maior constat ex communi consensu Philosophorum dividentium quantitatem in illas tres species, & hoc sine respectu ad locum; præscindendo enim ab eo quod corpus sit, vel non sit in loco, potest in eo apprehendi, & esse extensio maior, vel minor secundum prædictas dimensiones. Min. autem prob. Nam si ponamus, aquam, quæ replet solam medietatem alicuius vasis, ita rarefieri, vt repleteat totum vas usque ad summum: Tunc profunditas illius aquæ duplo maior est, quam erat ante rarefactionem, vt per se notum est, & probari potest metiendo profunditatem aquæ ante, & post rarefactionem: ergo quantitas aquæ fit maior secundum profunditatem, & consequenter, vt est extensio in ordine ad se.

31 Secundò probatur idem

assertum ad hominem contrâ prædictos AA. Nam ipsi concedunt, quantitatem fieri maiorem per rarefactionem secundum extensionem in ordine ad locum: sed repugnat, quantitatem esse magis extensam in ordine ad locum, nisi in se, & in ordine ad se sit maior: ergo. Min. prob. tum ex dictis contra tertiam sententiam, §. antecedenti: quia enim extensio in ordine ad locum est effectus secundarius quantitatis, repugnat dari talem extensionem sine extensione in ordine ad se: ergo etiam repugnat dari maiorem extensionem in ordine ad locum, sine maiori extensione in ordine ad se.

32 Tum etiam: quia extensio corporis in ordine ad locum fit per hoc quod superficies corporis locati adæquetur, cum superficie corporis continentis: seu locantis quantum ad eam partem, secundum quam continet locatum: ergo dum corpus extenditur ad occupandum maiorem locum, superficies eius æqualis fit maiori parti superficie corporis locantis, quam erat ea, cui anteà erat æqualis dum occupabat minorem locum. Sed superficies, quæ nunc est æqualis maiori superficie corporis locantis, cum anteà esset æqualis minori, est maior superficies, quam antea erat,

vt de se est evidens: ergo semel quod per rarefactionem corpus occupet maiorem locum, quam antea occupabat, etiam habet maiorem superficiem, quam antea habebat, consequenterque maiorem quantitatem in ordine ad se.

33 Denique prob. eadem minor, quia implicitorum est, corpus occupare maiorem locum, quam antea occupabat, nisi sit magis longum, vel magis latum, vel magis profundum, quam antea: sed esse magis longum, latum, vel profundum est habere maiorem quantitatem, & extensionem in ordine ad se, ut constat ex dictis in prima ratione nostra: ergo. Mai. de se evidens est, & præterea prob. Demus enim, aliquid corpus nunc ante rarefactionem esse longum tantum sex digitos: certe nunc non occupat locum maiorem versus longitudinem, quam sex digitorum; postea per rarefactionem extendatur ad occupandum locum octo digitos longum. Tunc casus si corpus non sit magis longum, sequitur, quod in longitudine sit æquale, & inæquale corpori locanti, quod est manifesta contradic̄tio. Quod sit inæquale patet, quia longitudine eius est tantum sex digitorum, & per rarefactionem non sit magis longum,

vt supponimus; longitudine autem loci, quam replet, est octo digitorum. Quod autem sit æquale non minus certum est: quia longitudine illius corporis occupat, & replet post rarefactionem longitudinem loci octo digitorum, ut etiam supponimus: sed locatum secundum eam partem, qua replet locum, est æquale loco secundum eam partem, qua locus continet ipsum locatum: ergo esset æquale in longitudine corpori locanti.

34 Dico 2. *Corpus rarefactum habet plures partes aliquotas, quam ante rarefactionem habebat, consequenterque habet maiorem multitudinem partium, quam antea.* Dico aliquotas, quia partes proportionales, cum sint infinitæ in quolibet continuo, sive parvissime magno, non possunt esse, nec plures, nec pauciores iuxta ea, quæ diximus lib. 6. Phys. quæst. 1. Prob. autem hoc assertum, quod non est minus evidens, quam præcedens. Nam si ponamus, aquam ante rarefactionem habere solum profunditatem duorum digitorum, & postea per rarefactionem crescere usque ad profunditatem trium digitorum, evidens est habere plures partes profunditatis æquales vni digito, quam antea; sicut evidens est,

tria esse plura , quām dō : sed profunditatis vnius digiti sunt partes aliquotæ , cum sint æquales , & certę quantitatis : ergo . Confirmatur . Illud habet plures partes aliquotas , quod potest dividi in plures partes aliquotas , quām anteā poterat : sed corpus rarefactum dividi potest in plures partes aliquotas , quam poterat ante rarefactionem , vt patet in exemplo positio : vbi aqua ante rarefactionem solum poterat dividi in duas partes profunditatis vnius digiti ; post rarefactionem vero potest dividi in tres : ergo habet plures partes aliquotas .

35 Dico 3. Raritas , & densitas non sunt qualitates physic . Ita expressè D. Thom . lib. de Generat . 2. lect . 2. vbi ait : *Rarum , & densum non sunt qualitates physic . sed positio partium materiae secundum propinquum in denso , & remotum in raro .* Et lib . 2. lect . 7. ait : *Rarum , & densum non addunt super partes materiae qualitatem , quae essentialiter sit qualitas , sed potius situm in partibus materiae , & distensionem per maiorem , & minorem quantitatem .* Quibus verbis nihil expressius pro nobis dici potest , & in eis simul docet D. Thomàs , quantitatem fieri maiorem , vel minorem per rarefactionem , &

condensationem , nulla facta mentione de extensione in ordine ad locum .

36 Deinde prob . assertio : Nam ideo prædicti AA . confugint ad has qualitates , vt vi tent in rarefactione productiō nem novæ quantitatis , & in condensatione amissionem eiusdem : sed ad hoc nihil conducent illæ qualitates : ergo . Min . prob . Nam vt in primo , & secundo asserto probatum est , in rarefactione quantitas sit maior secundum se , & in ordine ad se & in condensatione minor : sed esse maiorem , vel minorem in ordine ad se non potest formaliter , & constitutivè provenire ab aliqua qualitate , licet præsuppositivè , & per modum dispositionis possit esse necessaria aliqua qualitas ad talem maiortatem : ergo adhuc admissio quod raritas , & densitas essent qualitates , restat explicare in quo consistat formaliter , & constitutivè quod quantitas sit maior , vel minor . Et cum non appareat aliud , in quo possit consistere , præter additionem , vel deperditionem quantitatis : non solvitur difficultas rarefactionis , & condensationis per recursum ad qualitatem .

37 Confirmatur . Corpus per rarefactionem fieri maius non est formaliter illud esse qualificatum , sed quantificatum ; nec

Nec est illud mutari secundum qualitatem, sed secundum quantitatem, quia non dicitur aliquid maius, vel minus secundum qualitatem, sed secundum quantitatem: sed maioritas, & minoritas quantitatis formaliter, & constitutivè pertinet ad raritatem, & densitatem, cum importetur in definitione rari, & densi: ergo raritas, & densitas formaliter, & constitutivè non sunt qualitates, sed aliquid de linea, & genere quantitatis.

38 Si autem dicas, quod maioritas, & minoritas quantitatis non provenit formaliter à qualitate raritatis, & densitatis, sed à modo quodam, qui relinquitur in quantitate ex-tali qualitate. Contra est: nam in primis haec solutio ponit, effectum formalem formæ consistere in modo realiter distincto à forma communicata subiecto: cum talis modus relictus in quantitate ex qualitate raritatis, non possit, non esse effectus formalis eiusdem qualitatis. Hæc autem doctrina non est Thomistarum, & à nobis ut falsa impugnata est in Physica lib. 2. contra N. Villanova, qui eam tuetur. Præterea. Admisso tali modo, ille debet pertinere ad genus qualitatis, cum proveniat, & derivetur à qualitate: sed maioritas, & minoritas

quantitatis est aliquid pertinens ad genus ipsius quantitatis, & non ad genus qualitatis: ergo non potest provenire à modo derivato à qualitate.

39 Dico q. Rarefactio, & condensatio sunt motus formaliter, & per se terminati ad quantitatem, licet presuppositio è requirant motum alterationis ad qualitatem. Hæc secunda pars huius assertionis de motu alterationis ad qualitatem non est intelligenda de motu ad qualitatem, quæ sit raritas, & densitas; immenim immediatè antè dictum est, raritatem, & densitatem non esse physicas qualitates. Sed intelligenda est de alteratione secundum primas qualitates, quæ sunt calor, frigus, &c. numquam enim contingit rarefactio, vel condensatio sine alteratione corporis secundum tales qualitates primas. Et de hac alteratione intelligendus est D. Thomas, dum dicit rarefactionem, & condensationem esse motus alteratio-nis; loquitur enim de eis præ-suppositivè acceptis, & non formaliter.

40 Probatur autem assertio hæc. Nam in primis rarefactio, & condensatio sunt motus stricti, qui non in instanti, sed in tempore, & continua fiant, ut omnes concedunt, & nunc supponi debet; deinde terminus

per se , & formalis horum motuum est maior , & minor quantitas : ergo sunt formaliter motus ad quantitatem . Secunda pars antecedentis prob . Tum ex definitione rari , & densi : rārum enim est , quod habet parum materiae sub magnis dimensionibus . Licet enim dimensiones dicantur magnae per comparationem ad paruitatem materiae , quam actuant , quando raritas , & densitas attenduntur inter duo corpora distincta habentia aequalē quantitatem , vt suprà § . 1 . explicatum est ; tamen dum raritas , & densitas attenduntur in uno , & eodem corpore , quod nunc est rarum , & postea densum : dimensiones seu quantitas eius dum est rarum , non solum sunt magnae comparativē ad materiam , sed etiam sunt maiores comparativē ad eas , quas habebat ante rarefactionem , vt in primo asserto probatum est : ergo maior , & minor quantitas est terminus per se rarefactionis , & condensationis . Ulterius prob . eadem pars . Ille est terminus per se , & formalis alicuius motus , ad quem mutatur mobile : sed mobile motu rarefactionis , & condensationis mutatur de minori ad maiorem quantitatem , & econtra : ergo maior , & minor quantitas est terminus per se rarefactionis , & condensationis .

41 . Præterea prob . assertio contra recurrentes ad qualitatem . Nam ideo ipsi recusant concedere , rarefactionem , & condensationem esse motus ad quantitatem , ne cogantur concedere , quod per rarefactionem producitur aliqua nova quantitas , & in condensatione deperditur . Putant enim , quod si terminus rarefactionis sit quantitas , debeat esse aliqua quantitas saltem partialis de novo producta ; unde ut suprà tacitum est , P. Rubio , & PP. Complut . pro eodem usurpat rarefactionem terminari ad quantitatem ac per eam produci quantitatem partiale , quæ est sententia Scotti , quam ipsi impugnant : sed etiam si rarefactio terminetur ad quantitatem , potest , & debet à Thomistis salvari , quod nulla partialis quantitas producatur : ergo nulla est ratio negandi rarefactionem , & condensationem esse motus ad quantitatem . Min . prob . Nam Thomistæ salvant , quod intensio , & remissio sint motus ad qualitatem absque eo quod per tales motus producatur , vel addatur nova pars qualitatis : ergo potest , & debet componi , quod rarefactio , & condensatio sint motus ad quantitatem absque eo quod interveniat additio quantitatis adhuc partialis .

42 . Confirmatur : Quia non
mi-

minus difficile appareat , subiectum calidum ; v. gr. fieri magis calidum sinè additione novi caloris , quām subiectum quantum fieri maius , seu magis extensum sinè additione novae quantitatis : sed non obstante hac difficultate intensio , per quam subiectum fit magis calidum , est motus terminatus ad qualitatem : ergo etiam rarefaction , per quam fit quod subiectum fit maius , est motus terminatus ad quantitatem .

43 Dico 5. & ultimo : In rarefactione , & condensatione nulla fit additio , vel deperditio quantitatis adhuc partialis ; sed quantitas præexistens fit maior , vel minor per hoc solum quod eadem quantitas magis , vel minus actuat subiectum . Vnde rarefaction , & condensatio fiunt per maiorem , vel minorem radicationem quantitatis in subiecto . Quæ major radicatio dici potest intensio quantitatis . Hæc conclusio quantum ad primam partem , in qua excluditur additio , vel deperditio quantitatis à rarefactione , & condensatione , est Thomistarum , & propter quam defendendam AA. sæpe citati negarunt ea , quæ à nobis tanquam certa statuta sunt in antecedentibus assertionibus .

44 Probatur autem quoad omnes suas partes ex D. Thom.

1. 2. quæst. 52. art. 2. ad 1. dicente : Ad primum ergo dicendum , quod etiam in magnitudine corporali contigit aupliciter augmentum . Vno modo per additionem subiecti ad subiectum , sicut est in augmentatione viventium : alio modo per solam intentionem absque omni additione : sicut est in his quæ rarefiantur , ut dicitur in 4. Physic . Vbi S. Doct. augmentum quantitatis , quod fit per rarefactionem , expressè vocat intentionem , & insuper afferit , tale augmentum fieri absque omni additione . Per quod non solum excludit additionem quantitatis , quæ fit simul , cum additione materiali , quam vocat additionem subiecti ad subiectum , & est illa , quæ propriè dicitur augmentatione , & fit in viventibus simul cum nutritione ; sed excludit omnem omnino additionem , quæcumque excogitari potest , quia apud eum sive in qualitatibus , sive in quantitatibus impossibilis est additio alicuius realiter distincti a præexistente sinè additione substantiæ , ut etiam advertimus disp. 2. quæst. 2. Obiter etiam nota , quòd D. Thom. id quod fit per rarefactionem dicit esse augmentum quantitatis : in quo sat indicat , rarefactionem terminari ad quantitatem maiorem , quod est intentum nostrum .

Et

45 Et quamvis P. Rubio dicat, quod hoc testimonium D. Thomae difficile visum est aliquibus interpretibus, propterea quod augmentum quantitatis, quod sit in rarefactione, vocat intensionem: quod quidem, nec verum videtur; nec propriè dictum, quia quantitas non suscipit magis, & minus, & consequenter nec intenditur, nec remittitur. Ad quod lenendum, & ab improprietate locutionis vindicandum idem A. recurrit ad suam sententiam de raritate, quæ sit qualitas, dicens, quod quia extensio quantitatis angetur media raritate, quæ est qualitas, & consequenter habet suos gradus intensonis in subiecto: ideo potest dici, quod tale augmentum sit per intensionem, non propriam quantitatis, sed qualitatis, quæ est raritas.

46 Quamvis hoc, inquam, dicat; tamen testimonium Div. Thomae nullam habet difficultatem: immo magnam continet proprietatem verborum ad exprimendam suam mentem, & verum modum, quo sit rarefactio absqueulla additione per solam maiorem radicationem quantitatis. Quod vero quantitas non suscipiat magis, & minus, non obstat: suscipit enim maius, & minus. Vnde duplex intensio distinguenda est; una

quæ sit secundum magis, & minus adverbialiter, & hæc est propria qualitatis, quia solum secundum qualitatem dicitur aliquid magis, vel minus tales; ut magis, vel minus calidum: aliam, quæ sit secundum maius, & minus nominaliter: & hæc est propria solius quantitatis; quia solum secundum quantitatem dicitur aliquid maius, aut minus.

47 Mens ergo D. Thomæ est, quod sicut aliquid sit magis calidum absque additione novi caloris per solam maiorem participationem, & actuationem sui à calore præexistente, quæ dicitur intensio caloris ita in rarefactione aliquid sit maius sine additione novæ quantitatis per hoc solum quod subiectum magis participet quantitatem, & actuatur ab ea: quæ quidem maior actuatio est etiam intensio eiusdem quantitatis intra propriam lineam, scilicet secundum maius, & minus. Hoc autem augmentum quantitatis licet reverè sit intensio eius, quia non est productio alicuius novæ quantitatis: non tamen ita communiter appellatur, vt distinguatur ab augmentatione qualitatum, cui vocabulum intensonis appropriatum est. Vocatur autem augmentum quantitatis quando sit sine additione materiæ, rare-

sactio seu raritas: sicut diminutio vocatur densitas, vel condensatio; in rei tamen veritate idem est in quantitate rarefactio, & condensatio, quod in qualitatibus intensio, & remissio. Ratio vero probativa huius ultimi asserti ea est, quam §. ant. Posuimus pro impugnanda secunda sententia, quæ tribuitur Scoto. Insuper probat idem assertum ratio Div. Thomæ adducta disp. 2. citata ad probandum, intensionem non posse fieri per additionem qualitatis partialis; quia nimirum additio presupponit distinctionem eius quod additur, ab eo cui additur. Quæ distinctione in accidentibus dari non potest nisi per ordinem ad distinctam partem subiecti. In rarefactione autem non additur nova pars substantiæ, ut notum est.

§. IV.

Argumenta contra primam conclusionem proponuntur, & solvuntur.

48 **C**ontra primam conclusionem argui potest ex PP. Complutensisbus primo per autoritatem Philosophi, & D. Thome, qui 4. Physic. textu 84. dicunt: *Quod magnitudo, & parvitas sensibilis*

corporis non extenditur, vel ampliatur rarefactione, vel condensatione per hoc quod materia aliquid superadditum accipiat; sed quia materia, quæ prius erat in potentia ad magnum, & parvum, transmutatur de uno ad alteram: & ideo rarum, & densum non fit per additionem partium subintransitum, vel per subtractionem carumdem, sed per hoc quod una est materia rari, & densi, &c. Ex quibus verbis colligunt predicti PP. rarefactionem, & condensationem non terminari ad maiorem, vel minorem quantitatem.

49 Secundo ex eisdem à ratione, quam more suo dicunt desumptam esse ex Philosopho, & D. Thoma, sic. Vnum corpus potest esse rarius quam aliud, quin habeat maiorem quantitatem, imò quin habeat maiorem, aut ullam extensionem, vel presentiam in ordine ad locum: ergo raritas in nullo istorum poterit consistere, & per consequens quoties datur rarefactio, tunc neque ad quantitatem, nec saltem per se primo ad extensionem, aut presentiam localem poterit terminari. Hæc ultima consequentia non indiget probatione, quando quidem rarefactio iuxta communem omnium sententiam terminatur per se primo

ad raritatem. Prima vero ex antecedenti aperte sequitur.

50 Antecedens vero quoad primam partem prob. Nam cum ex eadem materia aetis absque adventu novae alterius materiae generatur ignis, qui est rarius quam aer, tunc ignis genitus non habet maiorem quantitatem ac erat illa, quam habebat aer: Siquidem in casu posito non habet plus materiae, quam ille, quod tamen desiderabatur ad hoc, ut plus quantitatis haberet. Quoad secundam autem partem etiam constat: nam si dentur duo vasa aequalia, quorum unum sit plenum aqua condensata, aliud aqua rarefacta, tunc aquae illae non haberent maiorem extensionem actualem, aut praesentiam in ordine ad locum; & tamen una esset rarius, quam alia, ut supponitur: & deinde quia corpus Christi D. in Eucharistia habet suam raritatem, & tamen caret sua extensione locali actuali, & praesentia in ordine ad locum, ut communiter docent Theologi: ergo, &c.

51 Tertio. Rarefactio essentialiter distinguitur ab augmentatione: ergo per illam non producetur maior quantitas, nec saltem per se primo maior extensio, aut presentia localis. Antec. ex se constat, & insuper suaderi potest ex eo quod aug-

mentio semper est continua cum nutritione, & productione partiali novae substantiae, quod tamen non requiritur ad rarefactionem, ut experientia constat. Consequentia vero quoad priorem partem probatur. Quia proprius terminus augmentationis est maior quantitas, ac proinde non poterit attingi per rarefactionem specie distinctam ab illa. Quoad secundam vero partem liquet, nam rarefactio non ut cumque distinguitur ab augmentatione, sed distinctione generica, quia est alteratio quedam: ergo non poterit saltem per se primo terminari ad extensionem, aut praesentiam localem, quae sunt extra praedicamentum qualitatis.

52 Quartò. Nam si dum aer; v. gr. rarefit, acquiretur maior quantitas, tunc quantitas illa, vel reciperetur in materia simul informata alia parte quantitatis; & hoc non, quia inde sequeretur penetratio; vel in materia, quae anteā esset sine quantitate: & hoc non; siquidem naturaliter loquendo repugnat dari materiam non affectam quantitate; vel in materia amittente priorem quantitatem, & acquirente de novo aliam maiorem: & hoc non; tunc, quia eadem prorsus materia absque aliqua additione

nequit recipere nunc minorem, nunc maiorem quantitatem. Tum etiam, quia iam ibi intercederet aliqua corruptio, & generatio substantialis, cum periret quantitate debeat etiam perire aliquid substantiae.

53 Hæc ad verbum PP. Complut. pro quorum solutio-
ne nota, quod ipsi titulum quæ-
stionis secundæ disp. 7. de Ra-
refactione sic proponunt: *An
termini rarefactionis, & con-
densationis sint maior, vel
minor quantitas: vel maior, aut
minor extensio localis?* Et post-
quam pro parte affirmativa re-
tulerunt Scotum, & alios, ipsi
sic proponunt suam conclusio-
nem: *Dicendum tamen est per
rarefactionem non produci no-
van partem quantitatis.* Quam
conclusionem probant argumentis immediate à nobis pro-
positis, quæ ideo contra no-
stram primam conclusionem adducimus, quia vt ex ipfis met-
constat, ad hoc tendunt, vt pro-
bent, per rarefactionem non ac-
quiri maiorem quantitatem,
quam erat ante rarefactionem.
Ex prædicta igitur responsione,
& conclusione horum AA. col-
lata cum titulo quæstionis aper-
tè colligitur id quod supra insi-
nuavimus, nempe eos non aliter
intelligere, rarefactionem posse terminari ad quantitatem,
nisi per calem motum produca-

tur nova pars quantitatis. Hæc
autem esse omnino distincta, &
à Thomistis debere primum sal-
vari sine secundo, iam suprà
probavimus. Rursus cum ad
probandam hanc suam conclu-
sionem assumunt pro medio,
quod in rarefactione quantitas
non sit maior, vt patet per ar-
gumenta facta: planum fit eos
pro eodem usurpare quantita-
tem fieri maiorem, ac ei addi
aliquam novam partem; cum
tamen sint valde distincta, &
primum debeat concedi, secun-
dum autem negari, vt constat
ex prima, & ultima assertione
nostra.

54 Hoc notato responde-
tur ad 1. ab authoritate, Phi-
losophum, & D. Thomam in
prædictis verbis nihil aliud in-
tendere, vel dicere, quam no-
stram quintam conclusionem,
scilicet quod rarefactio fiat sive
additione tam materiae, quam
quantitatis; sed non negant,
quod dimensiones, seu quanti-
tas corporis rari fiat maior,
quam anteā erat: imo in verbis
iporum non obscure hoc con-
tinetur. Si enim, vt inquunt,
vna, & eadem materia est in
potentia ad magnum, & par-
vum, & transmutatur de uno
in aliud: ergo dum corpus ra-
refit, acquirit magnas dimensio-
nes, cum anteā haberet parvas:
ergo acquirit maiores, quam

ante rarefactionem habebat.

55 Ad 2. Ex ratione de sumptum resp. quod in multis peccat, & totaliter evertit natu ram, & quidditatem rarefactionis: & condensationis. Peccat quidem primò in eo quod loquitur de rarefactione, quæ attenditur intra duo subiecta, distincta, & quæ non sit per motum, sed sit per primam generationem corporis rari, ut patet in exemplo, quo vtitur argumentum de generatione ignis ex aere. In præsenti autem non loquimur de hac rarefactione, sed de illa que sit per motum in eodem subiecto, quod nunc est densum, & posteà rarum, vel econtra. Hæc autem rarefactio impossibile est quod fiat, quin subiectum modò habeat maiores dimensiones, seu maiorem quantitatem, quam anteà habebat, ut per se patet, & à nobis suprà probatum est.

56 De rarefactione autem, quæ sit in prima generatione, & attenditur inter duo corpora distincta, iam suprà dictum est, quod potest dari absque eo quod corpus rarum habeat maiores dimensiones, quam aliud densum, vel non ita rarum: ut patet in pugillo terræ, & pug illo aeris, qui sunt æqualis quantitatis, & tamen pugillus terræ est densus, & aeris rarus. In his

enim magnitudo, & paruitas dimensionum, quæ requiritur ad raritatem, & densitatem, non consideratur penes inæqualitatem dimensionum: sed ex duabus magnitudinibus, seu dimensionibus æqualibus vna dicitur magna per comparationem ad paruitatem materiæ, in qua est, & alia parua per comparationem ad multam materiam, ut etiam suprà §. 1. explicatum est circa definitiones rari, & densi.

57 Peccat 2. Quia licet quando ex uno corpore densos, vel minus raro generatur aliud magis rarum, possit magis rarum non habere maiores dimensiones, quam minus rarum: tamen materia corporis rioris de novo geniti; v. gr. ignis, quæ anteà erat materia aeris, maiorem quantitatem habet in igne genito, quam habebat in aere: ergo etiam in rarefactione, quæ sit per generationem vnius corporis ex alio, materia acquirit maiorem quantitatem, quam anteà habebat. Ant. prob. Nam vt §. citato diximus ex Philosopho, dum ignis generatur ex aere, vel universaliter corpus magis rarum ex minus raro, materia, quæ est in corpore riori habente quantitatem; v. gr. pugillarem, non est tanta, quanta erat in corpore minus raro sub quantitate etiam pugillari; id est, corpus magis rarum non genes

generatur ex tota materia, quæ minus raro erat sub quantitate pugillari, sed ex pauciori; v.gr. ex tanta, quanta est in dimidio pugillo corporis minus rari. Cuius ratio est, etiam ex eodem Philosopho, quia quando corpus magis rarum fit ex minus raro, si fit ex tota materia eius, semper fit in maiori quantitate, quam erat corpus minus rarum. Vnde si summamus pugillum ignis factum ex aere, talis pugillus non constat ex tanta materia, quanta constat pugillus aeris, sed ex pauciori; v.gr. ex tanta, quanta constat dimidius pugillus aeris: ergo eadem, & tanta materia, quæ anteā erat in aere sub quantitate semipugillari, nunc est in igne sub quantitate pugillari: ergo nunc est sub maiori quantitate, quam anteā erat.

58 Præter authoritatem vero Philosophi prob. sic esse dicendum, ut à nobis afferitur. Nam si ex pugillo aeris generaretur ignis solum in quantitate pugillari, vt existimant predicti PP. sequeretur, pugillum ignis non esse corpus magis rarum, quam pugillus aeris; quod quidem est manifeste falsum ex omnium consensu, etiam ipsorum Complutensium. Sequela prob. Nam tunc casus quantitas ignis, & aeris æqualis est, cum utraque sit quantitas pugillaris, vt

supponitur: deinde in utroque est tantum materię, ita ut in igne non sit minus materia, quam fuerit in pugillo aeris: si quidem materia, quæ est in igne, est eadem, & tanta, quanta est ea ex qua generatus est, & iuxta hos AA. ignis in quantitate pugillari generatus est ex tota materia, quæ in aere erat sub quantitate etiam pugillari; alias si non ex tota materia, quæ in aere erat sub quantitate pugillari, generatus esset ignis, sed ex pauciori: iam materia, ex qua constat pugillus ignis, fuisset anteā in aere sub minore quantitate, quam modò est in igne, & consequenter iam haberet in igne maiorem quantitatem, quam anteā habuit in aere, quod est intentum nostrum.

57 Fit ergo pugillus ignis ex tota materia, quæ est in pugillo aeris iuxta sententiam PP. Complutensium, & consequenter tantum materię est in pugillo ignis, quantum erat in pugillo aeris; sed ex duobus corporibus habentibus æqualem quantitatem, si tantum materia sit in uno, quantum in alio, non potest unum esse rarum, & aliud densum, vel minus rarum; ergo si ex pugillo aeris generatur solum pugillus ignis, ignis genitus non esset rarius, quam pugillus aeris. Min. prob. ex

definitione rati, & densi. Rarum enim est, quod habet parum materiae sub magnis dimensionibus, densus vero quod habet multum materiae sub paucis; sed si dimensiones sunt aequales, & tantum materiae est in uno, quam in alio, non possunt dimensiones esse magna in uno, & paruae in alio: ergo non potest unum esse rarum, & aliud densus, vel minus rarum.

60 Min. prob. Nam dimensiones, vel sunt magna in uno, & paruae in alio secundum se consideratae, id est, per comparisonem earum ad invicem: & hoc non, quia secundum se sunt aequales, ut supponimus: & ex duabus quantitatibus aequalibus, si nihil aliud inspiciatur praeter ipsas, non potest una esse parua, & alia magna, ut per se notum est. Vel sunt magna in uno, & paruae in alio per respectum ad materiam, ita ut in uno sint magna per respectum ad paucam materiam, quae in illo est, & in alio paruae per respectum ad multam materiam, qua constat; & hoc etiam non: quia iuxta predictos PP. tantum materiae est in uno corpore, quantum in alio, consequenterque non potest in uno esse multa, & in alio pauca: ergo nullo modo erit verum, quod dimensiones in igne sint magna, & in aere paruae, sicut

requiritur ad hoc, ut ignis sit rarus, & aer densus, vel minus rarus.

61 Ex quo constat quomodo tertio peccat argumentum, & evertit naturam rarefactionis, & condensationis, dum in probatione antecedentis quoad primam partem ait, quod quando ignis generatur ex aere, ignis genitus non habet maiorem quantitatem, quam habebat aer, ex quo genitus est: quia videlicet, inquiunt, non habet plus materiae, quam aer. Erenim, ut ignis genitus habeat maiorem quantitatem, quam aer ex quo genitus est, non requiritur, quod habeat plus materiae, quam aer; immo potius, ut ignis genitus rarer sit aere, requiritur, quod tanta materia, quanta erat in portione aeris ex quo genitus est, sit in igne sub maiori quantitate, quam habebat in illa portione aeris. Hoc praeter iam dicta constat in igne habente quantitatem decem pugillorum, qui iuxta Aristotelem generatur ex uno solo pugillo aeris. Tunc enim non plus materiae est in igne decem pugillorum, quam fuerit in uno pugillo aeris, quia in genito non est plus, nec minus materiae, quam ea ex qua generatum est.

62 Denique velle salvare, quod ex duobus corporibus di-

stini;

Ninctis vnum sit rarum, & aliud densum absque eo quod , nec sit in vno plus , vel minus materia , quam in alio , nec vnum habeat maiores , vel minores dimensiones , quam aliud , est omnino contra mentem Aristotelis , & D. Thomæ , & contra definitiones rari , & densi ab eisdem traditas , vt satis constat ex dictis. Vnde si ponantur duo corpora æqualis quantitatis , & vnum debeat esse rarum , & aliud densum: necessè est, quod in raro sit minus materia , quam in denso. Si vero ponantur duo corpora, in quorum vno sit tantum materia , quantum in alio , & vnum debeat esse rarum , & aliud densum: necessè est, quod rarum habeat maiorem quantitatem , quam densum.

63 Ad argumentum itaque in forma respondetur ex dictis negando antecedens quoad vtramque partem , supposito quod loquitur de duobus corporibus , quorum vnum generatur ex alio ; iam enim dictum est quod ignis genitus generatur in maiori quantitate , quam erat quantitas illius portionis aeris , ex qua generatus est. Per quod patet ad probat. antecedentis quoad primam partem , quæ falsa est quantum ad omnia , quæ continet , vt ex dictis constat.

64 Quia vero posset aliquis

idem argumentum formare de duobus corporibus , quorum vnum non sit generatum ex alio , vt de duobus pugillis actualiter simul existentibus , vno ignis , & alio aeris : quorum primus est rarus , & secundus densus , vel minus rarus : & tamen habent æqualem quantitatem : videtur ergo , quod ad raritatem non requiratur maior quantitas. Resp. etiam ex dictis , quod dum in uno corpore est plus , vel minus materia , quam in alio , vt contingere necessè est in casu positivo : tunc quantitas in utroque potest esse æqualis ; quia cum æqualitate quantitatis stat in uno esse magnam , & in alio parvam per ordinem ad multam , & paucam materiam , vt §. i. dictum est. Coeterum dum materia est tanta incorpore raro , quanta in denso: tunc necessariò quantitas debet esse maior in raro , quam in denso ; quia alioquin dimensiones non haberent unde essent in uno magna , & in alio parva sicut exigitur ad raritatem , & densitatem.

65 Ad probationem secundæ partis antecedentis licet ad nos non pertineat extensio maior in ordine ad locum , quia non dicimus rarefactionem primariò terminari ad hanc extensionem , cum illa sit effectus secundarius sequitus ad terminum

per se , & primarium rarefactio-
nis , qui est maior quantitas, seu
maior extensio in ordine ad se;
tamen quia falsum est , quod
aliquid corpus possit rarefieri,
quoniam occupet maiorem locum,
quam ante rarefactionem occu-
pabat : ideo resp. concessa ma-
iori , & min. negando conseq.
Quia licet aqua rarefacta in

prædicto casu non occupet ma-
iore locum , quam alia aqua
condensata: tamen occupat ma-
iore locum , quam ante rare-
factionem occupabat , sicut ha-
bet maiorem quantitatem, quam
ante rarefactionem habebat.

66 Præterea. Materia aquæ
rarefactæ occupat maiorem lo-
cum , quam occupat aliud tan-
tum de materia aquæ conden-
satæ : ergo loquendo de mate-
ria vtriusque aquæ semper est
verum , quod accepto tanto de
materia vtriusque , illud occu-
pat maiorem locum in aqua ra-
refacta , quam in condensata.
Ant. prob. & explicatur. In ca-
su argumenti semel quod vna
aqua sit rarefacta , & alia con-
densata , & vtraque sit æqualis
quantitatis: necessariò plus de
materia debet esse in aqua con-
densata , quam in rarefacta , vt
suprà satis explicatum est , &
probatum. Demus ergo clarita-
tis gratia , quod induplo sit plus
materiæ in aqua condensata,
quam in rarefacta : certè tunc

dimidium materiæ aquæ con-
densata est tantum materiæ,
quantum est tota materia aquæ
rarefactæ. Sed tota materia
aqua rarefactæ occupat maio-
rem locum , quam dimidium
materiæ aquæ condensata: er-
go occupat maiorem locum,
quam occupat aliud tantum de
materia aquæ condensata. Min.
prob. Dimidium materiæ aquæ
condensata non occupat nisi
mediam partem vasis , quia alia
medietas vas debet occupari
ab alia medietate materiæ : sed
tota materia aquæ rarefactæ oc-
cupat totum vas , & vasa sunt
æqualia , vt supponit casus ar-
gumenti : ergo occupat maio-
rem locum , quam dimidium
materiæ aquæ condensata.

67 Ut autem in penetran-
da hac ultima ratione æquivoca-
tionem non patiaris , in me-
moriā revoca id quod suprà
§. 1. diximus de tanto , & quan-
to , prout determinat multum,
& paucum , & prout determi-
nat magnum , & parvum. In
primo enim sensu accipitor hic
tantum , & quantum , vel di-
midium materiæ : non in secundo
prout determinat extensionem,
vel differentias quantitatis. Quia
vt ibidem diximus , quando
quantitas æqualis est in duobus
corporibus , tam magnum , vel
parvum , & tam extensum est
vnum , quam aliud sive in
ordi-

ordine ad se , sive in ordine ad locum; & similiter partes vtriusque si accipientur cum æquali quantitate , eandem magnitudinem , & paritatem , eandemque extensionem habent. Cœterum quia cum æquali quantitate potest materia in uno corpore esse multa , & in alio pauca, ut sœpe dictum est: idèo adest locus ad faciendas prædictas comparationes inter materias corporis rari , & densi penes plus , vel minus in quamque proportione.

68 Denique ad id, quod additur in eadem probatione antecedentis de corpore Christi D. in Sacramento, dicimus, illud non esse ad rem : quia habere maiorem extensionem in ordine ad locum, quod asserimus requiri ad rarefactionem , supponit, corpus esse extensum in ordine ad locum : & tunc si rarefiat, necessariò habebit maiorem extensionem localem. Si autem per miraculum corpus rarum absolvatur à tali extensione, non mitum quod non habeat maiorem extensionem localem , cum nullam habeat.

69 Ad tertium argumentum facile resp. concessio ant. negando conseq. Quia augmentatione , & rarefactio non in eo distinguuntur , quod in augmentatione acquiratur maior quantitas , & in rarefactione non : sed

distinguntur in eo quod in augmentatione quantitas sit maior per additionem novæ materiae , & novæ partis quantitatis exactæ à materia addita , in rarefactione vero sit quantitas maior absque illa additione , nec materiae , nec quantitatis per solam intensionem præexistentis quantitatis.

70 Ad 4. resp. illud habere vim contra Scotum , & alios ponentes quod in rarefactione producitur nova quantitas partialis : non autem contra nos, qui tales additionem quantitatis negamus asserentes , posse quantitatem fieri maiorem sine omni additione. Quare in forma, concedo ant. quoad omnes suas partes, neg. conseq. Quantitas ergo illa maior, quæ producitur per rarefactionem , non est distincta à quantitate minore præexistente , sed eadem quantitas nunc sit maior per rarefactionem , cum antea esset minor. Vnde si propriè loquendum est , non est dicendum, quod per rarefactionem producitur maior quantitas , quia hoc videtur sonare aliquam quantitatem de novo produci , quæ antea non esset producta : & hoc falsum est. Debet itaque dici , quod quantitas iam producta sit maior per rarefactionem : quod quidem sine productione alicuius novæ quanti-

tatis fit. Sicut dum calor, v.gr. intenditur possumus, & debemus dicere, calorem fieri maiorem; non tamen, si propriè loquamur, dicendum est produci maiorem calorem.

71 Dum autem queritur, ntrum quantitas maior recipiatur in materia simul informata alia parte quantitatis, vel in materia nullam antea habente quantitatem? Respondetur, quod hæc interrogatio nascitur ex falsa suppositione quod quantitas non possit fieri maior nisi per adventum novæ quantitatis saltem partialis. Deinde dico, neutrum esse verum: quia si sermo sit de tota quantitate maior, præter illam totam non est alia pars quantitatis in materia. Si autem sermo sit de aliqua parte quantitatis maioris, illa recipitur in materia non simul informata alia parte quantitatis: sed recipitur in materia, quæ antea erat informata minore parte quantitatis, & nunc informatur parte maior. Sicut enim per rarefactionem tota quantitas fit maior absque productione novæ quantitatis: ita etiam partes illius fiunt maiores, & per partes quantitatis etiam fiunt maiores partes materiæ. Ex quo patet quomodo sine penetratione possit in materia recipi maior quantitas, quam antea erat.

§. V.

Solvuntur argumenta contra tertiam conclusionem.

72 C Ontra secundam conclusionem militat vnum argumentum, quod etiam est contra quintam: & ideo infra proponetur, & solvetur.

73 Contra tertiam autem conclusionem militant in primis authoritates D. Thom. suprà adductæ, vbi videtur docere raritatem, & densitatem esse qualitates. Sed cum in locis in favorem nostræ sententiae adductis tam expressè assertat idem S. Doctor eas non esse qualitates physicas, nec esse essentialiter qualitates: dicendum est, eas tantum esse qualitates logicas, & secundum dici, vel secundum modum prædicandi; & in hoc sensu loquutus est Div. Thomas, quando eas appellat qualitates. Eodem modo interpretandus est Pilosophus, & P. August. qui similiter aliquando loquuntur.

74 Hic autem modus loquendi fundatur in eo quod affectiones, & nomina propria quantitatis transferri solent ad genus qualitatis, & è contra, vnde vocamus maiorem calorem eum, qui est magis intensus,

sus, & minorem eum, qui est minus intensus: cum tamen maioritas, & minoritas spectent ad genus quantitatis. Sicut etiam D. Thomas loco suprà citato ex 1. 2. dicit, quod augmentum translatum est ad significandum intensionem qualitatis: tamen propriè, & principaliter solum convenit quantitatē habentibus. Similiter etiam intensionem caloris, vel alterius qualitatis vocamus quantitatem eius. Pariformiter ergo raritatem, & densitatem, quæ essentialiter consistunt in maioritate, & minoritate quantitatis afficientis multam, vel paucam materiam, dicimus qualitates ipsius quantitatis, quamvis reverā non sint de genere qualitatis, sed quantitatis.

75 Per quæ patet ad argumentum, quod conficiunt AA. tenentes oppositam sententiam, nimurum quod raritas, & densitas suscipiunt contrarietatem, imò sunt inter se contraria: item suscipiunt intensiōnem, & remisionem, & magis, & minus; vnum enim corpus potest esse magis, & minus rarum tam in se, quam comparativè ad aliud. Item raritas, & densitas disponunt ad generationem, & corruptionem: per nimiam enim raritatem, plura corpora corrumpuntur. Percipiuntur etiam per sensum ta-

ctus, & causant passionem in eo. Quæ omnia sunt propria qualitatis: ergo raritas, & densitas, quibus hæc omnia convenient sunt qualitatis, & quidem tertiae speciei, ad quam pertinent qualitates passibiles.

76 Verum hæc levia sunt: ad quæ dicimus, contrarietatem, quæ est inter raritatem, & densitatem esse improriam, & latam, sicut ea quæ reperitur inter maius, & minus, & inter multum, & paucum: ex qua contrarietate non potest argui quod aliquid sit de genere qualitatis. Similiter intensio, & remissio, magis, & minus, quæ inveniuntur in raro, & denso, sunt in genere quantitatis, & secundum maius, & minus quantitativè, necnon secundum multum, vel paucum de materia. Quod autem corpus rarum sit magis, vel minus rarum, non probat raritatem esse qualitatem: quia etiam corpus dicitur magis, vel minus extensem, & tamen extensio non est qualitas.

77 Illud autem quod dicitur, scilicet raritatem, & densitatem disponere ad generationem, & corruptionem, etiam convenient quantitati, per cuius augmentum, vel diminutionem multoties subiectum disponitur ad corruptionem. Ad aliud de perceptione per sensum tactus

resp. raritatem, & densitatem non esse per se obiectum tactus, sed per accidens: vel ratione primarum qualitatum, vel ratione gravitatis, & levitatis. Sicut quantitas etiam percipitur per tactum, & tamen non est qualitas. Eadem quoque quantitas, figura, & alia percipiuntur per visum, quin sint obiectum per se visus, sed solum per accidens ratione coloris adiuncti. Contra quartam conclusiōnem militat argumentum tertium iam solutum, §. antecedenti PP. Complutensium.

§. VI.

Solvuntur argumenta contra quintam conclusionem reiectionis altorum solutionibus.

78 **C**ontra quintam, & ultimam conclusionem quatenus, cum communis sententia asserit, per rarefactionem non produci novam quantitatem adhuc partiale, arguitur primò sic. Partes corporis rarefacti fiunt inter se magis distantes, quam erant ante rarefactionem: Sed hoc fieri non potest, nisi aliqua nova quantitas adveniat: ergo in rarefactione producitur nova quantitas. Min. prob. Non possunt partes fieri magis distan-

tes, quam anteā, nisi int̄ ēas mediet aliquid, quod anteā non mediabat: sed hoc aliquid non potest esse aliud, quam aliqua nova quantitas: ergo. Min. prob. Nam si non esset quantitas, esset aliquid indivisibile, & inextensum; sed per mediationem indivisibilis non fit major distantia inter extrema, cum indivisibile nullum occupet spatium: ergo illud quod mediatur, debet esse aliqua quantitas de novo producta.

79 Secundò. Per rarefactionem producuntur novæ puncta incorpore rarefacto: ergo etiam producuntur novæ partes quantitatis. Patet consequentia, quia puncta non stant sine partibus. Ant. vero prob. Dum aqua rarefit in vase, occupat totū vas usque ad summum, cum anteā solum occuparet medietatem; v. gr. illius: ergo puncta aquæ rarefactæ correspondent pluribus punctis alterius medietatis vasis, quibus anteā non correspondabant. Sed per sola illa puncta, quæ aqua ante rarefactionem habebat, non potest correspondere punctis alterius medietatis vasis, quia per sola illa puncta correspondent solum punctis unius medietatis in vase: ergo debet acquirere nova alia puncta, vt possit correspondere punctis ytriusque medietatis

Vasis, quām post rarefactionem occupat.

80 Tertiō. Nam si rarefactio sit absque additione novae quantitatis, sequitur, quod idem corpus sit induplici loco sibi adæquato; ē contra verò si condensatio sit sine amissione quantitatis, sequitur, quod dux, vel plures partes quantitatis sint in eodem loco, & consequenter penetrantur. Prima pars sequelæ probatur. Nam aqua ante rarefactionem solum est immedietate vasis tanquam in loco sibi adæquato; post rarefactionem verò est in toto vase tanquam in loco sibi adæquato; sed totum vas continet duo loca adæquata talis aquæ, siquidem continet duas medietates æquales, quarum quælibet est locus adæquatus aquæ condensatæ: ergo aqua est induibus locis sibi adæquatis. Secunda autem pars sequelæ prob. Quia partes aquæ rarefactæ, quæ sunt in superiori medietate vasis, si postea aqua condensetur, se recipiunt ad medietatem inferiorem eiusdem vasis; supponimus enim, quod tota aqua condensata, & consequenter omnes eius partes occupant solum medietatem vasis. Sed in medietate inferiori vasis erant aliæ partes distinctæ ab his, quæ erant in medietate superiori, & facta condensatione tales partes

non destruantur iuxta nostram sententiam: ergo plures partes aquæ condensatae sunt in eodem loco, & consequenter penetrantur.

81 Quartò argues ex secunda conclusione nostra, in qua diximus, quod per rarefactionem corpus, & eius quantitas habet plures partes, quām antea habebat: ergo aliquæ partes quantitatis de novo producuntur. Patet consequentia: quia partes ille, quas nunc habet corpus rarum ultra eas, quas antea habebat, antea non erant; ergo de novo fiunt, & producuntur. Deniquè. Quantitas, quam in rarefactione habet corpus rarum, est maior ea, quam habebat antea, ut patet per priam conclusionem nostram: sed quantitas maior, & minor non potest esse eadem numero: ergo quantitas, quam nunc habet corpus rarum, distincta est realiter à quantitate minore, quam antea habebat: ergo nova quantitas, & distincta à præexistente producitur per rarefactionem.

82 Ex his argumentis tria prima solum convincunt nostram primam, & secundam assertiōnem. Ad primum ergo nego minorem. Ad eius probatiōnem, neg. etiam minorem ad cuius probat. concessō ant. neg. conseq. Itaque id quod me,

mediat inter partem, & partem corporis rarefacti, quod facit easdem partes magis inter se distare, quam antea, non est aliquid indivisibile, ut bene probat argumentum; sed est quantitas, & extensio, non quidem nova, sed eadem quae anteā erat, maior tamen facta. Nam sicut per rarefactionem tota quantitas corporis fit maior: ita omnes partes eius sunt maiores.

83 Pro cuius intelligentia notandum est, quod partes proportionales non possunt esse plures in continuo magno, quam in parvo, quia in utroque sunt infinitę in potentia; possunt tamen esse maiores in uno, quam in alio. Patet etenim, quod in maiori corpore dimidium eius est maius dimidio corporis minoris: & consequenter dimidium dimidij majoris corporis etiam est maius dimidio dimidij minoris corporis, & sic deinceps. Cum ergo per rarefactionem tota quantitas fiat maior: ideo etiam partes eius proportionales maiores sunt. Vel aliter potest hoc explicari per partes aliquotas distinguendo duplex genus partium aliquotarum: unum earum, quae habent certam, & determinatam quantitatem absolutę, & secundum se, ita ut in quoctunque continuo reperiantur,

habeant eandem quantitatē determinatam, & certam. V.g. palmus, vel digitus, seu quantitas digitalis sunt partes aliquotæ habentes determinatā quantitatē absolutę, quia in quoctunque reperiantur, tantam quantitatē habent, & non maiorem, nec minorem. Iste ergo partes aliquotæ non possunt fieri maiores, nec minores: quia si palmus fieret maior, vel minor, iam non esset palmus.

84 Coeterum aliud est genus partium aliquotarum, quae secundum se, & absolutę non habent certam, & determinatam quantitatē, sed solum per comparationem ad aliquod continuum determinatum. Huiusmodi sunt partes, quae accipiunt denominationem à numeris, ut tertia pars, quarta, vel quinta, &c. Iste partes possunt dici aliquotæ, quia sunt inter se æquales, & finitæ in quolibet continuo; quodlibet enim continuum sive parvum, sive magnum non habet nisi tres tertias partes, & quatuor quartas &c. omnesque tertiae partes vnius continui sunt inter se æquales, ut cuique notum est. Rursus partes istæ non habent determinatam quantitatē absolutę, & in quolibet continuo: quia tertia pars continui maioris maiorem quantitatē habet, quam tertia pars continui,

hui minoris. At vero si iste partes comparentur ad aliquod continuum certæ , & determinatae quantitatis , tunc habent certam, & determinatam quantitatatem : ita ut quidquid fuerit maius, aut minus tali quantitate, non possit esse tertia pars illius certi , & determinati continui , & idem est de quarta, vel quinta , &c.

85 Exempli gratia si ponamus continuum , cuius quantitas totalis sit trium palmarum: tres tertiae partes illius erunt singulæ quantitatis palmaris , & non maioris , nec minoris:quia si accipiatur in tali continuo aliquid maius , vel minus palmo , non erit tertia pars eius, sed erit pars alterius denominationis. Dicimus ergo , quod huiusmodi partes aliquotæ sunt maiores in rarefactione : & ratione huius maioritatis consideratæ in partibus intermedijs possunt partes extremæ magis inter se distare, quam antea. Sicut si aqua ante rarefactionem haberet tantum quantitatem trium digitorum : & tunc tertia pars eius esset quantitas digitalis. Et si summantur duæ tertiae partes extremæ , scilicet infima, & suprema , distant inter se per spatum quantitatis digitalis alterius tertiae partis, quæ mediat inter eas. Si vero per rarefactionem aqua cresceret usque ad

quantitatem quatuor digitorum : tunc quælibet tertia pars eius excederet quantitatem digitalem , ita ut tertia pars aquæ rarefactæ haberet quantitatem digitalem , & insuper tertiam partem vnius digiti. Cum ergo una tertia pars mediet inter infimam , & supremam , & sit maior , quam antea erat : consequens est , quo duæ tertiae partes , scilicet infima , & superma distent inter se magis, quam antea.

86 Ad secundum argumentum plura , & varia dicunt AA. sæpè citati: illos enim male torquet ; cum tamen stando doctrinæ , & sententiæ nostræ facile solvatur : In primis respondet Rubio quæst. I. de rarefactione , quod puncta aquæ rarefactæ non correspondent post rarefactionem punctis vtriusque medietatis vasis simul , sed successivè tantum : ita ut post rarefactionem puncta aquæ correspondent alijs punctis vasis, & non his , quibus antea correspondentebant. Cuius rationem reddit , quia quantitas post rarefactionem mutat locum , & præsentiam localem;consequenterque non potest correspondere eisdem punctis vasis , quibus antea correspondebat, alias maneret immota.

87 Coeterum hæc solutio prorsus falsa est , & contra ipsam

sam experientiam ; quod sic probo in eodem exemplo aquæ. Nam videimus, quod aqua rarefacta occupat aliam medietatem vasis, absqne eo quod desinat occupare primam, quam solam occupabat ante rarefactionem; immo si utramque medietatem simul non occuparet, non occuparet totum vas, quia totum vas est utraque sua medietas: ergo puncta aquæ post rarefactionem correspondent non solum alijs punctis vasis, quæ sunt in secunda medietate, sed etiam simul ijs, quæ sunt in prima medietate.

88 Secundo contra eandem solutionem obstat: quia si puncta aquæ non correspondent illis punctis vasis, quibus anteà correspondebant: ergo aliqua sunt puncta in vase, quæ post rarefactionem non occupentur, nec tangantur à punctis aquæ: ergo nec partes vasis, quæ sunt inter talia puncta (in sententia quippe Aristotelis, quam, & ipse sequitur, puncta non possunt esse immediata in continuo; sed semper inter punctum, & punctum mediat pars divisibilis) occupantur, nec replentur ab aliqua parte aquæ. Hac secunda conspatet, quia si tales partes occupantur ab aliquibus partibus aquæ: cum etiam aqua habeat sua puncta inter partem, &

partem, iam essent puncta in aqua, quæ corresponderent punctis primæ medietatis vasis: cuius contrarium afferit solutio. Nunc sic: sed si aliquæ sunt partes in vase, quæ non occupantur, & replentur à partibus aquæ, aqua non occupat totum vas post rarefactionem, vt perse patet: ergo hæc solutio destruit suppositionem argumenti, quam admittit, & quam negare non potest ipsa experientia cogente.

89 Ex quo ulterius sequitur, quod partes illæ vasis, quæ non replentur à partibus aquæ, vel remaneant vacuae, vel sint repletae alio corpore. Primum est contra scholam Peripateticam non admittentem vacuum; secundum est ponere rarefactionem fieri per intromisionem corpusculorum.

90 Denique ex dictis impugnatur aliter eadem solutio. Quia evidens est, quod dum aqua rarefit, ita ut occupet totum vas, cuius solam medietatem ante occupabat, omnes, & singulæ partes vasis replentur singulis partibus aquæ, ita ut nulla sit pars vasis, quæ non sit repleta aliqua parte aquæ: ergo etiam omnia, & singula puncta vasis quasi occupantur, & replentur singulis punctis aquæ: & consequenter puncta aquæ correspondent simul omnibus punctis

Dis vasis. Probo conseq. Quia si non ita est , detur aliquod punctum vasis, quod non occupetur , & tangatur ab aliquo puncto aquæ : cum tamen , ut supponimus , & probatum est , partes illæ , inter quas mediat tale punctum , occupentur à partibus aquæ . Tunc casus sequitur , quod ex parte aquæ non detur punctum continuans eas partes aquæ replentes partes vasis : intefquas mediat illud punctum non occupatum ab aliquo puncto aquæ : ergo partes illæ aquæ non erunt inter se continuæ , & vnitæ ; siquidem in sententia huius authoris ponentis puncta continuativa incontinuo , partes non continuantur nisi per puncta . Fiet ergo rarefactio per discontinuationem partium corporis rarefacti , quod est maius inconveniens : nec rarefactio erit extensio quantitatis , sed divisio eius.

91 Quare idem Rubio videns difficultatem suæ solutionis aliam parat quasi replicans contra illam , revera tamen iterum proponens idem argumentum , ut aliam solutionem adhibeat. Dicit ergo , quod cum aqua ante rarefactionem duplò minor esset vase , siquidem solum occupabat medietatem illius ; post rarefactionem vero adæquetur vasi occupan-

dó illud totum , sequitur , vel quod post rarefactionem habeat plura puncta , & partes , quam antea habebat , consequenterque quod nova puncta , & partes producantur ; vel si non habet plura , quam antea , sequitur quod tot puncta , & partes habeat corpus parvum , quot habet corpus magnum : quod , ut ipse ait , est in intelligibile. Hæc ultima sequela prob. Nam ex una parte aqua post rarefactionem habet tot puncta , & partes , quot habet vas , siquidem adæquatur illis ; ex alia verò parte si post rarefactionem non acquisivit nova puncta , & partes , quas antea non habebat : tot habebat ante rarefactionem , quot habet post illam : ergo tot puncta , & partes habebat ante rarefactionem , quot habet totum vas . Sed ante rarefactionem erat minor vase : ergo corpus parvum habet tot puncta , & partes , quot habet magnum .

92 Huic argumento , quod vocat difficile , primò adhibet solutionem Conimbricensium , & eam impugnat. Solutio autem horum AA. talis est : concedunt namque quod aqua ante rarefactionem habet tot puncta , & partes , quot habet post illam , & consequenter tot , quot habet totum vas . Concedunt etiam ultimam sequelam argumenti ,

videlicet quod corpus parvum habeat tot puncta, & partes quot habet magnum. Nec hoc, inquit, est inconveniens: quia utrumque habet infinita puncta, & partes, & unum infinitum non potest esse maius aliud. Insuper hoc probant argumento desumpto ex duobus circulis maiori, & minori habentibus tamen idem centrum: ubi omnes linea, quae ducuntur a circumferentia circuli majoris, transeunt per puncta distincta circuli minoris: consequenter que tot puncta habet minor, quot maior. Quo medio tanquam evidenti nos vni sumus.

6. Physic. ad probandum continuum non posse componi ex solidis punctis.

93 Ceterum P. Rubio, cui fit in intelligibile, quod corpus parvum habeat tot partes proportionales, (de his enim partibus intelligitur illa demonstratio mathematica circulorum: de illisque solum loquuntur AA. tam affirmantes, quam negantes, quia loquuntur de partibus, quae infinitae sunt, & de punctis illis correspondentibus; sola autem partes proportionales sunt infinitae) quot habet magnum: hoc negat, & in sui favorem adducit eosdem circulos extensos in modum lineas rectas, ubi appareat, plura puncta habere circulum maiorem,

quam minorem. Quomodo autem in hoc fallatur hic A. satis ostendimus citato libro Physic. ubi idem argumentum solvimus, & monstravimus contra PP. Complutenses, qui eo etiam videntur, quod praeter lineas perpendicularares descendentes ad puncta circuli minoris possunt duci a punctis alijs eiusdem circuli minoris ad medietatem circuli majoris, in qua excedit minorem, infinitae aliae linea licet non perpendicularares, rectae tamen.

94 Neque vero, quia praedicti authoris haec argumentatio deficit in impugnanda solutione Conimbricensium, ideo existimandum est per eam solutionem argumentum praesentis questionis. Licet enim doctrina solutionis vera sit quantum ad hoc quod corpus parvum habet tot puncta, & partes proportionales, quot habet magnum, quia plura quam infinita dari non possunt, ut ibidem etiam late ostendimus: hoc tamen impertinens est ad solvendum praesens argumentum. Ratio est, quia etiam est verum, quod corpus parvum habet pauciores partes aliquotas, & certae quantitatis, quam magnum, ut ibidem etiam declaratum est; & per hoc ostensum quomodo unum corpus possit esse maius aliud, etiam si utrumque habeat tot partes pro-

proportionales. Adæquatio autem aquæ rarefactæ cum toto vase non sit per partes proportionales præcisæ, immo per has præcisæ partes non potest fieri adæquatio duorum corporum: quia licet in uno sint tot quot in alio, in uno tamen possunt esse maiores, quam in alio; & de facto sic evenit, quando unum corpus est maius alio.

95 Fit ergo adæquatio corporum per partes aliquotas æquales, & certæ quantitatis, ita ut illa corpora adæquentur, seu sint æqualia, quorum unum habet tot partes aliquotas, ac aliud: sed aqua ante rarefactionem non habet tot partes aliquotas, quot habet vas, quia est in duplo minor vase: ergo cum post rarefactionem adæquetur vas, vel acquirat plures partes aliquotas, quam antea, & tunc restat difficultas quomodo hoc possit esse sine additione novæ quantitatis; vel si non acquirit, sequitur, quod corpus habens pauciores partes aliquotas sit æquale alteri habenti plures, quod est impossibile. Constat igitur quod argumentum manet adhuc in sua vi.

96 Ad quod ex propria mente respondet Rubio concedendo, quod post rarefactionem puncta, & partes aquæ correspondent omnibus pun-

ctis, & partibus vasis; negat tamen, quod aqua habeat tot puncta, & partes, quot habet vas. Quia inquit, ratione diverse dispositionis, quam aqua rarefacta habet, possunt pauciora puncta, & partes aquæ correspondere pluribus partibus, & punctis vasis. Quod evidenter, ut ipse ait, probatur exemplo quadrati: in quo puncta unius costæ, & linea ductæ ab eis ad puncta alterius costæ opposita correspondet omnibus punctis linea diametralis eiusdem quadrati secundum eam dispositionem, quam diameter habet in quadrato, quia omnes linea ductæ à costa in costam transeunt per lineam diametram, ita ut nullæ duæ linea concurrent in eodem puncto diametri, sed singulæ transeunt per distincta puncta. Rursus si linea diametralis ponatur in alia dispositione, scilicet iuxta costam: tunc evidens est, diameter esse longiorem costam in aliqua determinata quantitate: nec poterunt ad omnia puncta diametri sub hac dispositione duci linea ab omnibus punctis costæ, sed solum ad illa, quæ continentur in ea longitudine secundum quam diameter non excedit costam. Vnde puncta costæ non correspondent omnibus punctis diametri in hac dispositione positi.

97 Et cum puncta costa
sint pauciora, quam puncta dia-
metri, quia hic longior est co-
sta: evidenter sequitur, quod
pauciora puncta, & partes
vnus quantitatis, quæ sub vna
Dispositione non correspondent
pluribus punctis, & partibus
alterius quantitatis, eis corre-
pondeant sub alia dispositione.
Ita ergo evenit in aqua rarefa-
cta absque eo quod habeat tot
puncta, & partes, quot habet
vas. Eodem modo nititur hic
A. componere, quod circulus
minor habeat pauciora puncta,
& partes proportionales, quam
maior; & tamen omnibus pun-
ctis maioris corrispondent
puncta in minori, per quæ tran-
seant lineæ, quæ à circumferen-
cia maioris ducuntur.

98 Hæc tamen doctrina,
& solutio plura continent incon-
venientia: quæ ut manifesta-
fiant prius notandum est, quod
in prædictis A. iste apertè fate-
tur, quantitatem corporis rare-
facti non fieri maiorem secun-
dum se, & in ordine ad se. Nam
dicit, aquam rarefactam non
habere tot puncta, & partes,
quot habet vas, sed pauciora:
eaque licet sint pauciora corre-
spondere pluribus partibus, &
punctis vasis ratione dispositio-
nis, quam habet per raritatem.
Et cum in eius sententia aqua,
ut esset in quantitate æqualis

vasi, deberet habere tot puncta;
& partes, quot habet vas, ne-
cessa est, quod eius quantitas
sit minor quantitate vasis, &
consequenter non sit maior,
quam anteā erat.

99 Hoc norato sequitur
primo ex doctrina solutionis,
quod positis duobus corporibus
non possemus certo scire, quod-
nam eorum esset maius, vel
minus, aut an essent inter se
æqualia: sequela est manifestè
falsa: ergo, & illud ex quo se-
quitur. Prob. sequela. Nam
ad sciendum quodnam corpus
habeat maiorem quantitatem;
v. gr. longitudinem nou est
aliud medium, nisi vel expe-
rientialia occularis, qua vidimus
vnum excedere aliud in longi-
tudine, vel adhibere aliquam
mensuram, quam si vtrumque
corpus adimpleat, erunt æqua-
lia, & sic respectivè si aliquod
deficiat à mensura, & aliud non;
tunc enim erunt inæqualia: vel
tandem inspiciendo ad locum,
quem vnumquodque occupat;
sed omnia ista fallunt, si vera
est doctrina solutionis: ergo
nulla erit regula certa dignos-
cendi maioritatem, vel mino-
ritatem quantitatis inter cor-
pora.

100 Minor prob. Nam in
primis quod attinet ad eviden-
tiā occularem, licet vnum
corpus videatur excedere aliud,

tamen hic excelsus potest esse solum quoad extensionem in ordine ad locum , quæ potest esse maior in vno corpore, quam in alio ratione alicuius dispositionis , vel raritatis , vel alterius : manente tamen quantitate , seu longitudine huius corporis æquali , vel etiam minori , ac est longitudo alterius corporis , quod videtur excedi . Hoc patet in ipso exemplo aquæ rarefactæ , quæ cum occupet totum vas , videtur excedere se ipsam secundum eam quantitatem , quam habebat , dum erat condensata , & solum occupabat medietatem vasis: sed non obstante hac evidenter oculari , quantitas aquæ rarefactæ non est maior in se , & in ordine ad se , quam quantitas eiusdem condensatæ , quia iuxta doctrinam solutionis non habet plura puncta , nec plures partes : ergo idem eveniet respectu aliorum corporum . Hoc autem maximè verum est , quia licet aliquando possimus certo scire , quod vnum corpus sit rarum , & aliud densum , vel quod utrumque sit rarum , aut utrumque densum: non tamen possumus certo scire quantam raritatem , vel densitatem habent.

101 Eodem modo prob. min. quantum ad alias regulas. Quia etsi adhibeatur mensura,

quæ ab utroque corpore impleatur , non ideo possumus scire , ea habere æqualem quantitatem . Potest enim contingere , quod vnum corpus sit rarum : & tunc iuxta solutionem per pauciora puncta , & partes adimplebit mensuram sed si habet pauciora puncta , & partes , quam aliud , habebit minorē quantitatem , & consequenter non erit æquale . Quod etiam confirmatur eodem exemplo aquæ rarefactæ , cui nulla melior mensura potest adhiberi , quam vas , in quo continetur , & quod occupat totum: & tamen licet aqua rarefacta impleat totam superficiem vasis , eius quantitas non est æqualis vasi iuxta doctrinam solutionis , quia non habet tota puncta , & partes , quot habet vasa . Adde , quod cum ipsa mensura , quæ adhiberi potest , habeat suam raritatem , vel densitatem , nec etiam sciri poterit , utrum quantitas eius sit maior , vel minor quantitate corporis mensurati . Quia si mensura sit rarior corpore mensurato , per pauciora puncta , & partes poterit correspondere , & adequare quantitati maiori corporis mensurati . Per locum autem , quem vnumquodque corpus occupat , minus poterit investigari quantitas eius , cum ut constat ex dictis aqua rare-

facta sit minor superficie vasis,
quam occupat.

102 Secundo sequitur quantum ad exemplum, quod adhibet solutio de circulo, & quadrato, quod si aliquis vellet asserere, quod costa quadrati est aequalis diametro, non posset falsitatis convinci. Quod sic probo. Nam ex eo convinceretur, quod diameter positus iuxta costam evidenter apparet longior illa: sed haec ratio, & evidentia facile eludi posset, si vera est doctrina solutionis: ergo. Min. prob. Nam posset aliquis dicere, quod ille excessus qui apparet in diametro est solum in ordine ad occupandum minus spatum loci, non autem est excessus in longitudine, seu quantitate: quia licet costa habeat tantam longitudinem, quantam habet diameter; tamen posito diametro in tali dispositione, scilicet iuxta costam, non potest illi costa adaequari: potest tamen adaequari illi posito in ea dispositione, quam habet in quadrato. Sicut iuxta doctrinam solutionis quantitas aquæ condensata tanta est, quanta eiusdem rarefacta; & tamen sub densitate non potest adaequari, nec correspondere toti vasi, bene tamen sub rariitate. Alia etiam inconvenientia deduci possent, quæ facile quisque poterit considerare.

103 Nunc autem revertarur ad aliud, quod praedicta solutio supponit, scilicet quod corpus parvum non habet tot puncta, & partes proportionales. Contrarium enim asserimus, lib. 6. Physic. vbi impugnavimus rationem, qua hic author, & cum eo PP. Complutenses moti sunt, quia iuxta illos à linea circuli minoris extensa in longum infra lineam circuli maioris eodem modo extensam non possunt duci linea recta ad omnia puncta linea majoris; vnde videtur quod linea minor habeat pauciora puncta, quam maior.

104 Hoc, inquam, ibi impugnatum est, & tunc iterum breviter impugnatur. Nam à quolibet punto ad quodlibet punctum potest duci linea recta: ergo à quolibet punto linea minoris potest duci linea recta ad quodlibet lineæ maioris; & consequenter nullum est punctum in linea maiori, ad quod non possit duci linea recta à punctis minoris lineæ. Vtraque consequentia de se est manifesta, & antecedens negari non potest nisi negando definitionem lineæ rectæ. Etenim à quolibet punto ad quodlibet punctum potest duci linea brevissima, quæ est linea recta.

105 Sed forte praedicti AA. dum negant, posse duci

lineas rectas à punctis lineaे minoris ad omnia puncta lineaे maioris, solum intendunt dicere de lineaē perpendicularibus pro eodem accipientes lineaē rectas, & perpendicularares. Et cum lineaē transversae, quæ duci possunt à punctis lineaē minoris ad illam partem lineaē maioris, in qua excedit minorē, coincident in eisdem punctis, à quibus incipiunt lineaē perpendicularares: sit consequens, quod in linea minori non sint plura puncta, quam ea, a quibus ducuntur lineaē perpendicularares. Sed in linea majori præter puncta perpendiculariter correspondentia omnibus punctis lineaē minoris dantur alia plura puncta, a quibus non possunt duci nisi lineaē transversae ad puncta lineaē minoris, ut evidens est in figura posita, lib. 6. Physic. ergo semper sequitur, quod linea major habeat plura puncta, quam minor. Quod autem puncta lineaē minoris, in quibus terminari possunt lineaē transversae ductae à linea majori, sint eadem ac ea, in quibus terminantur lineaē perpendicularares, patet tum ex ipsa figura: tum quia nullum est punctum in linea minori, ad quod non ducatur linea perpendicularis ab ea parte lineaē maioris, secundum quam adæquatur minori infra ipsam posite:

ergo quæcumque linea transversa ducatur ab alia parte lineaē maioris, debet terminari in aliquo puncto lineaē minoris, in quo simul terminetur aliqua linea perpendicularis.

106. Et vrgeri potest hoc idem assumptum contra nos. Quia si verum est, quod corpus parvum habet tot puncta, & partes proportionales, quot habet magnum, sicut nos dicimus: eadem ratione tenemus dicere, quod in medietates v. gr. alicuius corporis tot sint puncta, & partes proportionales, quot sunt in toto corpore. Sed hoc est impossibile: ergo, & illud, quod asserimus. Major patet, quia eadem proportio est vnius corporis semipalmaris; v. gr. ad aliud palmare, quæ est medietatis corporis palmaris ad totum se ipsum. Min. autem prob. Quia si medietas alicuius corporis haberet tot puncta, & partes, quot habet totum, tunc pars esset æqualis, toti, & consequenter totum non esset maius sua parte, quod est impossibile, & contra prima principia. Sequela prob. Nam multitudine punctorum, & partium proportionalium, quæ est in medietate corporis, est pars totius multitudinis punctorum, quæ est in toto corpore: ergo si multitudo punctorum, quæ est

est in medietate est tanta, quanta est multitudo punctorum, quæ est in toto corpore, pars erit æqualis toti.

107 Contra hæc argumenta, quæ licet non sint propria præsentis quæstionis, tamen hic inserta sunt, ne forte aliquis eis convictus existimet, falsum esse id, quod lib. 6. Physic. dictum est, nempè non posse dari multitudinem maiorem multitudine infinita, videnda sunt ea, quæ ibidem latè adducimus ad hoc idem probandum. Deinde circa primum nitens in eo, quod in linea circuli minoris non sunt alia puncta, nisi ea à quibus duci possunt, vel in quibus terminari possunt lineæ perpendicularares, & consequenter puncta terminantia lineas transversas sunt eadem, ac ea quæ terminant lineas perpendicularares: iam ibidem præoccupata manet hæc replica, & insinuata solutio eius. Nam quantumcumque accipientur in linea minori omnia puncta terminantia lineas perpendicularares: semper tamen inter quæcumque duo puncta ex his mediant partes lineæ; alias puncta in continuo essent sibi immediata, & sic continuum componeretur ex solis punctis. Sed si mediant partes, consequenter etiam mediant puncta, quia istæ partes cum sint divisibiles

debent etiam habere sua puncta continuativa iuxta sententiam prædictorum AA. & aliundè hæc puncta quæ mediant, non possunt esse eadem, ac puncta interquæ mediant: ergo quomodo cumque disponatur linea minor, necesse est concedere in ea alia puncta præterea, quæ terminant lineas perpendicularares. Et sic cessat difficultas pri-
mi argumenti.

108 Præterea. Quia si ex eo quod linea circuli minoris in tali dispositione posita, scilicet extensa in longum infrà lineam circuli maioris non habet puncta distincta, quæ terminare possint omnes lineas, quotquot duci possunt à linea circuli majoris, sed necessario lineæ transversæ debent eo incidere in eisdem punctis, in quibus terminant lineæ perpendicularares, ut videtur necessario concedendum; si ex hoc, in quam, licet inferre, quod puncta lineæ minoris sint pauciora: ergo par i ratione quia omnibus lineis, & punctis, quæ sunt in circulo majori servata circulari figura, correspondent in circulo minori etiam sub circulari figura puncta distincta, ita ut nullæ duæ lineæ ductæ à circumferentia circuli maioris transeant per idem punctum circuli minoris, licebit, & debet inferri, tot puncta habere circulum mi-

morem ; quot habet maior.

109 Consequentia hæc quoad id quod supponit , scilicet quod omnes , & singulae lineaæ ductæ à circumferentia circuli majoris transeant per circulum minorem impermixte , ita ut nullæ duæ concurrent in eodem punto , conceditur à P. Rubio , & à nobis citato loco Physic. probatum est contra P. Arriaga , & PP. Complutenses illud negantes. Quoad illud autem , quod asserit eadem consequentia , probatur efficaciter. Nam circulus maior non potest habere plura puncta , quam lineaæ duci possunt à circumferentia eius usque ad centrum ; alias aliquod esset punctum in circumferentia circuli , à quo ad centrum non posset duci linea recta , quod est impossibile , vt per se patet ; sed puncta circuli minoris sunt tot , quot sunt lineaæ , quæ duci possunt à circumferentia circuli majoris , siquidem singulae lineaæ transeunt per singula , & distincta puncta circuli minoris : ergo sunt tot , quot sunt puncta circuli majoris. Idem argumentum fit de quadrato. Addo etiam , quod etiam dissoluta figura circuli majoris , & minoris , & extensis lineis eorum in rectum , possunt taliter disponi , vt nullæ duæ lineaæ ductæ à linea circuli majoris ad lineam

minoris concurrant in eodem punto. Quod facile est cerne-re , si ita inter se iungantur illæ duæ lineaæ , vt faciant angulum. Vides ergo , quod illa argumen-tatio desumpta ex varia dispositione linearum nihil ro-borishabet.

110 Ad aliud argumen-tum resp. concessa maiori , ne-gando min. Ad eius probat. negatur suppositum , quod in-cludit illa propositio asserens , quod multitudo punctorum , quæ est in medietate corporis , sit pars multitudinis puncto-rum , quæ est in toto corpore. Supponitur enim , quod in con-tinuo detur in actu aliqua mul-titudo punctorum continuantium partes continui. Quo sup-posito non solum dabitur una multitudo totalis punctorum , sed etiam plures , iniò infinitæ multitudines partiales puncto-rum , quarum quilibet sit mul-titudo infinita , vt concedunt ponentes infinita puncta in actu. Coeterum quia impossibile est dari in actu infinitam multitu-dinem etiam punctorum : ideo non sequitur , quod pars sic æqualis toti , vel quod totum non sit maius sua parte ; quia ubi non datur multitudo in actu , nec datur multitudo par-tialis , nec totalis. Dato autem hoc impossibili , scilicet quod daretur in actu infinita multitu-

do punctorum, sequitur utrumque contradictorium, scilicet quod multitudo partialis punctorum, quæ esset in medietate corporis, esset æqualis multitudini totali, quia esset multitudo infinita, ut conceditur ab Adversarijs, & multitudine infinita non potest dari maior multitudo propter rationes à nobis adductas loco citato Physic. Esset etiam inæqualis, seu minor multitudine totali punctorum, quæ esset in toto corpore, quia esset pars illius.

111 Et ut videoas hæc omnia absurdæ, & inconvenientia secum afferentia verificationem utriusque partis contradictionis sequi ex illa sententia ponente multitudinem infinitam punctorum actu existentium in continuo: nunc probandum est, ex eadem sententia sequi, quod continuum habeat plura puncta, quam habet, seu quod habeat plura puncta, quam sint omnia, quæ habet. Et idem de lineis, prout ponuntur ab Adversarijs in continuo. Nam acceptis omnibus lineis, quæ sunt in corpore orbiculari descendentes à circumferentia usque ad centrum, certum est, quod interquaslibet duas illarum mediat aliqua pars eiusdem corporis, cum lineæ non possint esse inter se immediate, alias superficies constaret ex solis lineis;

& præterea quia lineæ ductæ à circumferentia ad centrum quo magis recedunt à centro, eo magis distant inter se: vnde necesse est, quod in circumferentia, vel circa illam sint maximè inter se distantes, & consequenter quod inter quamlibet, & aliam detur aliqua pars superficie media. Sed illæ partes, quæ mediant interquaslibet duas lineas habent etiam suas lineas, alias daretur aliqua pars superficie, quæ non esset continuata per lineas: ergo præter illas omnes lineas, quas habet corpus orbiculare à circumferentia usque ad centrum, dantur aliæ, quæ mediant interquaslibet duas illarum omnium: ergo dantur plures lineæ, quam sint omnes, quas habet corpus orbiculare.

112 Idem argumentum fit in punctis. Quia corpus orbiculare in circumferentia non potest habere plura puncta, quam lineæ sunt in illo à circumferentia ad centrum: alias aliquod punctum esset, à quo non posset duci linea ad centrum. Et cum inter punctum, & punctum semper mediet aliqua pars lineæ, quæ etiam debet habere sua puncta continuativa: sequitur, quod acceptis omnibus punctis circumferentiae initiativis omnium linearum, quæ puncta sunt omnia,

quæ habet circumferentia , ad-
huc dentur alia mediania inter
quælibet duo puncta ex illis
omnibus ; & consequenter quod
sint plura puncta , quam omnia .
Quare ut vitentur hæc absurdæ ,
standum est sententiæ nostræ
quæ asserit non dari in conti-
nuo puncta continuativa in
actu , sed solum in potentia :
infinitatemque eorum solum es-
se in potentia consistentem in
eo quod nunquam tot divisiones
continui possint existere in
actu , quin plures adhuc dari
possint . Et hoc pacto bene , &
sine inconvenienti salvatur , tot
puncta habere continuum par-
vum , quam magnum , & par-
tem continui , quam ipsum to-
tum . Quia sicut verum est de
toto aliquo continuo , quod non
toties possit esse divisum
in actu , quin adhuc plures di-
vidi possit : ita verum est de
qualibet parte eius , quod non
toties potest esse divisa in actu
in suas partes , quin adhuc plu-
res dividi possit , supposito ut
omnes supponimus cum Aristotele ,
quod quælibet pars con-
tinui est divisibilis in infinitum .

113 Hæc dicta sunt circa
doctrinam , qua vtitur P. Ru-
bio pro solutione secundi argu-
menti , quatenus opponi potest
contra ea , quæ tanquam certa
statuta reliquimus , lib. 6. Physic.
Nunc autem quid alij respon-

deant ad idem secundum argu-
mentum , videndum est . Et
quidem Colleg. D. Thom. ean-
dem solutionem quoad rem
adhibet , quam Rubio , vt in
ipso videri potest . Solutionem
vero Complut. Carmelitarum
recurrentium ad quædam pun-
cta vago , & confuso modo
existentia in partibus aquæ pro-
portionalibus non intelligo , &
ideo eam prætermitto ,

§. VI.

Vera solutio traditur secunda
argumenti , & alio-
rum .

114 R Espondet ita-
que ad secun-
dum argumentum propositum
contra quintam conclusionem
negando antecedens , scilicet
quod per rarefactionem produ-
cantur nova puncta : non quia
aqua rarefacta non fiat maior ,
vel partes eius plures , quam
antea ; sed quia nec in rarefa-
ctione , nec in vlo casu puncta
producuntur in actu , nisi per
divisionem continui : rarefactio
autem non est divisio quantita-
tis , sed augmentum eius . Ad
probat. antecedentis concessio
antecedenti , nego suppositum
consequentis , si intelligatur de
correspondentia punctorum co-
tinuativorum actu existentium

in aqua , vel in vase , quia talia puncta nulla sunt , ut s^ep^e dictum est. Si verò intelligatur de correspondentia punctorum existentium in potentia ; tunc dico , quod aqua post rarefactionem correspondet omnibus punctis , & partibus vasis , cum antea solum corresponderet medietati illius. Correspondet quidem non per puncta , quae ut dictum est non sunt in illa actu nec ante , nec post rarefactionem ; sed per extensionem maiorem , & maiorem quantitatem , quam habet post rarefactionem ; non enim adæquatio aquæ cum vase sit per puncta , sed per quantitatem.

115 Eo autem ipso quod quantitas aquæ fiat maior , & æqualis vasi per rarefactionem , potest habere tot divisiones per partes aliquotas , quot vas potest habere : & sic puncta in potentia aquæ , per quæ possunt terminari partes eius aliquotæ si fiat divisio , correspondent punctis in potentia vasis potentibus terminare facta divisione partes aliquotas eiusdem vasis. Et hoc est , quod diximus in secunda conclusione , quod scilicet per rarefactionem habet corpus plures partes aliquotas , quam antea habebat ; unde non mirum quod post rarefactionem adæquetur aqua toti vasi , cui ante rarefactionem non adæquatatur.

116 Ad 3. argum. resp. illud contra nos nullam vim habere , sed contra Authores s^ep^e impugnatos qui dicunt , aquam rarefactam non habere maiorem quantitatem , quam habebat condensata. Hoc enim dato sequitur , aquam rarefactam occupare duplicum locum sibi adæquatum. Quia locus adæquatus corporis ille est , qui adæquatur quantitati eiusdem corporis ; in sententia autem prædictorum AA. quantitas aquæ rarefactæ non excedit quantitatem medietatis vasis , quia non est maior quantitate eiusdem aquæ condensata , & quantitatis aquæ condensata non excedit quantitatem medietatis vasis : ergo dum aqua per rarefactionem occupat aliam medietatem vasis , occupat alium locum sibi adæquatum.

117 In sententia autem nostra licet quantitas aquæ rarefactæ , & condensata sit eadem numero quantitas : est tamen maior dum est rarefacta , quam dum erat condensata. Locus autem adæquatur corpori , vel quantitati eius non secundum quod est hoc numero , nec secundum quod habet hanc numero quantitatem , sed secundum quod habet tantam quantitatem. Unde locus adæquatus aquæ condensata est medietas vasis : & locus adæquatus eius-

Eiusdem rarefactæ est totum vas, sed non ideo totum vas est duplex locus adæquatus aquæ, quia aqua dum habet maiorem quantitatem, habet maiorem locum sibi adæquatum, quam dum habebat minorem quantitatem. Ex eo autem quod totum vas continet duplicum locum aquæ condensatæ, non sequitur quod aqua aliquando sit in duplice loco sibi adæquato: quia dum est rarefacta, totum vas non excedit quantitatem eius, quamvis excedat quantitatem eiusdem aquæ condensatæ. Quare in forma ad arg. neg. utramque sequelam. Ad probat. primæ concessis præmissis, neg. conseq. quæ non sequitur propter dicta.

118 Ad probat. secundæ sequelæ concedo mai. si rectè intelligatur, ita scilicet quod partes, quæ erant in superiore parte vasis, se recipiant ad medietatem vasis, non manendo tantæ, quantæ erant dum aqua erat rarefacta, sed factæ minores per condensationem. Quia sicut per rarefactionem partes quantitatis sunt maiores modo explicato. s. antecedenti inter solvendum primum argumentum, ita sunt minores per condensationem. Hoc notato concedo etiam min. & neg. conseq. Quia licet partes, quæ erant in medietate inferiori, vel supe-

riori vasis non destruantur: utræque tamen sunt minores, & per consequens partes aliquotæ etiam sunt pauciores; unde nulla est pars, quæ sit in eadem parte loci cum alia.

119 Ad 4. neg. conseq. Ad eius probat. neg. etiam conseq. Quia pluralitas illa partium, nec post rarefactionem est in actu, sed solum in potentia. Ad hoc autem, ut plures partes in potentia sint modò, quam anteā, non requiritur quod aliquid de novo producatur; sed quod illud, quod anteā erat, fiat in actu maius; hoc enim ipso quod sit maius, potest dividi in plures partes aliquotas, & sic habet eas in potentia. Et si dicas: quando quantitas de novo producitur in generatione corporis quanti, partes eius solum sunt in potentia: & tamen ut sint in potentia, necesse est quod de novo producatur quantitas: ergo etiam in rarefactione etiam si partes illæ plures sint solum in potentia, debet produci de novo aliqua quantitas. Resp. ne gando conseq. quia ante priam productionem quantitatis non supponitur aliqua quantitas in actu, & ut partes sint in potentia, debet esse aliquod totum in actu. In rarefactione autem supponitur iam producta in actu, & solum sit maior in actu;

actu : potest autem quantitas fieri maior in actu absque productione alicuius novæ quantitatis per solam intensionem præexistentis.


120 Vel aliter potest responderi ad 4. argumentum, negando etiam conseq. Et ad eius probat. dist. consequens : ergo de novo fiunt, in actu, neg. conseq. in potentia, concedo conseq. etsi ulterius inferatur: ergo aliquid fit de novo, quod anteā non erat, negandum est; quia ut fiunt plures partes in potentia, non requiritur quod aliqua quantitas fiat de novo, sed quod illa eadem, quæ anteā erat, fiat maior in actu. Et potest explicari exemplo intensionis qualitatum in sententia Thomistarum. Nam calor post intensionem continet virtualiter plures gradus caloris, quam ante intensionem continebat; & tamen per intensionem non fit aliquis calor, vel gradus caloris, qui anteā non esset: sed solum calor præexistens fit maior intensivè, & per hoc continet plures gradus caloris, quam anteā continebat.

121 Ad 5. Resp. quod æquè vrget Thomistas in intensione. Nam calor, quem nunc habet aqua calida vt quatuor v. gr. maior est calore, quem anteā habebat, dum solum erat calida, vt duo; sed calor maior, & minor non potest esse idem numero: ergo. Imò, & omnes vrget, nisi teneant, quod intensio qualitatum fit per productionem novæ qualitatis totalis. Quia nisi declinetur ad hanc sententiam, omnes debent fateri, quod calor, qui augetur, perseverat idem numero post augmentum, ac anteā erat; alias intensio non esset augmentum caloris, sed destructio eius. Ex hoc ergo. Resp. neg. min. Quia potius natura augmenti quantitatis, vel qualitatis, quod fit per rarefactionem, vel intensionem, requirit quod eadem numero quantitas, quæ nunc est minor, postea fiat maior, vel secundum extensionem, vel

supa secundum intensio-

nem.

DIS-



DISPUTATIO V. DE REACTIONE, & reflexione.

QUÆST. Vnica.

Quid sint, & quomodo fiant reactio, & reflexio?

§. I.

Explicatur quomodo fiat reactio, & antiparistasis.

Quia transmutatio-
nes elementorum,
sive quando vnum
elementum trans-
mutatur in aliud, sive quando
ex ipsis elementis generantur
mixta, fiunt per mutuam actio-
nem eorumdem elementorum
ad invicem, ita vt vnum agat
in aliud, & è contra aliud rea-
gat in primum: ideo interpre-
tes Philosophi in præsenti insti-
tuunt quæstionem de reactione,
an scilicet detur, & quomodo
fiat? Occasio verò tractandi in
præsenti de antiparistasi, & re-
flexione est, quia Philosophus
in his libris assignans condi-
tiones, quæ requiruntur ex par-
te agentis, & passi ad agen-
dum, & patiendum, docet;
agens, & passum quodammodo
debere esse similia, & quo-
dammodo inter se dissimilia.
Similia quidem in materia, quia
debent communicare in mate-
ria, quæ sit transmutabilis ad
formam vtriusque, id est, tam
ad

ad formam agentis , quām ad formam passi. Propter quod licet cōlūm sit agens respectu corporum sublunariorum , non potest tamen pati ab ijsdem corporibus : quia materia cōlorum non potest recipere aliam formam pr̄ter eam , quam de facto habet.

2 Dissimilia autem debent esse quantum ad formam , & qualitatis , ita ut habeant qualitates inter se contrarias , vel ad minus si tam agens , quām patiens habuerint qualitatem eiusdem speciei , debet esse dissimilitudo in intensione eiusdem qualitatis , ita ut in uno sit magis intensa , quām in alio. Propter quod , ut fert communior opinio , vnum calidum ut quatuor non potest agere in aliud calidum ut quatuor intendendo calorem eius : quia cum sint omnino similia in qualitate , & eius intensione , cessat finis , & ratio , ob quam agens agit in passum , ad hoc nemp̄ , ut illud assimilet sibi ; quod quidem facere non posset , si illud supponeret perfectè sibi simile antecedenter ad suam actionem.

3 Alia item ratio huius communis opinionis afferri solet : nimirum quia si calidum tantum ut quatuor posset agere in aliud calidum ut quatuor , maiorem intensionem caloris

causaret in eo , quām ipsum agens in se haberet ; alias nihil ageret : sed non potest maiorem intensionem causare , quām in se habeat : siquidem nullum agens potest causare effectum , quem non p̄æcontinet : ergo .

4 In reflexione autem ut infra dicemus , videtur simile agere in omnino sibi simile : & quod plus est , in antiparistasi videtur quod idem agat in se ipsum ; vnde multo magis simile poterit agere in sibi simile. Ut ergo examinetur quomodo actiones , quæ sunt per antiparistasm , & reflexionem , contingere possint absque eo quod aliquid agat in se ipsum ; vel in simile , tractant AA. in p̄æsenti de antiparistasi , & reflexione ; de quibus nos breviter aliquid dicemus , supponendo magis cum communi sententia quam disputando , quod nec idem potest agere in se ipsum , nec simile in omnino sibi simile.

5 Primo itaque quantum ad reactionem sciendum est , eam nihil aliud esse , quam mutuam actionem , qua passum reagit in ipsum agens , à quo patitur secundum aliquam qualitatem contrariam ei , per quam agens in ipsum agit. V. gr. dum ignis agit in aquam eam calefaciendo : è contra aqua per suam naturalem frigiditatem agit in ignem , illum aliquatenus

infrigidando. Quod autem detur huiusmodi reactio , seu reciproca actio contrariorum in invicem ; docet apud P. Rubio Philosophus lib. 4. de Generat. animalium , cap. 3. per haec verba : *Omne agens patitur etiā à paciente, ut quod secatur, habetur ab eo quod secatur: quod calefacit, refrigeratur. Denique quodcumque movet excepto primo, mutuo movetur aliquo motu; & interdum etiam ita sit, ut quod agit, magis patiatur quam agat: & refrigeretur quod calefacit, & calefacit, quod frigefacit.*

6 Quam doctrinam Philosophi confirmat ipsa experientia. Videmus enim , quòd si manus calida tangat aliam manum frigidam , eam calefacit, & vicissim ab ea infrigidatur temperando calorem. Item si pruna accensa mittatur in aquā, vel aqua super eam fundatur, extinguitur pruna, vel in totum, vel in parte: & simul aliqua pars aquæ consumitur, & evapora- tur, ut testatur vapor , & exhalatio , quam videmus ascendere , in quam resolvitur pars aquæ. Quare sententia haec communis est , & ab ea ortum dicit illud proloquium *omne agens agendo repatitur:* quamvis aliqui apud prædictum A. hanc sententiam negaverint non admittentes reactionem.

7 Contra eam autem sunt haec argumenta. Primum: nam à proportione minoris inæqualitatis non fit actio ; sed dum agens agit in aliquod passum, semper passum se habet ad agens in proportione minoris inæqualitatis: ergo non potest reagere in agens , à quo patiatur. Mai. & min. simul probabantur explicando proportionem maioris , & minoris inæqualitatis. Proportio itaque ista attenditur inter virtutem activam , seu activitatem agentis , & virtutem resistivam passi ; cum enim agens , & patientis habeant qualitates contrarias , sicut agens agit per suam qualitatem , ita passum resistit eius actioni per contrariam qualitatem. Quæ resistentia in eo consistit, quòd passum , vel omnino impedit actionē agentis , vel saltē retardat eam, ut non fiat tam citò , nec sit tam intensa , sicut esset si ex parte passi non daretur qualitas opposita resistens. Quando ergo activitas agentis est maior resistentia , seu virtute resistiva passi : tunc datur proportio maioris inæqualitatis , & sequitur actio: quia agens sua activitate vincit passum. Quando verò maior est resistentia passi, quam sit activitas agentis , tunc datur proportio minoris inæqualitatis: & tunc non potest

X dati

dari actio , quia agens non potest vincere resistentiam passi, quæ maior est activitate agentis.

8 Ex quibus probata manet utraque propositio. Nam si agens agit in aliquod passum, activitas eius maior est virtute resistiva passi , ut constat ex dictis ; sed virtus resistiva passi est illa eadem virtus , per quam posset reagere in agens à quo patitur , ut patet in aqua , que per suam frigiditatem simul resistit activitati ignis , & si debet agere in ignem , agit per eandem frigiditatem debilitando calorem ignis. Similiter virtus resistiva ignis , per quam debet resistere aquæ in reagenti , nihil aliud est , quam calor eiusdem ignis , qui etiam est virtus activa illius , per quam agit in aquam : ergo virtus resistiva ignis maior erit virtute activa aquæ ; & consequenter aqua patientis ab igne se habebit ad illum in proportione minoris inæqualitatis , ideoque non poterit in illum reagere.

9 Secundum argumentum est : nam sequitur ex reactione , quod calidum ut sex ; v. gr. non possit agere in calidum , ut quatuor intendendo calorem eius usque ad sextum gradum , quod videtur contrariari experientiae. Sequela prob. Nam si simul dum agit calidum ut sex

in calidum ut quatuor , reputatur à frigiditate huius , quam simul habet cum calore ut quatuor : ergo aliquem gradum caloris amittit per reactionem , siquidem frigidum non potest reagere in calidum nisi minuendo , & remittendo eius calorem : ergo dum durat reactio , calidum iam non est calidum ut sex , consequenterque non poterit causare calorem ut sex in calido ut quatuor. 3. sequitur ex reactione , quod idem simul moveatur motibus contrarijs , quod est impossibile. Sequela prob. ponendo , quod ignis agat in aquam medio aere. Tunc prius debet ignis calefacere aerem , quam aquam , ut per se notum est : si ergo aqua debet reagere in ignem etiam medio aere , prius in frigidabit aerem , quam ignem : ergo aer simul calefiet , & frigefiet , quod est moveri simul motibus contrarijs.

10 De hac materiæ latissimè agit P. Rubio , qui pro solutione primi argumenti notat , & cum eo Complut. Carmelitæ , & Colleg. D. Thomæ , duplicum esse resistentiæ , unam activam , aliam formalem , quam vocant etiam passivam. Resistencia activa consistit in ipsa actione , qua unum contrarium agit in aliud debilitando eius virtutem ex eo quod per suam actionem

actionem imprimit contrario qualitatem propriam sui : quæ quia contraria est qualitat, per quam agit alterum contrarium, ideo debilitat virtutem eius. Resistentia formalis, seu passiva consistit in qualitate propria unius contrarij, non quatenus activa est, sed quatenus est forma ex natura sua incompossibilis cum qualitate alterius contrarij ut in igne calor, & in aqua frigiditas.

11 Supposita hac distinctione dicunt hi AA. quod ut actio sit à proportione maioris inæqualitatis, non est necessarium quod virtus activa, seu activitas passi reagentis in agens, à quo patitur, sit maior resistentia activa eiusdem agentis ; hoc enim est impossibile: quia resistentia activa agentis est ipsamet activitas sua, seu actio eius. Hæc autem, supposito quod agens agat in passum, & illud sibi subiiciat, debet esse maior activitate passi ; alioquin agens non posset vincere, nec superare passum, nec in illo agere. Sufficit itaque, & requiritur ut actio sit à proportione maioris inæqualitatis, quod activitas passi reagentis sit maior resistentia formalis, seu passiva agentis. Quod quidem explicant in igne, & aqua: supposito enim quod ignis agat in aquam, maior est activitas ig-

nis, quam resistentia aquæ; sed quia aqua etiam reagit in ignem, activitas aquæ debet esse maior resistentia formalis ignis, quamvis sit minor resistentia activa.

12 Ceterum quia ut in argumento dicitur, & prædicti AA. fatentur, resistentia formalis ignis est ipsem est calor ignis, qui est etiam eius activitas, seu virtus activa; unde videtur; quod eadem sit resistentia formalis, & resistentia activa: consequenterque si activitas passi reagentis est maior resistentia formalis agentis, etiam erit maior resistentia activa eiusdem, & activitate eius: & sic fieri actio à proportione minoris inæqualitatis. Respondent, quod eadem qualitas potest esse magis activa, & minus resistiva: ideoque ut est activa potest superare contrariam qualitatem, & ut est resistiva superari ab ea. Et ita dicunt contingere in calore, qui est activior ceteris qualitatibus primis, scilicet frigiditate, humiditate, & siccitate: in secundo autem loco activa est frigiditas, in tertio humiditas, & in quarto siccitas. At vero in ordine resistendi evenit è converso; magis enim resistiva est siccitas, quam reliquæ tres: & humiditas magis quam frigiditas, & hæc magis quam calor;

qui sicut est omnibus activior,
ita est omnibus minus resisti-
vus.

13 Concludunt itaque quod aqua potest reagere in ignem, & quidem à proportione maioris inæqualitatis: quia licet calor ignis sit magis activus, & consequenter maiorem habeat resistantiam activam, est tamen minoris resistentiae formalis, quam sit activitatis frigiditas aquæ. Addunt etiam, quod agens non resistit secundum totam suam virtutem passo in se reagenti, id est, non resistit secundum totam intensionem propriæ qualitatis, sed solum secundum illum gradum, secundum quem propria qualitas est incompatibilis cum qualitate contraria passi reagentis, & qui per eandem qualitatem passi reagentis expelli debet; ut quia calor ignis non est incompatibilis cum frigiditate aquæ, nisi prout est calor in summo gradu v. gr. in octavo, solum resistit frigiditati aquæ secundum octavum gradum, & non per reliquos gradus suæ intensionis. Vnde activitas aquæ reagentis secundum totam intensionem suæ frigiditatis maior est resistentia formalis ignis.

14 Circa hanc doctrinam omissis alijs, quæ longiorem discussionem postulant, illud quod dicit de ordine, & exces-

su activitatis, & resistantias inter qualitates primas, & incertum videtur; & si adhibeatur ad salvandum quod omnis actio debeat esse à proportione maioris inæqualitatis, non convincit intentum. Nam si vt dicatur, frigiditas est magis resistiva, quam calor, poterit esse magis resistiva, vel saltem æquè, quam calor sit activus. Vnde enim oppositum probabitur? Dato namque quod aliqua ratio reddi possit, vt comparando activitatem cum activitate, & resistantiam cum resistentia habeant illum ordinem assignatum: attamen comparando resistantiam minus activi cum activitate magis activi, poterit quivis dicere, quod licet calor ignis sit magis activus, quam frigiditas aquæ: tamen est minus activus, quam resistiva sit frigiditas aquæ, vel saltem non est magis activus, quam illa sit resistiva. Vnde actio ignis in aquam erit, vel à proportione æqualitatis, vel à proportione minoris inæqualitatis, quorum utrumque tanquam falsum negatur à prædictis AA.

15 Præterea. Vnde constat, quod activitas aquæ reagentis sit maior resistentia caloris ignis? Licet enim calor sit magis activus, quam resistivus, potest tamen esse tam resistivus, quam activa est aqua; quia

cum

Cum activitas aquæ sit minor activitate ignis ut dicitur, adhuc si detur quod ignis sit tam resistivus, quam activa est frigiditas aquæ, adeo locus ut sit magis activus, quam resistivus. Denique. Quia ignis resistit aquæ reagenti non solum per calorem, sed etiam per siccitatem: si ergo siccitas est summiè resistiva ut dicitur, & frigiditas, & humiditas aquæ non sunt summiè activæ, ut etiam assertur, erit resistentia ignis per siccitatem maior, quam activitas aquæ: ergo actio aquæ reagentis erit à proportione minoris inæqualitatis.

16 Quarè aliam viam explicandi reactionem proponam aliorum iudicio tenendam, vel respuendam. Dicendum est ergo primum, quod inter qualitates activas nulla datur resistentia, qua non sit activa. Dico inter *qualitates activas*, ut excludam eam resistentiam, qua lapis v. gr. resistit moventi, vel movere conanti: tunc enim illa resistentia non consistit in aliqua actione lapidis erga movens. Similiter excluditur resistentia, qua lapis ob sui duritatem resistit impressioni sigilli: qua magis est incapacitas recipiendi effectum sigillationis, quam resistentia. Prob. autem assertum. Quia vel qualitas activa est in eo gradu intensionis ut

possit agere in subiectum qualitatis contrariae: vel est tam remissa, vt nullo modo possit agere in qualitatem contrariam; sicut si v. gr. ponamus aliquod calidum ut unum comparatum cum frigido ut octo, in quod nihil agere potest. Si qualitas sit hoc secundo modo, tunc non resistit qualitati contrariae sed omnino ei cedit: sicut lapis exi-
gui ponderis non resistit levare ipsum volenti. Si autem qualitas habeat eam intensionem, per quam possit agere in subiectum contrariae qualitatis: tunc ne-
cessere est quod agat in illud, sup-
posito quod sic capax effectus
talis qualitatis, & sit debitè ap-
plicatum. Sed agendo in illud,
resistit illi, quia imprimendo ex
propriam qualitatem debilitate
virtutem, & activitatem illius:
ergo tota resistentia inter qualifi-
cates activas stat in activitate,
seu actione earum.

17 Secundò dicendum est;
quod omnes qualitates contra-
riæ si sint æqualis intensionis;
& etiam æqualiter habeant alias
conditiones requisitas ad agen-
dum, habent æqualem activi-
tatem respectu sui contrarij.
Vnde si frigiditas in aqua sie-
tam intensa, sicut intensus est
calor in igne: tantam activita-
tem habet aqua contra ignem
per suam frigiditatem, sicut ig-
nis contra aquam per suum ca-

lorem; idem est de cœteris qualitatibus comparatis cum suo contrario. Probat. hoc. Quia si non ita esset, sequeretur, non posse dari actionem, & reactio-nem requisitam ad mixtionem inter ignem, & aquam æqualis quantitatis: consequens est con-tra experientiam, qua constat quod etiamsi in quantitate æquali applicentur ignis, & aqua, semper generatur aliquod mixtum scilicet aliquis vapor: ergo. Sequela prob. Actio, & reactio requisita ad mixtionem talis est, quod simul per eam corruptitur vtrumque miscibile, ut ex materia vtriusque gereretur mixtum, vt cum Philosopho concedunt omnes qui mixtionem non negant; sed hoc non posset esse si ignis æqualis quantitatis cum aqua haberet maiorem activitatem in aquam per calorem, quam aqua in ig-nem per frigiditatem: ergo.

18 Min. prob. Nam si calor ignis est activior, citius expelleret à materia aquæ frigiditatem, quam aqua expelleret calorem à materia ignis: ergo citius ultimò disponeretur materia aquæ ad abiiciendam suam formam, quam materia ignis ad abiiciendam suam. Sed posita ultima dispositione ad expulsionem formæ statim expellitur, & introducitur alia: ergo antequam materia ignis es-

set disposita ad abiiciendam suam formam, esset introducta forma ignis in materia aquæ: ergo solum daretur ibi corruptio aquæ, & generatio ignis, non autem mixtio vtriusque.

19 Dices, quod aqua non solum agit in ignem per frigiditatem, sed etiam per humiditatem; & quia humiditas acti-vior est, quam siccitas vt suprà dictum est: ideo quantum activitas caloris superat activitatem frigiditatis, tan-tum superat activitas humiditatis activitatem siccitatis, & per hoc compensatur excessus activitatis in aqua, & igne ita ut simul se corruptant. Sed contra: quia in primis positio quod ignis sit tam siccus, quam humida est aqua, eadem manet difficultas, cur scilicet si vtra-que qualitas est eiusdem inten-sionis, non erit tam activa una quam alia respectu sui contrarij? Deinde contra hoc obstat id quod suprà dicebamus, vide-licet quod si ex una parte ponitur, siccitatem esse magis re-sistivam, non potest stare quod humiditas sit magis activa, quam siccitas. Tum quia siccitas solum resistit agendo in hu-miditatem, vt dictum est: ergo si est magis resistiva, est ma-gis activa. Tum etiam, quia siccitas est resistiva in summo, vt dicitur, humiditas vero non est

est in summo activa : ergo non potest superare resistantiam sic citatis, quantum superat activitas caloris activitatem frigiditatis.

20 Tertiò dicendum est, actionem posse, & de facto esse à proportione æqualitatis, aliquando à proportione maioris inæqualitatis, & aliquando à proportione minoris. Prima pars probatur argumento immediate facto. Quia ut detur mixtio, requiritur quòd utrumque contrariorum sit æqualiter activum in invicem , ut simul possint se corrumpere , & sic in materia utriusque introduci forma mixti. Quoad secundam partem patet in generatione substanciali , quæ non sit mixtio ; v. gr. quando ignis generat ignem ex aqua , vel ex alia materia habente sufficientem frigiditatem , vel humiditatem ut possit reagere in ignem. Tunc enim ignis agit in aquam perducendo eam usque ad ultimam dispositionem pro suscipienda forma ignis ; aqua vero eti agat in ignem, quia aliquam frigiditatem , vel humiditatem in eo introducit , non tamen tantam , quanta sufficit ad expellendam formam ignis ; alias tunc intercederet mixtio utriusque : ergo tunc maior est virtus activa ignis in aquam , quam aquæ in ignem ; consequenter

que etiam resistentia aquæ est minor , quam activitas ignis.

21 Vel aliter clariùs explicatur hoc inter duo contraria absque eo quòd detur generatio vnius ex alio. V. gr. si ponamus calidum ut sex , & frigidum ut quatuor : tunc fortius ager calidum in frigidum illud calefaciendo , quæm frigidum in calidum illud infrigidando. Per quod exemplum constat etiam tertia pars , quomodo scilicet possit dari actio à proportione minoris inæqualitatis. Quia licet in casu posito actio calidi in frigidum sit à proportione maioris inæqualitatis , quia maior est virtus calidi ut sex ad calefaciendum , quæm frigidi ut quatuor ad infrigidandum : tamen ex parte frigidi est à proportione minoris propter eadem rationem , quia magis resistit calidum per suam actionem , quam frigidum agat in calidum. Et per hoc patet ad primum argumentum contra reactionem.

22 Sed tamen contra dicta opponi potest , quòd asserere calorem saltem , vel ignem per eum non esse activiore cœteris elementis , & qualitatibus primis videtur esse contra communem opinionem. Sed responderi potest , quòd ignis est activior cœteris elementis comparativè ad mixta , quæ facilius,

lius , & citius corrumpuntur per calorem ignis , quam per qualitates aliorum elementorum. Sed facta comparatione ignis cum elemento sibi contrario , & respectu actionis, qua in illud agit , nulla experientia constare videtur , quod ignis sit potentior ad agendum in aquam , quam aqua in ignem ; immo potius videmus , quod aqua facile extinguit ignem . Insuper ignis in terram non tam facile agere potest , vt ipsa experientia docet.

23 Præterea opponi potest argumentum commune supra insinuatum , scilicet quod agens in quantum tale vincit , & subiicit sibi passum , alias non ageret in illud : ergo passum reagens in ipsum agens , a quo patitur , illud sibi aliqualiter subiicit ; consequenterque in omni eventu maior est activitas agentis , quam resistentia passi : semperque actio est a proportione maioris inæqualitatis. Respondeatur tamen , quod solum illud agens vincit , & superat resistentiam passi , quod nullo modo repatitur ab eodem passo , vel saltem non tantum repatitur , quantum agit. Nam quando agens magis repatitur , quam agit , vt in exemplo Philosophi quando id quod calefacit magis trigesit a suo contrario , quam calefacit illud :

quomodo potest esse verum , quod vincit , & superat resistentiam contrarij ? Ad agendum autem ut cumque non requiritur , quod agens superet sua activitate resistentiam passi , sed solum quod passum sit capax recipiendi aliquem effectum per activitatem agentis.

24 Restat nunc solvere alia duo argumenta facta contra reactionem. Ad secundum igitur resp. quod si calor sit naturalis agenti , poterit intendere calorem passi usque ad sextum gradum : quia licet in principio calidum vt sex amittat aliquem gradum caloris repatiendo a frigiditate passi ; postea tamen antequam finiatur motus calefactionis , recuperabit talem gradum , sicut aqua recuperat suam frigiditatem naturalem. Si vero calor sit qualitas extranea agenti , non poterit perducere passum usque ad eundem gradum caloris ; ceterum hoc nullum est inconveniens in tali agente. Ad 3. Resp. quod sicut non est inconveniens , unum , & idem subiectum esse simul calidum , & frigidum in gradu remisso : ita non est inconveniens , quod simul moveatur motu calefactionis , & infrigidationis usque ad eum gradum , in quo utraque qualitas compatitur in eodem subiecto. Verum est ta-

mēn , quōd si motus vlt̄rā non progrediatur , nulla dabitur reactio ignis in aquam , sed solum actio vtriusque in aerem intermedium. Si verò motus progrediatur usque ad eam intensionem caloris ex parte ignis , & frigiditatis ex parte aquae , cum qua stare non possit forma aeris : tunc corrumpetur , aer , & minus erit reactio medio aere. Vnde melius est concedere , reactionem medio aere non esse possibilem in prædicto casu ; quo non obstante possibilis est inter ignem , & aquam immediate se tangentia.

De Antiparistasi.

25 **A**ntiparistasis idem est , quōd circumobsistentia , qua vnum contrarium quasi obsidetur , & circumdatur ab alio ; vnde proevent , quōd contrarium obsecsum quasi se recolligit , & in se ipso fortificatur , videturque in eo intendi illa qualitas , in qua opponitur contrario circumdanti se. Hoc docuit ipsa experientia , qua videmos , aquam putealem calidiorem esse in hieme , & in æstate frigidorem , quia in hieme circumdatur ab aere frido , & in æstate ab aere calido , qui per superficiem terræ vagatur. Queritur ergo à quanam causa procedat

hæc intensione ? Non enim potest procedere à contrario circumstante , quia calor vigens in aere per æstatem non potest esse causa frigiditatis aquæ , nec frigus eiusdem aeris in hieme potest esse causa caloris. Videtur ergo quōd ad præsentiam contrarij circumstantis calor ipse , vel frigus aquæ intendat se ipsum congregando se intrâ proprium subiectum quasi fugiens contrariam : consequenterque videtur quōd aliquid agat in se ipsum.

26 Circa hoc recepta huius difficultatis solutio inter eos A A. quos videre potui , assignat pro causa majoris vel minoris frigiditatis in aqua puteali vapores calidos , qui gignuntur à sole in visceribus terræ. Hi quidem vapores in hieme propter obstaculum frigoris , quod exterius viget in superficie terra , egredi non possunt ; nec ascendere : & ideo manent in interioribus partibus terræ , & calefaciunt eam , & consequenter aquas puteales , quæ semper sunt sub terra. In æstate vero prædicti vapores cum non habeant resistentiam contrarij , quia superficies terræ ; & aer illam circumdans calida sunt , facile ascendunt , & relinquunt interiora terræ , & aquas ibi existens in sua naturali trigiditate. Vnde non sequitur , quod

calor, aut frigus intendant se ipsa.

§. II.

Explicatur quomodo fiat reflexio.

27 **R**eflexio etiam per experientiam observata est maximè in lumine. Nam enim radij solares per aerem deveniunt usque ad aliquod corpus opacum: quia propter opacitatem illud non valent penetrare, quasi regrediuntur, & reflectuntur supra se, maximè si tale corpus sit tersum, & lave ut speculum, & metalla levigata. Ex hac ergo reflexione lucis provenit quod medium, per quod lux pervenit usque ad corpus opacum, magis illuminatur, quam si tale corpus ibi non esset. Et non solum medium, per quod radij solares descendunt, sed etiam aliæ partes aeris ad latera corporis opaci, & quæ contra ipsum corpus opacum sunt, maiorem lucem accipiunt, ut experientia ipsa testatur.

28 Quæritur ergo quænam sit causa illius maioris lucis, quæ fit in medio, vel in alijs partibus e regione corporis opaci per interpositionem eius? Videtur enim, quod luminosum scilicet sol, vel aliud non possit esse causa huius intensionis; si

namque esset, cum medium scilicet aer sit capax habendi tantam intensionem lucis, quam habet, dum corpus opacum interponitur: & sol ex se sit potens illam causare, immo, & multò maiorem; semper illum causaret, etiamsi corpus opacum ibi non adesset: conctrarium autem ostendit experientia.

29 Deinde nec lux corporis opaci, quam participat à sole, videtur posse causare illam intensionem lucis, quæ est in medio. Nam lux corporis opaci non potest esse maior luce directa medij, id est luce illa, quam seclusa reflexione medium recipit à luminoso, sed ad summum poterit esse æqualis in intensione. Cuius ratio est, quia cum utraque lux scilicet tam medij, quam corporis opaci causetur à luminoso, & eidem luminoso magis approximatum sit medium, quam corpus opacum: debet luminosum maiori intensione agere in medium, quam in corpus opacum, quia quodlibet agens fortius agit in propinquum, quam in remotum. Si ergo lux corporis opaci ad summum est æqualis in intensione luci directæ medij, & ab eadem luce corporis opaci causatur maior intensio lucis in medio: sequitur, quod aliquid possit agere in omnino sibi simi-

mile in intensione , quod est contra id, quod communiter tenetur , & nunc supponimus.

30 Ab hac difficultate se expeditunt Complut.Carmelitæ disp. 8. de actione , & reactio-ne, quæst. 2. & lib. 2. Physic. disp. 15. quæst. 3. negando, quod lux medij augeatur per reflexionem intensive. Dicunt enim , quod illa maior lux, quæ appetit in medio , non constat in eo quod eadem lux , quæ antea erat , intendatur , & fiat maior in eadem parte medij: sed solum ibi datur extensio lucis quoad alias partes medij, quæ antea non erant illuminatae.

31 Quod quidem sic explicant: quia videlicet in aere quantumcumque illuminato semper sunt aliqua corpuscula , seu athomi , quæ cum habeant aliquam profunditatem licet parvam, non possunt ex omni parte sui illuminari à sole , vel alio luminoso , sed ex aliqua parte sui , & superficie carent lumine , & causant suam umbellam. Cum autem radijs solis opponitur corpus opacum, illud per lineam rectam emitit suum lumen versus illam partem athomorum , quæ non illuminatur à sole , sed tantum à luce corporis opaci. Vnde fit quod adiuncta luce corporis opaci, illæ athomi habeant lu-

cem ex omni parte , & consequenter destruuntur umbræ. Et tunc quidem appetit maior lux medij , & revera maior est extensivæ , quatenus in pluribus partibus medij , & athomorum datur lux , cum antea in paucioribus esset ; sed non ita quod lux causata à sole in medio augeatur , & intendatur nec ab ipso sole,nec à luce corporis opaci.

32 Hie tamen modus discordi falsus est. Primo , quia etiam si aer nullas haberet athomas , & esset omnino purus, idem contingeret : & medium appareret magis illuminatum ex oppositione corporis opaci, quam si ibi tale corpus non esset. 2. Quia ut supra diximus, experientia ipsa docet , non solum accipere maiorem lucem illam partem aeris , quæ tangitur radijs solis ; sed etiam augetur lux in alijs partibus aeris, ad quas non pervenient radij solares , quia sunt extra illas lineas , per quas radij descendunt ; correspondent tamen corpori opaco per alias lineas. Imo in his partibus appetit evidentius maioritas lucis causata ex oppositione corporis opaci , quam in aere , qui immediate illustratur radijs solis, in quo vix discerni potest excessus luminis.

33 Respectu itaque ha-

Z 2 rum

rum partium aeris non valet recursus ad athomos , nec ad vmbras ex eis causatas : quia cum non attingantur à radijs solis , ex omni parte sui debent habere æqualem lucem. Vel si ex una parte aliquam lucem habent , & ex alia sunt tenebrose , & faciunt vmbram : lux erit ex ea parte , & superficie , quæ proximior est radijs solaribus , & vmbra erit ex altera parte opposita , quæ magis distat ab eis. Cumque corpus opacum dum opponitur lumenoso , illuminet illas athomos in eadem parte , & superficie , in qua antea illuminabantur à sole , quia eadem pars , & superficies athomorum , quæ est proximior radijs solaribus , est etiam proximior corpori opaco ; sit quod lux aeris ideo appareat maior , non quia sit in aliqua parte , in qua antea non erat : sed quia lux , quæ antea erat , intenditur in eadem parte.

34 Tertiò. Quia dum opponitur corpus opacum lumenoso , non solum appetat major lux in aere existente ad latera , vel è regione corporis opaci extra illam lineam , per quam perveniunt ad illud radij luminosi : sed etiam appetet in pariete , qui contra tale corpus opacum est , vt p̄sa experientia etiam compertum est : sed in pariete non sunt athomi : ergo

major illius lux non erit extensisio ad alias partes , quæ antea non essent illuminatae , sed intensio lucis præexistentis. Si dicas conformiter ad doctrinam horum AA. quod licet in pariete non sint athomi , tamen nullus est paries ita tersus , & lœvis , vt in eo non sit aliqua inæqualitas partium saltem minimarum : & ideo partes prominentes , seu altiores causant vmbram in partibus humilioribus : quæ quidem partes humiliores illuminantur à corpore opaco , cum antea essent vmbrose.

35 Contra est : tunc quia potest dari speculum ita tersum , & lœvigatum , vt nullam habeat inæqualitatem partium quod si ponatur contra corpus opacum , maiorem lucem accipiet ex reflexione , quam sine illa. Tum etiam , quia dato quod nullum tale corpus possit esse omnimodam æqualitatem partium habens , tamen negari non potest , quod corpus opacum , vnde sit reflexio lucis , illuminat partes prominentes parietis : siquidem iuxta solutionem illuminat partes demissas , à quibus expellit vmbram causatam ex interpositione partium prominentium ; non potest autem corpus opacum illuminare partes demissas , nisi simul illuminet partes prominentes

Nentes, quæ proximiōres sunt, vel saltem æquæ proximæ, quam partes demissæ. Sed partes prominentes habebant aliquam lucem ante reflexionem, ut per se manifestum est, & concedit solutio: ergo in illis non producitur nova lux per reflexionem, sed quæ antea erat intenditur, & augetur in eisdem partibus.

36 Denique impugnatur efficacius talis modus dicendi; supponit enim falsum in eo quod dicit, quod atomī existentes in aere non illuminantur à sole ex omni parte sui, & superficie. Nam licet ex ea parte vel superficie, qua respiciunt solem, magis illuminantur: tamen etiam in superficie opposita, secundum quam umbrosæ sunt, habent aliquam lucem: ergo corpus opacum per reflexionem illuminans illas partes atomorum, quæ antea erant umbrosæ, non producit lumen ubi ante non erat, sed auget, & intendit illud, quod antea erat in eisdem partibus umbrosis. Antecedens prob. eadem ratio est de atomis, & de alijs corporibus, quæ ex una sui parte tanguntur à radijs solis, & ex alia non: sed in alijs corporibus ea pars, quæ non tangitur à radijs solis, & propterea est umbrosa, habet aliquam lucem: ergo.

Min. prob. Ea pars videtur: sed non posset videri nisi haberet aliquam lucem: ergo illam habet.

37. Ex hoc colligitur, quod etiam illæ partes minutissimæ aeris, quæ obvibrantur ab atomis sua corpulentia impudentibus ne ad tales partes aeris transeant radijs solis, etiam habent aliquam lucem, sicut illam habent partes aeris obvibrati ab alijs corporibus magnis. Cuius signum est, quia si in talibus partibus aeris umbrosis ponatur aliquod corpus notabilis quantitatis, percipitur per visum. Horum autem omnium ratio est, quia tam umbrositas, quæ est incorpore ex ea parte, quæ non tangitur à radijs solaribus, quam umbra, quæ resultat in aere ex interpolatione talis corporis, non est omnimoda privatio lucis; sed est aliqua lux licet imperfecta, & remissa. Si enim umbra esset totalis privatio lucis, sicut tenebrae: non possent videri eas, quæ sunt in umbra; cuius contrarium docet experientia.

38 Reiecto itaque hoc discurrēdi modo, aliqui suppresso nomine citati à Rnbio assērunt, intensionem lucis in medio causari à corpore opaco, & non à luminoso; ipse verò positam tuetur sententiam, scilicet quod causa huius inten-

nis est luminosum, & non corpus opacum. Dicit enim, quod quia luminosum impedit protrahere suam lucem à corpore opaco, producit in medio eandem lucem, quam producturus erat, si non impediretur, in alijs partibus aeris magis distantibus: & ita sit maior lux medij.

39 Coeterum prima sententia mihi videtur probabilior: quae probatur primò arguento supra facto pro ratione dubitandi. Deinde, quia si intensio lucis in medio fieret à luminoso producente in medio illam lucem, quam producturus erat in alijs partibus remotioribus, si non impediretur; sequeretur, quod eadem intensio luminis semper fieret in medio ad oppositionem cuiuscunque corporis opaci; quia quodlibet corpus opacum æqualiter impedit luminosum, nec possit transmittere suam lucem usque ad alias partes, quæ sunt post illum: sed consequens est falsum: quia videmus, quod iuxta qualitatem, & dispositionem corporis opaci penes magis, vel minus tersum intenditur lux in medio magis, vel minus; immo diversitas coloris in corpore opaco ita variat lumen in medio, ut si corpus album opponatur luminoso fiat magna reflexio lucis in medio, & maior, quo magis al-

bun fuerit corpus. Si vero corpus opacum fuerit nigrum, nulla fit reflexio; sed potius ea, quæ sunt circa medium è regione corporis opaci, videntur obscurari, & minorem lucem habere, quam si tale corpus non opponeretur, vt facile erit cuique experiri ergo intensio lucis in medio non sit à luminoso, sed à corpore opaco.

40 Ex quo colligo, quod quædam corpora, illa scilicet ex quibus fit reflexio, dum tanguntur radijs solis, non solum sunt in se lucida, sed etiam sunt luminosa, id est potentia aliam lucem diffundere ad proportionatam distantiam: & eam diffundendo causat intensiorem lucem in medio prius illuminato.

41 Ad argumentum pro ratione dubitandi factum quantum militat contra hanc sententiam resp. quoad lumen corporis opaci, ex quo fit reflexio, maius est, quam lumen quod medium habebat ante reflexionem. Nec obstat id, quod in contrarium adducitur, nempe quod utrumque lumen causatur à luminoso, & medium magis propinquum est illi. Nam agens tunc agit fortius in propinquum, quam in remotum, quando est in utroque æqualis dispositio. Si vero remotum sit magis dispositum ad recipiendam in-

influentiam agentis, quam propinquum, fortius agit in remotum; sicut videmus, quod ignis producit ignem in stupa aliquantulum distanti, & non prodit illum in aere intermedio, propter maiorem dispositionem stupae ad recipiendam formam ignis. Sic ergo in praesenti corpus opacum propter teritudinem; & alias qualitates magis dispositum est, & capax maioris lucis recipienda, quam aer medius.

42 Si dicas: aer intermedius capax est lucis tam intensae, quam est lux corporis opaci, siquidem per reflexionem eam recipit a corpore opaco in tanta, vel ferè tanta intensione, quanta est intensio lucis ipsius corporis opaci: ergo falsum est acerem esse minus capacem vel dispositum ad recipiendam lucem, quam corpus opacum. Resp. Quod licet aer medius sit absolute capax lucis tam intensae, sicut est lux corporis opaci: non tamen respectivè ad solem, a quo multum distat, & ratione distantiae non potest ab eo recipere maiorem lucem, quam recipit ante reflexionem; alias si non obstante distantia maiorem posset recipere, statim illam reciperet independenter a reflexione. A corpore autem opaco parum distat, & ideo potest ab eo

recipere intensionem lucis.

43 Sed contra datam solutionem, & in favorem suæ sententiae arguit P. Rubio. Quia propria dispositio ad recipiendam lucem est diaphaneitas: è contra vero opacitas indisponit ad lucem, ut constat quia lux non potest transire per corpus opacum, sicut transit per diaphanum: Sed aer est diaphanus, & corpus unde fit reflexio est, opacum: ergo non potest corpus unde fit reflexio, esse capax majoris lucis, quam sit aer; consequenterque augmentum lucis in medio non potest fieri a maiori luce recepta in corpore opaco.

44 Sed resp. diaphaneitatem esse propriam dispositionem ad recipiendam lucem in profunditate corporis: quia hoc ipso quod corpus sit diaphanum, non solum habet lucem insuperficie, sed etiam in tota sua profunditate. Non est tamen diaphaneitas unica, & necessaria dispositio ad recipiendam ut cumque lucem in sola superficie, alias nullum corpus opacum posset esse lucidum nec in sola superficie. Unde nec necessè est, quod corpus diaphanum semper habeat intensorem lucem, quam habet corpus opacum in superficie; sed potest venire è contrario, si ex parte corporis opaci adsin illæ dif-

dispositiones, quæ reperiuntur in corporibus reflexivis, scilicet testudo, albedo, &c. Et quidem experientia ipsa docere videtur, quod superficies terra nive cooperata administrata clara est, & lucida, sicut aer immediate illi adhaerens: tanta que lucis esse conspicitur, ut oculos intuentum perstringat, & repercussiat.

45 Præterea arguit idem A. à paritate motus localis reflexi, qui sit dum pila projecta contra parietem retrocedit, & moveretur motu reflexo, eo quod motus eius directus impeditur à pariete ne ultra progrediatur per lineam directam; sed tamen per lineam reflexam moveretur pila retrorsum per tantum spatum, quantum esset illud, per quod moveretur in directum, si paries non obstareret. De hoc ergo motu pilæ reflexo docet Aristoteles 8. Physic. textu 32. non causari à pariete, sed à projiciente his verbis: *Sicut reflexa sphæra non à pariete mota est, sed à projiciente:* ergo similiter lux reflexa medijs non causatur à corpore opaco, quod se habet ad talēm lucem, sicut paries ad motum reflexum pilæ; sed causatur à corpore luminofo, quod se habet, sicut ad motum reflexum se habet projiciens.

46 Ad hoc argumentum

responderi potest primò, negando conseq. propter disparitatem, quæ est inter utrumque casum. Nam paries non habet virtutem motivam, qua possit mouere, & impellere pilam, & ideo non est causa motus reflexi; at verò corpus opacum habet in se lucem receptam à luminoso, ratione cuius sit potens causare lucem in medio.

47 Ceterum circa prædicta verba Philosophi tribuentis motum pilæ reflexum projicienti, & non parieti non parva difficultas mihi videtur esse stando doctrinæ eiusdem Aristotelis. Nam ipse eodem, lib. 8. Physic. textu 64. lect. apud D. Thom. 16. & sequentibus probat, quod motus reflexus non potest esse unus, & continuus cum motu directo, sed quod necessario sunt duo motus discontinui, inter quos mediat aliqua quies. Et rationem inter alias assignat, quia motus directus, & reflexus sunt motus contrarij versantes inter terminos contrarios, ita scilicet ut terminus à quo motus directus terminus ad quem motus reflexus, & è contra: sicut dum mobile moveretur ab A. in B. & reflectitur à B. in A. Rursus secundum eundem Philosophum quies non potest esse instanti, sed necessario importat tempus. Cuius ratio ex eodem loco citata

titato est , quia quod quiescit , se habet nunc , sicut prius se habebat: vnde in quiete est prius , & posterius , & consequenter tempus.


48 Si ergo inter motum directum pilæ , quo movetur versus parietem , & motum reflexum , quo retrocedit , mediat quies per aliquod tempus : sequitur , quod impulsus projectus cessaverit , & iam non sit in toto illo tempore intermedio quietis. Ergo cum motus reflexus incipiat post illud tempus , non poterit causari ab impulsu projectus , qui iam cessavit ; debet ergo causari à pariete.

49 Præterea adest etiam aliud argumentum contra prædictam assertionem Philosophi. Quia dum pila detinetur sursum , & posteà remoto eo quod prohibebat eam descendere , cadit in terram : statim dum tangit terram , iterum resilit sursum. Hic ergo motus resilientia , seu resultantia non causatur à projecto , quia supponimus nullum esse projectus , sed pilam naturali pondere descendere per solam remotionem impediti , quod detinebatur sursum. Nec est à generante , quia cum sit motus sursum , & pila sit gravis , est motus violentus , qui non potest causari à generante. Nec etiam est à removente prohibens , quia hoc

est causa per accidens illius tantum motus , quem generans causat per se , scilicet motus naturalis , qui in gravibus est motus deorsum : ergo restat quod causetur à terra repercutiente pilam.

50 Qua propter responderi potest secundò ad argumentum negando , quod motus reflexus pilæ non causetur à pariete tanquam à causa proxima , & immediata. Et ad autoritatem Philosophi dici potest , ipsum solum velle , quod projectus sit causa illius motus per modum moventis primi , & remoti : quia nisi projectus mouisset suo impulsu lapidem versus parietem , ille non reflectetur. Et eodem modo evenit in reflexione lucis ; sol etenim , vel aliud luminosum est causa remota intensioris luminis in medio , quatenus producit in corpore opaco lucem , quæ est causa proxima intensioris , & quæ non producta corpus opacum non posset intendere , & augere lucem
medij.





DISPUTATIO VI.

DE MIXTIONE, & elementis.

QUÆST. Vnica.

Quomodo fiat mixtio , & quo ordine qualitates primæ convenient elementis?

§. I.

Proponuntur rationes dubitandi circa mixtionem.

DUplex est mixtio; vna impropria, que dicitur mixtio ad sensum: & fit quando particulae , seu partes minimæ duorum , vel plurium corporum coacervantur in vnum, alijs iuxta alias positis, & interpositis , ita ut discerni per sensum nequeat quænam sint partes vnius corporis , & quænam alterius ; manente tamen yna-

quaque particula in sua specie, & natura. Sicut quando grana tritici , & ordei simul conteruntur , tunc pulveres vtriusque speciei inter se commiscentur mixtione hac impropria , & quantum ad sensum, quia vtrique species conservat naturam propriam.

2 Mixtio propria definitur ab Aristotele , miscibilium alteratorum vnio ; debent enim al-

cessari miscibilia usque ad corruptionem proprię formę vnius cuiusque, & ex eis generari aliud tertium compositum substantiale, quod dicitur mixtum, habens propriam formam, quæ recipitur in materia omnium miscibilium. Vnde D. Thom. lib. 1. de Generat. lect. 25. explicans prædictam definitiōnem sic ait: *Quæ quidem alteratio solum est intelligenda in virtutibus sive qualitatibus eorum. Sed si etiam alteratio sumatur impropriè, mixtio est miscibilium alteratorum, id est corruptorum secundum formas, unio.*

3 Hanc mixtionem propriam, & rigorosam dari in rerum natura communiter tenetur propter authoritatem Philosophi ita docentis: cui accedit experientia ex liquoribus. Videmus enim, quod vinum, & aqua, & alij liquores specie diversi si vtrumque adhibeatur in quantitate æquali, ita inter se miscentur, vt neutrum maneat in specie propria, & natura; nec item vnum eorum, convertat in se aliud, sed ex ambobus corruptis fit aliis tertius liquor medius inter illos. Cuius signum sufficiens sunt qualitates liquoris resultantis ex mixtione. Nam sapor, & color huius liquoris mixti non est sapor, nec color alicuius ex

miscibilibus, sed aliis medius distinctus à colore, & sapore miscibilium: participans tamen de utroque, & sufficienter ostendens, quod non nisi ex colore, & sapore talium miscibilium potuit generari. Cum ergo in liquoribns detur vera, & propria mixtio in his qualitatibus, multo magis debet dari secundum substantias miscibilium.

4 Ceterū in præsenti præcipue agitur de mixtione, quæ sit ex elementis invicem alteratis, in quibus vt communiter dicitur manent qualitates elementorum formaliter licet non eadem numero, eadem tamen in specie: non autem sit in mixto aliqua tercia qualitas media participans de qualitatibus extremis elementorum; quamvis hoc ab aliquibus afferatur. Quare pro hac mixtione deserbit experientia suprà adducta de actione, & reactione elementorum, cum enim elementa in se invicem agant usque ad corruptionem mutuam, vt constat ex exemplo ibidem adducto de igne, & aqua: necessarium est, quod in materia vtriusque generetur nova forma mixti. Sed adhuc contra hanc mixtionem plures militante difficultates, circa quarum alias integræ quæstiones excitantur ab authoribus, ego au-

tem breviter eas tangam , quia nihil satis firmum invenio.

5 Prima igitur difficultas est : quia omnia corpora sublunaria præter ipsa elementa dicuntur mixta , & composita ex quatuor elementis ; quod quidem non videtur verum : imo oppositum videtur insinuari in Sacra Scriptura . Nam in principio Genesis , vbi agitur de productione omnium rerum , dicitur quasdam res factas esse ex terra , ut iumenta , & plantas : quasdam ex aqua sicut pisces , & volatilia ; specialiter autem de homine dicitur , factum fuisse quantum ad corpus de limo terræ : limus autem est terra mixta aquæ . Ex igne vero , & aere nihil dicitur factum : ergo non bene dicitur , quod omnia facta sunt per mixtionem quatuor elementorum .

6 Sed ad hoc responderi potest ex D. Thom. qui I. part. quest. 91. art. 1. docet , quod licet in productione hominis non fiat mentio in Scriptura nisi solius terræ , & aquæ ideo est quia hæc duo elementa prædominantur in homine secundum quantitatem ; non quia revera alia duo non concurrissent ad hominis formationem . Vnde idem videtur dicendum de alijs rebus .

7 Secunda difficultas est : quia animalia perfecta ; & plan-

ta post primam productionem non fiunt ex mixtione elementorum , sed ex semine ut constat : ergo talia non sunt mixta ex quatuor elementis . Ad hoc responderi potest , sufficere ut talia sint mixta , quod materia eorum ex qua constant aliquando fuerit sub formis quatuor elementorum . Supposito autem ut immediate dictum est , quod in prima rerum productione omnia facta fuerint ex materia quatuor elementorum , sequitur , quod postea ex quacumque materia fiant animalia , & plantæ , illa fuerit aliquando materia omnium elementorum .

8 Sed contra hoc replicabis : sequitur enim ex hac solutione , quod generatio ignis v. gr. ex ligno sit mixtio , quia materia ligni aliquando fuit materia omnium elementorum . Imo sequitur , quod nulla sit generatio distincta à mixtione : cum tamen Aristoteles oppositum doceat in praesenti dicens , mixtionem distinguere à generatione , & corruptione . Resp . Tamen , quod licet ad mixtionem requiratur , quod materia sit quatuor elementorum : non tamen sufficit hoc , sed ulterius requiritur , quod in eo quod generatur sint qualitates omnium elementorum ; & hoc deficit in generatione ignis , quia in igne soium sunt qualitates pro-

principia huius elementi, scilicet calor, & siccitas.

9 Aliud vero quod inferatur, scilicet quod nulla esset generatio, quæ non esset mixtio, videtur difficultatem habere. Quia quandocumque generatur aliquid, quod non sit elementum purum, illud sit ex materia quatuor elementorum, & insuper in eo sunt qualitates omnium elementorum; alias non omnia præter elementa essent mixta: ergo qualibet generatio cuiuscumque rei, quæ non sit elementum, erit mixtio, Resp. Tamen, quod duplex est mixtio, una activa, alia passiva. Mixtio activa est ipsa actio mixtiva, quæ solum datur, quando elementa concurrunt activè alterando se ad invicem, & corrumpendo: & hæc mixtio non inventitur in omni generatione, quia non semper elementa coniunguntur ad agendum, & reagendum in se invicem. Mixtio passiva est ipsa generatio passiva mixti consistens in mutatione, qua materia, quæ aliquando fuit omnium elementorum, transmutatur ad formam mixti secum afferentem qualitates omnium elementorum; & hæc mixtio semper invenitur in quacumque generatione, quæ non sit generatio elementi puri. Itaque loquendo de mixtione activa verum est

eam distingui à generatione: quia ut dictum est, non in omni generatione intervenit mixtio activa. Loquendo vero de mixtione passiva, omnis generatio rei, quæ non sit elementum, est mixtio.

10 Sed hinc insurgit alia difficultas; & sit tertia in ordine. Nam si non semper elementa concurrunt activè ad generationem mixti, & tamen ut detur mixtum, requiritur quod habeat in se qualitates omnium elementorum: nulla poterit reddi ratio huius, scilicet cur illud quod generatur, debeat habere qualitates omnium elementorum. Quod enim materia ex qua generatur, fuerit aliquando materia omnium elementorum; vel etiam ante generationem huius mixti, quod nunc generatur, fuerit materia alterius mixti, in quo erant qualitates omnium elementorum: hoc inquam, non potest esse ratio, cur mixtum de novo genitum easdem qualitates habeat. Alioquin sequeretur, quod dum ignis generatur ex ligno, deberet habere qualitates omnium elementorum: quia materia ligni, ex qua generatur, ut potè ante existens sub forma ligni, quæ est forma mixti, habuit omnes tales qualitates; & sic ignis genitus non esset elementum, sed mixtum. Præterea,

Quia

Quia quando ex aqua calefacta generatur vapor virtute ignis, materia, ex qua generatur, numquam fuit materia omnium elementorum, quia est materia elementi puri, scilicet aquæ: ergo in hoc casu non potest reddi ratio ex parte materiae quarè in vapore, qui vtique est mixtum, debeant esse qualitates elementorum.

11 Fortè aliquis dicet ad hæc, quod nec ignis, nec aqua, quæ apud nos sunt, & quibus communiter utimur, sunt pura elementa: sed quadam mixta; & idem est de acre, quo respiramus. Ita videntur obiter insinuare, magis quam tenere quidam AA. ut Goudin, & alij; imo Philosophus meminit huius sententiae, quæ fuit Empedoclis, & non videtur eam improbare. D. Tomas autem dicit, quod secundum aliquos Interpretes hæc sententia legitur in Aristotele tanquam de eius mente. Qua supposita cessante inconvenientia prædicta: quia nec ignis generatus ex ligno est ignis purus, & elementaris, nec aqua, ex qua generatur vapor, est purum elementum.

12 Cœterum prædicta sententia valde incerta est, & magis ostendit incertitudinem, & auget difficultatem mixtionis elementorum. Nam si aqua, & ignis, quæ apud nos sunt, non

sunt pura elementa: deficit illa experientia, quæ maximè videtur favere mixtioni elementorum, scilicet actio, & reactio, quæ aqua, & ignis in se mutuo agunt, & se corrumpunt. Tunc enim non erit verum, quod elementum miscetur elemento, sed mixtum mixto, vt ex corruptione utriusque generetur aliud mixtum. Ex quo facile quisque poterit asservare, nullam dari mixtionem elementorum, quia huius mixtionis nullam experientiam habere possumus: cum nunquam viderimus ignem elementarem coniungi cū aqua, vel alio elemento ad generandum mixtum.

13 Propterea ad prædictam tertiam difficultatem forsitan responderi poterit, quod causa quarè in mixtis debeant esse qualitates omnium elementorum, non est materia, ex qua constant, sed ipsa causa efficiens mixtorum. Quia dum elementa non concurrunt activè ad generationem mixtorum, illa generantur ab alio mixto eiusdem speciei, vt patet in generatione animalium, & plantarum; & quia virtutes horum efficien-
tiū, quæ sunt semina eorum, habent in se qualitates omnium elementorum, ideo communicaant eas mixtis à se genitis.

14 Contra hanc tamen solutionem militat id quod supra

dictum est de vapore genito ex aqua calefacta, cuius causa efficiens est solus ignis. Virtus autem activa ignis est solus calor, vel ad summum etiam siccitas, vnde ex parte causae efficientis vapor non poterit habere qualitates omnium elementorum. Sed dicetur ad hoc, quod vapor, & exhalationes, & alia similia sunt mixta imperfetta, in quibus non debent esse qualitates omnium elementorum. Sed contra: quia ad minus ut vapor sit mixtum, debet habere qualitares duorum elementorum, quia ex uno solo elemento non potest fieri mixtio. Habebit ergo vapor qualitates aquæ præter eas, quas sibi communicat ignis; & cum aqua solum concurrat ut materia ad generationem vaporis, sequitur, qualitates materiae, ex qua aliquid generatur, debere esse in eo. Et sic redit inconveniens suprà deductum, quod scilicet in igne genito ex ligno debent esse qualitates ligni; vnde ignis non erit purum elementum.

15 Sed quia non defuerunt aliqui, quorum meminit P. Rubio lib. 2. de Generat. cap. 6. quæst. 1. num. 26. qui dixerunt, vaporem non esse corpus mixtum, sed esse substantialiter elementum aquæ cum accidentibus extraneis impressis ab ig-

ne, scilicet calore, levitate, & raritate. Et idem dicunt de exhalationibus, quæ extrahuntur ex terra virtute solis, quod sunt substantialiter terra, & non aliquid mixtum. In sententia itaque istorum cessat replica facta de vaporibus. Hoc tamen est aliud offendiculum maius. Et in primis hæc sententia valde contraria est alteri supra relata dicenti, quod ignis, & aqua, quæ apud nos sunt, non sunt pura elementa, sed mixta; ista autem è contrario volunt, non solum aquam, quæ apud nos est, esse verum elementum, sed etiam vapores, qui ex ea generantur. Quid ergo certum de mixtione, & mixtis definiri poterit inter tam contrarios opinandi modos?

16 Præterea. Si dum vapores extrahuntur ex aqua, nihil substantialie generatur, sed solum alterantur aliquæ partes aquæ, & sic alteratae dicuntur vapores propter solam diversitatem accidentium: cur etiam flamma, quæ accenditur in lucerna, non erit substantialiter aer circumstant multum calefactus, & exsiccatus? Ignis etiam, qui dicitur carbo, vel pruna, cur non erit substantialiter terra, vel etiam aer existens intra poros carbonis nimis calefactus? Cur denique lapides non erunt substantialiter terra

terra cum sola diversitate aliorum accidentium? Et sic discurrendo per plura alia, passim auferentur generationes substantiales rerum, & solum restabunt alterationes: nutabitque tota Aristotelis Philosophia.

17 Quarta difficultas est, quomodo omnia elementa possint concurrere ad generationem mixti? Si enim mixtio facienda sit in terra, ignis non poterit descendere, nisi violenter trahatur ad terram: consequenterque generatio mixtorum erit violenta, & non naturalis, quod dici nequit. Similiter si mixtio facienda sit in loco aeris, terra non poterit ascendere. Propter hoc P. Rubio lib. 1. cap. 10. quæst. 1. n. 11. tenet, naturaliter non posse fieri mixtionem ex omnibus quatuor elementis concurrentibus: quia ignis, inquit, non potest descendere naturaliter ad terram. Alia verò tria, scilicet aquam, aerem, & terram naturaliter videmus esse contigua, & coniuncta circa nos; unde ex his tribus, vel ex duabus poterit generari mixtum: & de facto generari asserit animalia imperfecta, quæ sunt exputrefactione terræ per consumum horum trium elementorum. Item alimentum plantarum, quod est succus quidem

quo aluntur, fieri ait per consumsum aeris, aquæ, & terræ in se mutuo reagentiom.

18 Cœterum hæc opinio est contra Aristotelem, qui lib. 2. de Generatione lect. apud D. Thom. 8. probat, quod omnia mixta, quæ sunt circa terram, sunt composita ex quatuor elementis. Specialiter autem de plantis probat per hoc quod unumquodque per eadem nutritur ex quibus constat: plantæ autem nutriuntur ex terra, & aqua, quod patet ex agricultura adhibente aquam ad irrigandas plantas. *Vbi autem inest terra, & aqua, (verba sunt D. Thomæ in eodem loco) necessè est ibi esse alia duo extrema, scilicet aerem, & ignem eadem ratione qua supra:* quia scilicet immediate anteà probaverat Philosophus, quod ubicumque concurrunt duo elementa, debent etiam concurrere alia duo extremitate opposita, sicut aer contrariatur terræ, & ignis aquæ: ergo contra mentem Philosophi est, quod ad aliqua mixta, & maximè ad nutrientum plantarum non concurrant omnia quatuor elementa.

19 Propterea alij tenent, ad omnia mixta concurrere omnia quatuor elementa. Et ad difficultatem propositam respondent, quod virtute cœlestiū

corporeum moventur elementa
sursum , & deorsum , prout
oportuerit ad generationem
mixti:& hoc sine violentia, quia
ita exigit bonum commune
universi. Quæ solutio est Div.
Thom. lib. I. de Generat.
lect. 24. quamvis magis videa-
tur loqui secundum mentem
Philosophorum , ut ipsemet di-
cit , quām secundum propriam.

20 Hæc quarta difficultas
communis est , & non parva.
Coeterū adhuc me circa eam
magis movet , quomodo non
solum omnia quatuor elementa,
verum nec adhuc tria possunt
concurrere ad generationem
mixti? Nam si concurrunt simul,
vtique erit agendo,& reagendo
in se invicem. Et tunc si in igne
v. gr. agit aqua , & terra ; aer
non habebit quid agat in igne ,
nec poterit eum alterare:
ergo superfluus erit concursus
eius pro generatione mixti.
Ant. prob. Nam aer non potest
agere in ignem , nisi imprimen-
do ei humiditatem ; calorem
enim non potest causare in igne ,
cum ignis sit calidior aere:
sed ab aqua potest ignis recipi-
re tantam , vel maiorem humi-
ditatem , quām ab aere : ergo.

21 Quod si dicas , aerem
esse magis humidum , quām
aquam , & sic ab eo debere ignem
recipere humiditatem. Cō-
tra est: quia consequenter de-

bes dicere , aquam solum posse
alterare ignem imprimendo ei
frigiditatem. Et tunc restat ea-
dem difficultas de terra , quæ
solum per frigiditatem potest
alterare ignem: siccitatem enim
non potest ei imprimere , cum
non sit siccior igne : ergo vel
terra non alterabit ignem; vel si
velis terram esse frigidorem
aqua , tunc aqua nec per frigi-
ditatem , nec per humiditatem
poterit ignem alterare in con-
cursu aeris , & terræ.

22 Quinta difficultas est;
quænam possit esse causa effi-
cientis mixti , quod generatur ex
concurso elementorum. Non
enim apparet alia præter ipsa
elementa : hæc autem causa ef-
ficiens mixti esse non possunt.
Primò , quia mixtum maximè
si sit vivens , est perfectiùs ele-
mentis: sed effectus non potest
esse perfectior sua causa effi-
ciente : ergo. Secundò , quia in
instanti generationis mixti , non
existunt elementa ; siquidem in-
stantis generationis mixti est in-
stantis corruptionis elemento-
rum , cum forma mixti , & for-
ma elementi non possint simul
esse in materia : ergo genera-
tur mixtum à causa non existen-
te , quod est repugnans. Tertiò.
Quia forma mixti est præter in-
tentionem elementorum , quo-
rum quolibet solum intendit
iutroducere formam suæ speciei

in materia alterius : ergo mixtum non habebit causam per se , sed solum per accidens.

23 Propter hæc P. Rubio, quem sequuntur Complutenses Carmel. recurrit ad cœlum , & astra dicens , ea esse causam principalem , & propriam mixtorum : dicit etiam , hanc esse sententiam D. Thomæ , quamvis verba eius non afferat. Ego quidem in D. Thoma aliud, quod huic sententia favere posse , non inveni præter ea , quæ suprà dicta sunt ex lect. 24. Primi de generat. ubi dicit, cœlum , & astra esse causam moventem , & applicantem elementa ad locū mixtionis ; ex quo non licet inferre , quòd cœlum sit causa efficiens propria , & peculiaris mixtorum. Sicut licet homo applicet ignem ad lignum , non ideo est causa propria per modum efficientis ignis geniti in ligno ; sed huius causa est ignis applicatus.

24 Contraria ergo sententia , quæ asserit elementa esse causas particulates , & proprias mixtorum, videtur probabilior , & probatur primò. Quia illa est causa efficiens principalis alienius effectus , quæ producit in materia dispositiones præbias, ad quas naturaliter sequitur effectus : sed elementa cauſant huiusmodi dispositiones in materia , quia tales dispositiones

sunt qualitates ipsorum elementorum redactæ ad medium , & remissæ : quæ quidem remissio , & attemperatio fit per mutuam actionem , & reactionem elementorum se invicem alterantium. Ergo. Mai. prob. Quia non aliundè colligimus , ignem v. gr. esse causam principalem alterius ignis , nisi quia in materia producit eas dispositiones , quæ naturaliter exigunt introductionem formæ ignis in eadem materia. Quod argumentum magis vrget in sententia , quam cum PP. Complut. suprà tenuimus de eo quòd generatio activè sumpta non distinguitur ab alteratione ; in qua sententia idem est generans , & alterans : & cum elementa sint alterantia ad invicem , consequens est , quod sint etiam generantia.

25 Secundò prob. Quia elementa mutuo se corrumpunt , consequenterque sunt causa propria , & principalis corruptionis : ergo etiam sunt causa principalis generationis mixti. Patet conseq. alioquin ex parte agentis daretur corruptio sine generatione : quandoquidem non id , quod principaliter corrumperet principaliter generaret. Denique. Quia inconveniens videtur pro mixtis , quæ ex liquoribus resultant recurrere ad cœlum tanquam ad causam

iam immediatam, & proximam eorum.

26 Nec argumenta contraria aliquid convincunt. Nam ad primum resp. quod mixtum est perfectius quolibet elemento seorsim sumpto, non autem omnibus concurrentibus ad eius generationem. Mixta autem viventia, quae fiunt ex concurso elementorum, scilicet ea, quae generantur ex putrefactione terrae valde imperfecta sunt etiam quoad animam, & vitam, quam habent; vnde non excedunt virtutes elementorum: maxime quia non excludimus à generatione mixtorum influxum generalem causarum universalium, ex quarum motione, & præcipue in virtute primæ causæ moventis poterunt elementa attingere productionem alicuius viventis.

27 Ad 2. Resp. quod quando effectus sit per motum, non est inconveniens, quod causa efficiens immediata non existat in instanti generationis, dummodo extiterit immediate ante; sicut non est inconveniens, quod actio eius, quæ est idem cum motu, non existat in instanti generationis: quia generatio est terminus motus, scilicet alterationis; & motus non existit, dum existit terminus eius ad quem. Nec sequitur, causam agere vel causare,

quando non existit: quia cum eius agere sit movere, dum movet existit, licet non existat dum mobile iam mutatum est. Et quidem non minus requiriatur existentia ad corrumpendum aliud, quam ad generandum; & tamen elementa corrumpunt se invicem, quin nullum eorum existat in instanti corruptionis, quod est idem ac instantis generationis mixti. Ad 3. Relp. Quod supposita reactione tam efficaci ut ad invicem possint se corrumpere elementa, de intentione eorum ut ordinata sunt à natura ad talem reactionem est forma mixti, quæ sola potest generari per similem reactionem.

28 Sexta, & ultima difficultas est, quam sibi propo-
suit Aristoteles in hunc modum. Nam si mixtum sit ex elementis,
& componitur ex illis, vel illa manent in mixto secundum propriam formam, & speciem; vel non manent secundum propriam formam, sed corrumpuntur ambo, vel unum eorum? Si manent in propria specie, sequitur, quod non magis miscentur nunc, quam anteā: & ad summum dabitur mixtio eorum quantum ad sensum, quia scilicet unum erit iuxta aliud per minimas particulas. Si autem unum eorum corrumpitur, & aliud non: nec etiam sic erit

mixtio ; sed illud , quod non corrumpitur , augebitur , & introducit propriam formam in materia alterius , quod corrumpitur. Si vero vtrumque corrumpitur , minus erit mixtio eorum : quia quæ corrumpuntur , non sunt : & quæ non sunt , misceri non possunt. Circa hanc difficultatem variè discurrent Philosophi ; verumtamen sententia expressa D. Thomæ in hoc loco est , quod elementa manent in mixto non actu , sed virtute ; quatenus manent in eo qualitates propriæ elementorum , quæ sunt virtutes eorum : licet manent in mixto remissæ , & ad medium redactæ , & non eadem numero , quæ erant in elementis , sed eadem in specie.

§. II.

Varij modi dicendi circa secundam partem questionis proponuntur.

29 Non minus incerta mihi videntur quæ de elementis , & eorum qualitatibus disputantur. Sed ut aliquid breviter dicamus , supponendum est , elementa esse quatuor satis nota quantum ad nomina , scilicet ignem , aerem , aquam , & terram. Elementum autem est illud , ex quo aliquid

primò componitur , & in quod vltimo resolvitur ; vnde litteræ , vel fillabæ dicuntur elementa vocis , & orationis , quia utraque , & componitur primò ex litteris , seu fillabis , & vltimo resolvitur in eas. Per hunc etiam modum quatuor prædicta corpora dicuntur , & sunt elementa aliorum corporum mixtorum ; quia mixta ex illis fiunt , & componuntur , & tandem in ipsa elementa resolvuntur.

30 Sed notandum est , quod etiam si elementa non sint formaliter , & actu in mixtis , sed solum in virtute seu in potentia , quia ut suprà tactum est secundum opinionem magis communem , non manent in mixto formæ elementorum , sed solum qualitates eorum , tamen resolutio mixtorum est in elementa formaliter talia , ita ut corruptis mixtis generentur vera elementa ; quamvis necessè non sit quod hec resolutio sit immediata , sed potest esse mediantibus alijs transmutationibus materiæ ad formas aliorum mixtorum. Patet hoc in cadavere , quod post varias corruptiones tandem convertitur in terram. Patet etiam in ligno , quod dum comburitur , partim resolvitur in fumum , & partim in cinerem ; sed fumus tandem resolvitur in aerem , vel aquam , & cinis in terram.

31 Circa qualitates autem elementorum sciendum est, eas esse quatuor, quæ dicuntur primæ qualitates, scilicet calor, frigiditas, humiditas, & siccitas. Dicuntur autem primæ, quia omnes aliae ex eis derivantur, & ad eas reducuntur. Rursus ex his calor, & frigus dicuntur qualitates activæ: humiditas autem, & siccitas passivæ; non quia omnes non sint activæ respectu sui contrarij: sed intelligendum est, ut inquit D. Thom.

4. Meteor. lect. 1. quantum ad victorianam vnius suprà aliam in mixtis; fortassis enim in omnibus mixtis calidum, & frigidum excedunt humidum, & siccum.

32 Circa ordinem verò, quo istæ qualitates convenientur elementis, duo certa sunt intra scholam Aristotelis. Primum est, quod vnicuique elemento convenient naturaliter dux qualitates. Secundum est, quod istæ qualitates hoc ordine distribuuntur inter elementa, ut scilicet ignis sit calidus, & siccus: aer calidus, & humidus: aqua frigida, & humida: terra frigida, & secca. Ex qua distributione constat, quod ignis, & aqua sunt elementa perfectè inter se contraria, ratione scilicet qualitatum: quia in nulla qualitate convenient, & ideo vocantur elementa dissimbla. Similiter aer, & terra perfectam

contrarietatem habent. Ignis autem cum aere convenit in calore, & cum terra in siccitate. Si similiter aqua convenit cum aere in humiditate, & cum terra in frigiditate. Vnde ignis, & aer, ignis, & terra: aqua, & aer, aqua, & terra solum imperfectè opponuntur, in una scilicet qualitate tantum, & sunt inter se elementa simbola.

33 Hæc ut dixi certa sunt in via Aristotelis. Ceterum in quonam gradu prædictæ qualitates convenient singulis elementis, magna diversitas est opinionum. Quidam enim dicunt vnumquodque elementum habere in summo gradu vtramque qualitatem, vel ad minus ignem esse in summo calidum, & siccum. Alij volunt solum vnam qualitatem convenire vnicuique elemento in summo gradu: aliam autem infra summum. Et hi quidem sumnum calorem attribuunt igni: aeri summam humiditatem, aquæ summam frigiditatem, & terræ summam siccitatem. Alij tandem solum in tribus elementis ponunt qualitates in summo gradu, scilicet in igne, aqua, & terra. Sed in igne vtramque qualitatem ponunt in summo gradu; in aqua, & terra vnam tantum. Aerem autem dicunt, habere vtramque qualitatem in gradu temperato, nullam in

summo. Et quantum ad elementa aquæ, & terræ opposito modo discurrent ad præcedentem sententiam; nam summam humiditatem tribuunt aquæ, terræ verò summam frigiditatem.

34 Inter tot sententias audiendus est D. Thom. 2. de generat. lect. 3. vbi exponens textum Philosophi sic ait: *Ostendit quæ qualitas in quolibet elemento dominetur dicens, quod elementa cum sint quatuor, & quodlibet habeat duas qualitates: non tamen habet eas æqualiter, sed unumquodque est unus, id est in unoquoque dominatur una. Sicut in terra magis dominatur siccitas, quam frigiditas: in aqua magis frigiditas, quam humiditas: in aere magis humiditas, quam caliditas: in igne vero magis dominatur caliditas, quam siccitas.* Hæc Div. Thomas, ex quibus aliqui existimant, ipsum, & Philosophum favere distributioni qualitatum, quam assignat secundus modus dicendi: quia illa qualitas videtur esse in summo gradu in unoquoque elemento, quæ in ipso dominatur.

35 Sed huic existimationi obstat ipse D. Thomas, qui immediate post verba relata asserit, quod non obstante quod in aere dominetur humiditas, aqua tamen est magis humida,

quam aer, vt patet ad sensum: Item asserit, terram esse frigidorem aqua, non obstante quod frigiditas dominetur in aqua; & tandem asserit, ignem esse sicciorum terra, etiamsi in terra dominetur siccitas. Verba S. Doctoris in ipso vide ri possunt. Si ergo datur maior humiditas, quam humiditas aeris: & maior frigiditas, quam frigiditas aquæ: & maior siccitas, quam siccitas terræ; nec aer erit in summo humidus, nec aqua in summo frigida, nec terra in summo siccata, vt ponit secundus modus dicendi.

36 Quarè tertius modus dicendi magis videtur accedere ad mentem D. Thomæ; quamvis in eo quod dicit, ignem esse in summo siccum, non videatur conformis eidem. Nam D. Thomas dicit, calorem dominari in igne, & non siccitatem: quod idem videtur, ac dicere, ignem esse magis calidum, quam siccum; hoc autem esse non potest, si ignis sit siccus in summo. Imò nec videtur quomodo possit verificari, siccitatem esse in summo gradu in aliquo elemento; quia non in igne, vt patet per dicta: nec in terra: quia siccitas ignis est maior, quam siccitas terræ, vt inquit D. Thom. Nisi fortè dicatur, quod summa siccitas, quæ potest esse, qualis est ea quæ est in igne;

ne , non pertingit usque ad illum gradum intensionis, in quo est summus calor , qui in rerum natura esse potest , qualis est calor ignis. Cœterum hoc non caret inconvenienti. Nam idem posset dici de alijs qualitatibus, quod scilicet nec frigiditas , nec humiditas licet sint in summo gradu , quo esse possunt , non adæquant illum gradum intensionis , quem habet calor in igne ; vnde nullum elementum haberet qualitatem sibi pro-

priam in tanta perfectione , si-
cut ignis habet calorem. Cum
ergo tam in certa sint omnia:
abstinendum censeo ab alijs
quæstionibus , que de mixtis,
& elementis agitari solent ; &
sit hic finis huius tractatus de
Generatione , & corruptione,
cedantque omnia dicta in lau-
dem Omnipotentis Dei : Bea-
tis. V. Dei genitricis Mariæ;
S. P.N.Augustini: D. Thom.
Aquinatis , & omnium
Sanctorum.



TRA:



TRACTATUS DE ANIMA.

DE Anima per tres libros disputans Aristoteles primò refutat errores Antiquorum Philosophorū, qui Animam credebant esse vel unum ex quatuor Elementis, vel aliquid ex Elementis compositum. Deinde ex propria mente naturam Animæ indagat, eamque definit, partiturque in suas species, & potentias. Difficultatem verò huius investigationis idem Philosophus in principio fatetur simul eius dignitatem declarans. Cum enim anima sit nobilior inter inferiores creatureas : scientia de illa nobilior etiam est, proindeque etiam appetibilior. Vnde Div. Thomas lect. 1. in primo de anima eundem Philosophum dicentem inducit : *Magis concupiscimus scire modicum de re-*

bus honorabilibus, & altissimis etiam si topicè, & probabiliter illud sciamus, quam scire multum, & per certitudinem de rebus minus nobilibus. Quæ verba alibi a Philosopho dicta, & hic ab Ang. Doct. inserta fortasse innuunt, non esse querendam in scientia de anima certitudinem demonstrativam, sed contentos nos esse debere qualicunque eius notitia, & cognitione.

Subiectum seu subiectum horum librorum esse animam ipsam, extra dubium videtur esse. Quomodo autem ad Physicum pertineat agere de anima, idem Aristoteles lect. apud Div. Thomam 2. declarat, & probat per hoc, quod operationes, & passiones animæ, scilicet sensitivæ, non sunt sine corpore ; vnde sunt etiam operatio-

nes

Disp. I. de Anima, & eius potentijis in communi. 201

mes corporis. Cum ergo ad Physicum pertineat agere de corpore, seu materia, & eiusdem cuius est considerare subiectum, sit etiam considerare passiones eius: consequens est,

quod ad Physicum etiam spe-
ctet agere de passionibus ani-
mæ, ac proinde de ipsa ani-
ma. De ea igitur nos præsen-
tem tractatum instituimus,
pro quo sit.

DISPUTATIO I. DE ANIMA, ET EIUS potentijis in communi.

QUÆST. I.

Quid sit Anima: & in quo consistat ratio vitaæ

§. I.

Definitio animæ proponitur, & explicatur.

Communiter recepta, eaque Aristotelis, animæ definitio sic se habet: anima est *actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis*. Aliam etiam animæ definitionem proponit in præsen- ti idem Philosophus, nempe anima est *id, quo primò vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus*. Quæ definitio

substantialiter non differt à pri- ma, nisi quod in ea specifican- tur omnes gradus vitaæ, quos ab anima participant viventia; in prima autem nihil in particula- ri dicitur de his gradibus.

2 Dicitur ergo anima *actus primus, quia est actus, & forma substantialis corporis, quod per ipsam animatur. Ex quo colligitur animam non esse ip- sam operationem vitalem eli-*

citam à vivente , quia hæc non est actus primus , sed secundus . Nec item anima est potentia vitaliter operativa , vt potentia loco motiva , vel sensitiva : quia licet istæ potentie sint actus primi per ordinem ad suas operationes , supponunt tamen alium actum priorem , scilicet formam substantialem , à qua dimanant , & cuius sunt instrumenta ; & hæc forma est anima , quæ est primum , & radicale principium ratiæ potentiarum vitalium quā operationum . Et hoc est quod in secunda definitione denotatur , dum dicitur , quòd anima est id , quo primò vivimus , loco movemur , &c.

3. Est etiam anima actus corporis physici , id est corporis naturalis , & de predicamento substantiæ : non corporis mathematici , quod pertinet ad predicamentum quantitatis , vt tertia species eius . Aditur etiam ly organici ad denotandum , quod corpus susceptivum animæ debet habere organa , seu partes etherogeneas variè dispositas , vt polsit anima per eas exercere suas operationes , vt videmus in viventibus , præcipue sensitivis . Denique dicitur quòd tale corpus sic dispositum est potentia vitam habens : vel quia illud ex se est potentia ad animam , quæ est eius vita , sicut materia secundum se est

potentia ad formam ; vel quia adhuc corpus animatum est in potentia ad plures operationes vitales , quas quandoque exercet , quandoque non .

4. Sed circa hanc definitiōnem occurrit primò dubium de anima rationali . Videtur enim eam non posse esse actum corporis , cum sit spiritus , & forma per se subsistens : quod patet ex eo quòd existit separata à corpore : ergo definitio animæ non est bona , vt pote non conveniens omni animæ . Sciendum est autem , quòd quidam Philosophi antiqui dixerunt animam rationalem non vñiri corpori ut formam , sed solum ut motorem extrinsece assistentem , sicut nauta vñitur navi , & sicut Angelus vñitur corpori aëreo , quod aliquando assumit . Cœterum hæc positio , vel potius error damnatus est in Concilio Viennensi , vbi definitur , animam rationalem esse veram corporis formam his verbis : *Quisquis deinceps afferere , defendere , seu tenere pertinaciter præsumperit , quod anima rationalis , seu intellectiva non sit forma corporis humani per se , & essentialiter , tanquā hereticus censendus est .* Vnde iam non licet Catholico dubitare de hoc

5. Ratio etiam suffragatur . Nam evidens est animam nostrā sentire , gaudere , tristari , &c.

ad

ad quas operationes concurrit etiam corpus, quia sensatio, & huiusmodi passiones partis sensitivæ non sunt sine organo corporeo; unde corpus sentit etiam ratione animæ, vel potius coniunctum ex anima, & corpore sentit. Sed si anima esset tantum extrinsecè movens, corpus nihil sentiret: Sicut nauta non sentit ex eo quod moveatur à nauta, nec corpus aëreum sentit, dum movetur ab Angelo: ergo quia anima rationalis unitur corpori, ut actus, est forma intrinseca. Præterea. Quia si anima rationalis esset tantum motor corporis, posset illud deserere, & iterum assumere, quando vellet, sicut nauta potest pro libito navem relinquare, & Angelus corpus aëreum: sed hoc est manifeste falsum: ergo anima intimoerem unionem ad corpus habet, quam motor ad rem, quam movet: consequenterque unitur ei ut actus, & forma intrinsecè illud animans, & vivificans.

6 Nec obstat quod anima rationalis sit spiritus; quia non est quid completum in linea spirituali, sed est spiritus per se ordinatus ad constituendum unum aliquid substantiale simul cum corpore. Quod quidem ex eius operationibus constat: nam quatenus vegetativa, & sensitiva est, dependet à corpo-

re, & dicit ordinem ad illud. Similiter nec est per se subsistens tāquam quid completum, sicut sunt Angeli: sed tanquam compars, & semisuppositum aptitudinem habens ad constitutendum suppositum completum simul cum corpore; quam aptitudinem servat etiam in statu separationis. An autem anima rationalis non solum absolute loquendo, & entitative sumpta, sed etiam reduplicative ut rationalis sit forma corporis? non refert ad propositionem, probabiliterque, & sine periculo erroris contra fidem teneri potest pars negativa, ut dicunt aliqui apud Colleg. Div. Thomæ.

7 Secundo dubitatur, quodnam sit illud corpus, quod est subiectum receptivum animæ, & cuius anima dicitur actus? An scilicet sit sola materia prima, vel materia actuata per formam? Quod enim sit sola materia, non videtur verum, quia sola materia non est corpus; vel si sola illa dici potest corpus: quilibet forma posset dici actus corporis non minus quam anima, cum quilibet forma sit actus materiae. Si vero dicatur, corpus, quod est subiectum receptivum animæ, esse materiam actuatam per formam; tunc vel talis forma est distincta ab anima: & sic in

materia præter animam dabitur alia forma ; quod repugnat principijs Scolæ Thomisticæ non admittentis in inviventibus formam corporeitatis distinctam ab anima , eo quod si talis forma , vel aliqua alia datur in materia , anima adveniret materiæ existenti iam in actu per illam formam : consequenterque non esset forma substantialis viventis , sed accidentalis ; neque ex anima , & materia fieret vnum per se , quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per se .

8 Si autem dicatur , quod forma , ex qua simul , & materia constitutur corpus suscep-tivum animæ , est ipsa anima , quatenus præstat materia gradum corporeitatis : sequitur quod anima recipiatur in se ip-sa , quod est implicitorum . Se-qua prob. quia gradus corporeitatis non distinguitur realiter ab anima , cum sit effectus formalis illius : ergo si subiectum receptivum animæ est materia actuata per gradum corporeitatis , iam anima ingreditur constitutionem talis subiecti , & consequenter erit subiectum receptivum sui . Nec sufficit res pondere , quod anima secundum diversas formalitates constituit suum subiectum receptivum , & est actus receptus in eo ; quia nempe secundum gradum cor-

poreitatis est susceptiva sui ipsius , in quantum præstat gradum viventis . Non , inquam , sufficit : quia inter potentiam , & actum , seu inter recipiens , & receptum datur realis distinctio ; distinctio autem inter diversas formalitates , vel gradus animæ est distinctio rationis tantum .

9 Dicendum est tamen , corpus , quod est subiectum animæ , non esse solam , & nudam materiam primam , sed ipsam ut actuata per gradum corporeitatis ab anima provenientem . Hæc est communis sententia , Thomistarum , ut testatur Colleg. D. Thomæ : est etiam magis conformis Ang. Mag. qui illam videtur expresse docere quæst. vnic. de Spirit. creaturis , art. 3. ad 2. dicens : *Ipsa ma-teria secundum quod intelligi-tur perfecta in esse corporeo sus-ceptivo vita est propriam subie-ctum animæ.*

10 Ad argumentum in con-tra factum pro ratione dubitan-di . Resp. negando sequelam . Ad eius prob. Resp. ex doctri-na eiusdem D. Thom. 1. part. quæst. 76. art. 4. ad 1. quod est potentia abiiciens actum , & est potentia non abiiciens , sed includens actum , ad quem est potentia : sicut lucidum dicit potentiam ad lucem non abi-cientem , sed includentem ipsam lucem . Idem ergo est dicendum

de subiecto susceptivo. Anima itaque ut præstat materiae gradum corporeitatis constituit ipsam in ratione subiecti susceptivi, non indifferentis ad animam, & parentiam animæ, quia hoc modo esse subiectum habet materia præcisè ratione sive potentialitatis, & nō ab anima; sed constituit eam in ratione subiecti actu susceptivi eiusdem animæ, id est in ratione subiecti non abiicientis, seu includentis ipsam animam. Ex quo non sequitur; quod anima recipiatur in se ipsa, sed quod recipiatur in materia constituta in actu suscipiendo per ipsam animam; quia universaliter loquendo licet potentia, & actus realiter distinguantur: tamen potentia in actu, quæ est idem ac potētia non abiiciens actum, includit ipsum actum, cum non possit esse in actu nisi per actum.

¶. II.

Communis sententia de conceputu vitae explicatur.

11 *N* hac re communissima ferè omnium Philosophorum sententia, immo, & quasi innata hominum concepcionis est, quod vivere consistat in se movere: & vita nihil aliud sit, quam motus causatus ab eodem, in quo recipitur. Vn-

de ea, quæ moventur, sed tamen ipsa non se movent, non viventia appellamus; viventia vero ea, quæ moventur, à se tamen, quod est se ipsum movere. Hac ergo sententia tanquam vera amplectenda est, quamvis nonnulli RR. aliter explicare tentaverint conceputum vitæ. Sed notandum est, quod nomine motus, seu movere, in quo dicimus consistere conceptum vitæ, non intelligitur solum motus propriè, & strictè sumptus, & prout est actus imperfecti, quales sunt motus localis, alterationis, & angmentationis; sed comprehenditur etiam sub hoc nomine quælibet operatio, quæ habet principium activum sui in ipso met subiecto, in quo manet, & quod actuat, ut sensatio, intellectio, & volitio. Quod docuit D. Thomas lib. 2. de anima, lect. 1. dicens: *Propria auctem ratio vitæ est ex hoc quod aliquid natum est movere se ipsum, largè accipiendo motum prout etiam intellectualis operatio motus quidam dicitur; ea enim sine vita esse dicimus, que ab exteriori tantum principio moveri possunt.*

12 Notandum etiam est, quod in præsenti solum agimus de vita actuali, seu in actu secundo, quæ est ipse motus, seu operatio recepta in eodem subiecto;

iecto, à quo elicitur. Nam vita radicalis, seu remota consistit in ipsa substantia animæ, quæ est radix operationum vitalium, & per sui informationem constituit vivens potens se movere. Probatur itaque communis sententia rationibus desumptis ex D. Thoma locis citatis à suo Colleg. Complut. lib. 2. de anima, quæst. 1. art. 6. Primò quidem: nam in sacra pagina pro eodem accipitur se movere, ac vivere; dicitur enim Genesis 1. *Creavit Deus omnem animalm viventem, & motabilem.* Et cap. 7. *Ex omni quod movetur super terram, duo ingressa sunt ad Noe;* vbi animalia, quæ iuxta præceptum Dei ingressa sunt in arcum, censentur sub nomine eius, quod movetur super terram. Idem habetur pluribus alijs in locis Sacrae Scripturæ.

13 Deinde prob. ratione. In illo consistit essentialiter vita, in cuius defectu essentialiter consistit mors, seu privatio vitæ: sed privatio vitæ actualis consistit essentialiter in defectu motus illius, quem antequam moreretur, vivens habebat, vel habere poterat: ergo vita consistit essentialiter in tali motu. Min. prob. ipsa experientia Quia nullum aliud evidentius signum habemus ad iudicandum, aliquid, quod antea vivebat, esse

mortuum, nisi quia videmus, illud nullo motu à se causato moveri, sed si debeat moveri, ab alio movendum est. Et confirmatur. Nam aliqua, quæ videntur se movere, revera tamen moventur à causa extrinseca, quæ nos latet, vocamus viva: ut patet in argento vivo, quod semper infilire, & numquam quiescere cernitur. Similiter aquam è fontibus scaturientem vocamus aquam vivam; è contra vero aquam paludum, & stagnorum vocamus aquam mortuam, quia nullum motum habet: ergo signum est, quod iuxta communem hominum existimationem vita consistit in se movere.

14 Sed contra hanc assertiōnem argum. 1. Nam se movere est recipere in se motum, seu operationem à se causatam: sed plura sunt, quæ recipiunt operationem à se causatam, & tamen non vivunt: ergo vita non consistit in se movere. Min. prob. In sententia probabili plurium Thomistarum actio transiens recipitor in agente: vnde idemmet agens elicit actionem suam, & illam recipit, v.gr. ignis actionem calefactivam: sed non omne agens actione transeunte est vivens, ut patet de igne, & pluribus alijs: ergo plura sunt non viventia, quæ in se ipsis recipiunt operatio-

tiones à se elicitas, & consequenter se movent.

15. Secundo arg. ex opposita sententia docente, quod actio transiens recipitur in passo: in qua sententia agens per suam actionem transeuntem non se movet, cum illam non recipiat, sed potius movet passum per eam: & tamen aliquod agens vivit per suam actionem transeuntem: ergo ad vitam non requiritur recipere in se motum à se causatum, & consequenter non requiritur se movere. Min. prob. Generatio viventium est actio vitalis, & per eam vivit generans, ut per se notum est, sed est actio transiens, quia recipitur in genito, vel in materia, & non in generante: ergo.

3. Motus primus cordis est vitalis; & per eum vivit cor: & tamen per talen motum non se movet cor, sed movetur à generante: ergo idem. Denique. Deus est maxime vivens: & tamen non movet se, quia Deo repugnat moveri tam à se, quam ab alio, cum omnis motus passivus dicat imperfectiōnem potentialitatis in mobili: ergo vivere non constituit in se movere.

16. Resp. Ad 1. Illud convincere contra tenentes illam sententiam, quam nos non tememus admittere, cum potius eius falsitatem probaverimus in

3. Physic. ex eo quod iuxta illum omne agens debet esse vivens. Videantur ibi dicta. Ceterum Coll. D. Thomae, & Ill. Palanco, qui actionem transeuntem tuentur recipi in agente, in omne latus se vertunt, vt solvant argumentum. Primo enim Colleg. tam hic, quam in Physica responderet, quod ad vitam non sufficit se movere pure elicitivè, id est pure eliciendo, vel causando actionem in se receptam: sed requiritur se movere etiam applicativè, id est ita ut vivens non solum causet suam operationem, sed etiam ad illam se applicet per aliam suam operationem; sicut animal applicat se ipsum ad motus vitales aliorum membrorum per motum cordis, qui est primus motus vitalis: & voluntas per intentionem finis applicat se ad electionem medium. Et quia ignis licet moveat se eliciendo, & recipiendo suam actionem, non tamen applicat se ad illam: ideo non est vivens.

17. Quod si contra hanc solutionem obijicias ex ea sequi quod motus cordis non sit vitalis, nec prima operatio voluntatis: quia nec vivens se applicat ad motum cordis per alium motum, nec voluntas ad primam operationem per aliam; alioquin non esset prima ope.

operatio , nec motus cordis es-
set primus motus. Respondent,
quod non est necessarium, quod
ad primam operationem vivens
se applicet , cum hoc sit impos-
sibile; sed sufficit ut prima ope-
ratio sit vitalis , (& idem est
de motu cordis) quod per eam,
& ex vi illius se applicet ad
alias ; illa vero operatio , per
quam vivens non se applicat ad
aliam , quia scilicet est opera-
tio ultima , in qua sistit motus
vivens , est vitalis , quia ad illam
se applicavit vivens per
aliam operationem priorem.
Vnde loquendo de ipso vivente
eius vivere consistit in se appli-
care ad operandum , ita ut ha-
beat operationem applicantem ,
& operationem , ad quam se
applicat. Loquendo vero de ip-
sis operationibus quædam , sci-
licet prima , est vitalis , quia est
applicativa ad alias : quædam
autem , scilicet ultima , est vita-
lis , quia ad illam se applicavit
vivens per primam , vel per
aliam medium ; & denique
hæc , scilicet operatio media , est
vitalis ex utroque capite , quia
procedit ex applicatione primæ ,
& ipsa est applicativa ad ul-
timam.

18 Contra hanc doctrinam
aliqua opponit III. Palanco ,
qua apud ipsum videri possunt ,
& quibus convictus concludit ,
quod potest dari vita consistens

in unica , & simplici operatio-
ne , que nec sit applicativa ad
aliam , nec procedat ex alia
priori. Mihi tamen ex eo im-
primis displicet talis doctrina ;
quia videtur voluntaria , & so-
lum ad effugientiam vim argu-
menti excogitata ; non enim
pro ea adducitur , vel ratio ali-
qua , vel authoritas , qua do-
ceatur , quod vivere restringi
debeat ad movere se applicati-
vè. Et rursus quod hoc move-
re se applicativè salvet concep-
tum vite iam per applicatio-
nem activam sine passiva , iam
per passivam sine activa , quis
non videat esse mere voluntariè
dictum ? Licet enim verum
sit , quod in viventibus datur
talis ordo , qualis explicatus
manet , inter operationes , &
motus , ita ut per unam se mo-
veant ad aliam: non tamen hoc
ideo est quia operatio habeat
esse vitalis ex eo quod vel mo-
vet , & applicat ad aliam , vel
procedit ex applicatione alte-
rius prioris. Etsi enim per pos-
sibile vel impossibile vivens
sisteret in prima operatione , &
ex ea non se moveret ad aliam ;
tamen viveret per illam ex eo
solum quod in se ipso habet
principium activum illius , sci-
licet animam , & illam in se ipso
causat.

19 Quod quidem patet , si
ponamus , quod in aliquo fo-
lum

Ium moveatur cor , nullo alio motu existente in eo nec membrorum , nec sensuum : tunc quidem talis motus esset vitalis , & per illum verè viveret animal , quin se applicaret ad aliquem aliud motum . Et ita fortasse evenit in his , qui in extremo vita constituti , animam agunt : in quibus solum apparet motus cordis per respirationem cognitus , coeteris alijs tamen membris , quam sensibus , & potentij corporalibus à vita , & motu destitutis : quia non solum vivens non se applicat per motum cordis ad alias motus , sed nec potest in tali extremo constitutum ; & propter hoc dicitur , quod cor est ultimum motientium , & primum viventium . Ratio ergo huiusmodi ordinis , qui inter operationes viventium reperitur , est naturalis connexio , & dependentia , quam inter se habent potentiae animae , & instrumenta deservientia ad motum . Quia licet anima moveat omnes potentias , & membra , non potest omnes immediatè movere , sed unam mediante alia : sicut pondera Horologij movent quidem omnes rotas eius , sed secundam movent mediante motu primæ , & sic de alijs . Ita pariter non potest dari motus in voluntate , nisi præcesserit in intellectu ; nec potest moveri membrum

aliquid in animali , nisi præcesserit motus in voluntate , vel in appetitu sensitivo . non autem

20 Secundò impugnatur prædicta doctrina . Quia in viventibus vita solum vegetativa non facile assignabitur talis motus applicativus , per quem planta se applicet ad reliquos motus . 3. Quia in sententiæ predicti A. facile erit dicere , quod ignis etiam se movet applicative , & consequenter vivit . Ant. prob . Quia iuxta eum ignis dum generat aliud ignem , habet duplē actionem , unam alterativam , per quam producit in passo dispositiones ad formam ignis ; aliam generativam , per quam educit formam ignis de potentia materia : quare ergo non se applicabit per actionem alterativam ad actionem generativam ? Maxime cum haec naturaliter sequatur ad illam .

21 Denique . Quia admissa tali doctrina , facile cuique erit propugnare , quod gravia , & levia movent se ipsa , contra communem sententiam Aristotelis , & Thomistarum ; id enim quod maximè obstat huic assertioni est , quod si gravia , & levia moverent se ipsa , essent viventia : quia vivere est se movere . Admissa autem tali doctrina facile obviatur dicendo , quod licet gravia , & levia moveant se elicitive , quatenus

causant in se suos motus : non tamen movent se applicative, quia non applicantur à se per aliam priorem motum , sed applicantur à generante ; vnde absque eo quod vivant , poterunt se movere. Nec valet recurrere ad diversitatem partium , quæ requiritur in moventibus se , scilicet vnam partem , quæ sit movens , & aliam , quæ sit mota , quia idem secundum eandem partem non potest esse movens , & motum , vt probat Philosophus , & cum eo reliqui. Et quia in gravibus , & levibus non datur eiusmodi diversitas partium , ideo non possunt se movere. Non , inquam , valet: quia nec cor habet partes ethereogenes , seu diversæ rationis , quarum vna sit movens , & alia mota : & tamen movet se ipsum , alias non viveret. Sicut ergo in corde vt moveat se ipsum , sufficit constare ex anima , ratione cuius movet , & corpore , ratione cuius movetur : ita in gravibus , & levibus sufficiet constare ex materia , & forma.

22 Sed dices : D. Thomas , vt salvet cum Aristotele , quod idem secundum idem non potest movere se ipsum , recurrit ad distinctionem partium in viventibus , vt secundum vnam sint moventia , & secundundum aliam mota : sed hoc idem est ac recurrere ad

hoc quod viventia se movent applicativè ad suas operationes: ergo doctrina data de motu applicativo fundatum habet in D. Thoma. Min. prob. Quia hoc ipso quod vivens per vnam partem moveat , & per aliam sit motum , per partem moventem applicat se ad motum partis motæ : ergo.

23 Vigeret. Quia nisi vivere consisteret in se movere applicativè modo dicto , frustaneus esset recursus ad distinctionem partis moventis , & partis motæ in viventibus : ergo ne hoc dicatur , dicendum est , quod vivere est se movere applicativè , & quod talis motus applicativus est de mente D. Thomæ. Ant. prob. Quia si vivere consisteret in se movere purè elicitivè , quælibet pars viventis dum vivit vita actuali , esset simul movens , & mota ; esset movens , quia eliceret , & causaret suum motum : esset autem mota , quia in se recipere eundem motum : ergo non esset necessarium , quod vivens ut sicut habeat distinctionem partium , quarum vna sit movens , & alia mota. Imò sequitur , nisi recurratur ad doctrinam datam de motu applicativo , quod idem secundum idem possit movere se ipsum , quod est contra Aristotelem , & Div. Thomam.

Resp:

Disp. I. de Anima, & eius potentijs in communi. 221

24 Resp. Falsum esse, quod D. Thomas recurrat ad distinctionem, & multitudinem partium quantitativarum seu integralium, ut salvet illud dictum Philosophi quod omne quod movetur, ab alio movetur. Nam Philosophus 8. Physic. & cum eo D. Thomas ibidem lect. 7. supponit tanquam manifestum, in viventibus diversum esse id quod movet ab eo quod movetur; quia manifestum est, quod in viventibus anima est pars movens, & corpus est pars mota: ergo secundum mentem Philosophi, & D. Thomae ad hoc ut in viventibus verificetur, quod idem non movet se ipsum, non opus est recurrere ad multiplicitatem partium integralium, quarum una sit movens tantum, & alia tantum mota, sed sufficit distinctio partium essentialium, scilicet animae, & corporis. Item D. Thomas lect. 12. eiusdem libri in principio sic ait: *Quia tamen in moventibus se, quae sunt apud nos scilicet animalibus corruptibilibus, continet quod pars movens in movente se ipsum est corruptibilis, & movetur per accidens, scilicet anima: vult hic ostendere, quod primum movens est incorruptibile, &c.* En. ubi D. Thomas expreſſe ait quod pars movens in viventibus est anima, de

qua Philosophus ibi probat quod debet esse distincta à parte mota: nec mentionem facit alicuius partis integralis. Idem habet lect. 13.

25 Deinde, & si demus D. Thomam recurrere ad partes integrales in viventibus: non est ita intelligendum quod pars movens ita sit movens, ut non sit mota: nec pars mota ita sit mota, ut non sit etiam movens se ipsam. Cuius ratio est, quia quacumque pars viventis moveat, debet moveri ab anima ut moveat: Si autem movetur ab anima, iam movetur a se ipsa, quia ipsa opotest pars vivens constat corpore, & anima. Similiter pars mota ab alia parte movetur tanquam instrumentum vivum, cum etiam ipsa sit pars vivens: movetur ergo ut se moveat, conseq[ue]nterque iam est movens se ipsam, & non solum mota ab alia parte. Per quod patet ad utramque replicam factam, & quomodo licet quilibet pars viventis dum movetur, moveat se ipsam, non tamen idem secundum idem sit movens, & motum: quia talis pars est movens secundum animam, qua informatur; est autem mota secundum corpus, vel materiam.

26 Et retorquetur argumentum, & doctrina, in qua fundatur, in Adversarios. Nam

Si aliqua pars integralis est in vivente, quæ moveat, & non moveatur: illa non poterit vivere vita actuali, quia præcisè movere aliud non est vivere; alias ignis movens lignum alterando illud viveret. Similiter si aliqua esset pars mota, quæ non se moueret: nec illa viveret, quia præcisè moveri ab alio non est vivere; alias baculus ex eo præcisè quod moveatur à manu, viveret: ergo necessarium est ut quælibet pars vivat, quod moveat se causando motum in se.

27 Sed replicabis contra hæc Philosophus prædicto, lib. 8, Physic. probat, quod pars primò, & per se movens debet esse immota: quia si moveretur, vel moveretur ab alia parte, & sic iam ipsa non esset pars primò movens, sed potius esset primò movens illa, à qua ipsa moveretur. Vel moveretur à se ipsa, & sic sequitur, quod idem secundum idem moveat se ipsum, quod est impossibile: ergo pars illa, quæ in viventibus est primò movens, quæcumque illa sit, nullo modo movet se ipsum. Et tamen vivit, ut per se est manifestum: ergo non requiritur ad vitam partis quod moveat se, sive quod recipiat in se motum, quem causat.

28 Pro solutione huius replicæ, ex qua dependet intelli-

gentia eorum, quæ dicta sunt; notandum est ex Philosopho lib. 8. citato, & D. Thoma ibidem lect. 11. quod composite viventi tria hæc attribuuntur, scilicet moveri mouere, & mouere se ipsum. Et hoc ultimum, scilicet mouere se ipsum non convenit ei ratione alicuius partis, quia nulla est pars, quæ moveat se ipsum: sed ipsum totum movet se ipsum. Cœterum mouere, & moveri attribuitur toti ratione partis: quia non totum movet, neque totum movetur, sed una pars movet, & alia movetur. In hac ergo doctrina videtur clara implicatio contradictionis contineri: quia ex una parte dicitur, quod totum vivens movet se ipsum; & ex alia, quod non totum movet, nec totum moveatur. Si enim vivens totum movet se ipsum: ergo totum moveatur, quia quod movet se ipsum, utique movet. Similiter si moveat se ipsum, idem ipsum est quod moveatur, & quod moveatur: ergo cum totum moveat, totum movebitur.

29 Ut ergo possit hoc sine contradictione salvari, distinguendum est de movente *quod*, & *quo*, & de moto *quod*, & *quo*. Movens *quod* est totum ipsum vivens, quia ipsum totum movet se ipsum. Similiter etiam motum *quod* est totum ip-

ipsum vivens, quia ipsum est subiectum *quod* receptivū motus. At verò movens *quo* est principium radicale motus, à quo idem motus activè procedit: & hoc est sola anima; motum autem *quo* est principium passivum, seu ratio recipiendi eundem motum: & hoc est solum corpus. Secundum quòd ergo sola anima est principium *quo* activum motus, verificatur quòd non totum vivens movet: quia non totum, quòd est in ipso, est principium activum motus. Secundum quòd autem solum corpus est principium passivum motus, verificatur quòd non totum moveatur: quia non totum, quòd est in ipso, est principium passivum motus.

30 Ulterius considerandū est, quod in viventibus datur duplex genus partium, vt insinuatum est: sunt enim in eis partes essentiales, vt anima, & corpus: & partes integrales ethrogenae, vt cor, caput, manus, &c. Ex quibus unaquaque constat corpore, & anima, quia anima omnes illas informat & actuat. Et licet respectu totius compositi viventis sint partes; tamen comparatae ad animam, & corpus, ex quibus constant tanquam ex partibus essentialibus sunt quædam tota, & movent se ipsas, licet cum

dependentia vnius ab alia: quia motus omnium partium integralium dependet à motu cordis. Movent, inquam, se ipsas quia non solum est verum, quod cor moveatur: sed etiam est verum, quod moveat se ipsum, cum habeat in se principium activum, sui motus. Et idem est de manu, & alijs; non enim præcisè manus moveatur ab alio, sicut baculus, sed moveatur à se ipsa, & consequenter moveat se ipsam.

31 His notatis dicendum est ad replicam, quòd licet pars aliqua integralis viventis moveat se ipsam, non ideo sequitur, quòd idem secundum idem moveat se ipsum; quia cum talis pars constet anima, & corpore, motus eius reducitur in animam tanquam in movens activum *quo*, & in corpus tamquam in motum *quo* passivè, seu tamquam in principium passivum motus. Vnde etiam salvatur dictum Philosophi, quod scilicet pars per se primò movens non moveatur, quia nec moveatur ut *quo*, cum non sit principium *quo* passivum motus: nec moveatur ut *quod*, quia ipsa sola non est subiectum *quod* receptivum motus, sed totum compositum ex anima, & corpore.

32 Hæc dicta sunt pro impugnanda prima solutione pri-

mi argumenti : aliam autem quam adhibet etiam prædictum D. Thomæ Colleg. videlicet quod ideo ignis non vivit, licet in se recipiat suam actionem, quia non recipit motum illum ex tali actione, nec terminum eius : cum ignis non calefaciat se ipsum, sed passum; hanc, inquam, solutionem non opus est impugnare. Semel enim quod illa actio recipiatur in igne, & ab eodem elicitive, & activè procedat : ignis per eam se movet, vel mutat aliquo motu: vel mutatione, quamvis non eadem qua immutat passum : ergo vivit. Sicut manus vivit, dum movet baculum: quia etsi non recipiat in se motum, quo baculus constituitur motus, recipit tamen motum, quo ipsa movet se ipsam, ut moveat baculum.

33 Ad secundum arg. resp. negando min. nulla enim actio transiens potest esse vitalis, ut bene probat argumentum. Ad eius prob. Resp. quod generatio viventium est vitalis eo modo, quo motio manus moventis baculum est vitalis; non enim manus vivit per motum, quem causat in baculo, sed per motum, quem causat in se ipsa: qui quidem motus, & constituit manum passivè motam à se ipsa, & simul activè movensem baculum. Ita patiter gene-

rans non vivit per motum, vel mutationem, quam causat in genito, vel in materia eius, dato quod aliqua talis mutatio sit distincta ab actione alterativa, quod in nostra sententia falsum est, ut constat ex dictis tract. de generat. quæst. 2. sed vivit per motum, quem causat in se ipso utendo sua potentia generativa.

34 Ad 3. negatur min. quoad primam partem : quia cor vere movet se : alias esset in animatum, frustraque haberet animam, nisi moveret se, cum non indigeat anima, ut præcisè moveretur ab alio. Neque obstat, quod moveatur à generante, ut videtur docere D. Thomas apudc. de motu cordis. Nam ideo dicitur cor moveri à generante, quia motus eius procedit immediate ab anima sine dependentia à motu alterius partis corporis, cum potius motus aliarum partium dependeat à motu cordis : & quia animam habet cor immediate à generante sive per puram generationem in irrationalibus, sive per creationem in rationalibus: ideo motus eius, quia à sola anima dependet, dicitur esse à generante.

35 Ad 4. resp. quod movere se aliquid dicit de perfectione, & aliquid de imperfectione. Imperfæctio quidem est mo-

moveri , seu recipere in se motum , quia hoc includit potentialitatem ad suum motum . Tamen quod eundem motum , qui est aliqualis perfectio moventis se , causet ipsum quod moveatur , perfectio est : quia non habet talē motum ab extrinseco movente , sicut inanimata , sed ex se ipso . Deo igitur nullo modo convenit movere se ipsum propter rationem argumenti ; convenit tamen ei habere à se suam operationem , quia à nullo dependet ut illam habeat . Similiter etiam maximè convenit ei habere suam operationem in se , quia habet illam non per inhesionem sicut creaturæ , sed per identitatem , & essentiam , cum ipse sit actus purus identificans secum omnem actualitatem . Vnde quia Deo convenit quidquid perfectionis dicit movere se , seclusa omni imperfessione : convenient , & etiam perfectissima vita .



QUÆST. II.

QUOTUPLEX SIT ANIMA:
& an omnis anima sit indi-
visibilis?

s. Vnic.

*Vtraque pars resolvitur pro
communi sententia Tho-
mistarum.*

1 **T**ria tantum genera , seu species subalternas animarum communis statuit consensus Philosophorum scilicet animam vegetativam , sensitivam , & intellectivam . Vegetativa est plantarum , cuius operationes sunt tantum nutrire se , & augere , & generare sibi simile . Sensitiva est animalium ratione carentium , cuius operationes præter eas , qua plantis convenient , sunt sentire , & appetere . Intellectiva est hominis tantum , quæ non dividitur in plures species insimas sicut vegetativa , & sensitiva : sed est vñica in specie atomia solum differens numero in unoquoque homine . Eius operationes sunt ultra eas , quæ convenient animæ vegetativæ , & sensitivæ , intelligere , & velle .

2 Quidam antiqui Philosophi negaverunt vitam plantis ,
con-

consequenterque negabant animam purè vegetativam. Ceterum eas vivere, & consequenter habere animam, constat ex dictis, quippe quæ se movent motu nutritionis, & augmenti: cuius motus habent in se principium activum. Et præterea hæc sententia docetur à SS. PP. præsertim à P. August. tom. 10. serm. 29. de verbis Apostoli, vbi eam colligit ex Scriptura dicens: *Dicuntur enim, O' vites vivere, nam si non viverent, non dictum esset in psalmo occidit in grandine vineas eorum: vivit enim vinea, cum viret: arescit, cum moritur; sed vita ista non habet sensum.*

3 Ad probandum autem quod plures sint species, seu genera animæ, quam tria prædicta, opponi potest. Nam Philosophus in præsenti docet quatuor esse modos vivendi, scilicet vegetativum loco motivum, sensitivum, & intellectivum: ergo præter prædicta genera animarum constitui debet aliud, scilicet anima loco motiva. Et confirmatur. Nam diversitas animarum colligitur ex diversitate operationum genere, vel specie distinctarum: sed moveri secundum locum est operatio genere, vel specie distincta ab operatione vegetandi, sentiendi, & intel-

ligendi: ergo debet constituere quartum genus animæ, scilicet loco motivæ. Sed resp. negando conseq. Nam loco motivum sequitur ad sensitivum mediante appetitivo; ideo enim animal loco movetur, quia apprehendit aliquid ut sibi conveniens, vel nocivum, & ad illud prosequendum, vel fugiendum movet se localiter. Aristoteles autem ideo posuit loco motivum tamquam specialem modum vivendi, quia loquebatur de motu locali progressivo, qui non in omnibus animalibus inventur; nam ostrea dicitur non moveri progressivè, sed tantum motu dilatationis, & constrictiois, cum tangitur ab aliquo convenienti, aut lassivo.

4 Per quod patet ad confirm. Non enim quacumque operatio etiam genere diversa ab alijs sufficit constituere diversum genus animæ; sed tantum illa, quæ non sequitur ad aliam magis principalem, & quæ separatim à tribus prædictis inveniri potest in aliquo vivente, ut sunt nutritio, & augmentatio: quæ sine operatione sentiendi, & intelligendi inveniuntur in plantis. Sensatio etiam invenitur in irrationalibus sine operatione intellectiva; hæc vero licet in homine, in quo solo invenitur, coniuncta sit cum operationibus vegetans

landi , & sentiendi , non est tam
men quid consequutum ad illas;
sed potius super excēdens eas: &
ideo petit animam specie di-
versam, scilicet rationalem. Ea-
dem ratione nec appetitivum
constituit speciale genus animæ,
quia scilicet consequitur ad sen-
sativum , vel intellectivum; om-
ne enim sensitivum , vel quan-
doconque cognoscitivum est
appetitivum.

5 Maior difficultas est cir-
ca secundam partem quæstionis:
circa quam supponitur tan-
quam omnino certum ab om-
nibus Catholicis , animam ra-
tionalem esse indivisibilem , &
inextensam , ita ut tota sit in
toto corpore , & tota in qual-
ibet parte ; nec dividi posse ad
divisionem partium corporis.
Reliqua autem viventia sunt in
duplici differentia scilicet pure
vegetativa , & sensitiva. Inter
sensitiva autem quædam dicun-
tur animalia perfecta , ea scili-
cet quæ habent perfectam orga-
nizationem fere similem quoad
multitudinem , & diversitatem
partium organizationi corporis
humani: cuiusmodi sunt equus ,
leo , & universaliter omnia qua-
drupedia , & volatilia , quibus
adduntur pisces. Alia sunt ani-
malia imperfecta habentia im-
perfectam organizationem , ut
lacertæ , angues , lumbriçæ , &
vermes ; quæ dicuntur annulo-

fa , & decisa sed divisa in duas,
vel plures partes , unaquaque
eatum vivit ut experientia com-
pertum esse videtur.

6 Igitur quidam universali
liter assertunt , omnes animas
tam animalium perfectorum ,
quam imperfectorum esse divisi-
biles , & extensas: quæ sen-
tentia duplíciter intelligi pos-
test quantum ad animalia per-
fecta. Poteſt enim sic intelligi ,
quod animæ istorum animalium
dividantur ad divisionem par-
tium corporis , ita ut partes eo-
rum decisæ vivant aliquæ enim
afferuntur experientiæ , in qui-
bus videntur , partes animalis
perfecti etiam post divisionem
vitam conservasse. Vel aliter in-
telligi potest dicens , quod licet
partes animalis perfecti non vi-
vant decisæ : tamen aliqua pars
animæ , quæ antea vivificabat
partem corporis abscessam , pe-
rit , & corruptitur per divisio-
nem ; quod sufficit ad verifican-
dum animam esse divisibilem.
Alij autem universaliter asse-
runt omnem animam esse indi-
visibilem : in quam sententiam
libenter irem , nisi obflaret au-
thoritas D. Thomæ. Denique
Thomistæ media via procedunt
docentes , animas plantarum , &
animalium imperfectorum esse
divisibiles , & dividi ad divi-
sionem partium corporis ; ani-
mas vero animalium perfe-

ctorum esse indivisibles.

7 Hæc sententia videtur magis conformis menti Div. Thomæ, qui 2. de anima, lect. 4. ita ait: *In plantis quædam partes divisæ, & separate ab alijs partibus videntur vivere: & hoc manifestatur per hoc quod ramusculi abscessi inseruntur, vel plantantur, & coalescunt, quod non esset nisi remaneret in eis vita, & per consequens anima, quæ est principium vivendi; quod contingit tamquam in unaquaque planta anima sit una in actu, & multiplex in potentia.* De animalibus vero imperfectis subdit S. Doct. Sic etiam videmus in alijs differentijs animæ, sicut in entomis decisis, id est in animalibus, quæ decisa vivunt, quia utraque partium habet sensum, quod patet ex hoc quod retrahit se, si pungitur; & etiam habet motum secundum locum, ut ad sensum apparet.

8 Quod autem animæ animalium perfectorum sint indivisibles, docet idem D. Thomas 1. patt. quest. 76. art. 8. ubi ait: *Sed forma, quæ requirit diversitatem in partibus, sicut est anima, & præcipue animalium perfectorum, non æquiter se habet ad totum, & partes; unde non dividitur per accidens ad divisionem quantitatis: sic ergo totalitas quantita-*

tiva non potest attribut animæ, nec per se, nec per accidens. In quibus verbis insinuat etiam ratio pro hac sententia. Nam anima animalium perfectorum respicit corpus, ut quoddam totum constans ex diversis partibus, quarum diversitatem, & totalitatem requirit ad sui conservationem: ergo non dividitur ad divisionem corporis. Consequentia patet, quia diviso corpore, deficit illa totalitas exacta ab anima. Ant. auctem probatur ex ipsa experientia, qua videmus, quod tales animæ non conservantur in partibus abscessis, sed solum in reliquo corpore, ubi manet sufficiens organizatio, & partium diversitas.

9 Sed contra hanc sententiam arg. 1. quia etiam partes animalium perfectorum decisæ vivunt, ut aliquando visum est taurum capite abscesso ambulasse: ergo vel etiam animæ animalium perfectorum sunt divisibles: vel male infertur, esse divisibles animas animalium imperfectorum ex eo quod partes corporis decisæ vivant. 2. Si anima animalium perfectorum esset indivisibilis non posset esse corporea, quia de ratione corporis est divisibilitas, & extensio: sed anima animalium perfectorum est corporea, alias esset spiritualis, quod dici nequit: ergo

Resp:

10 Resp. ad 1. Quod ex illa experientia si vera est, ad summum habetur, quod anima illius tauri permanenter in illa parte, quæ movebatur, sed non simul in alia: unde nec convincitur ex hoc divisibilitas animæ, sicut convincit in animalibus imperfectis permanentia vitæ in utraque parte abscissa. Vel aliter resp. quod motus ille, qui aliquando cernitur in partibus abscissis animalium perfectorum, non est ab anima, quæ in eis sit: sed à spiritibus vitalibus relictis ex impressione animæ, qui aliquantulum durat in corre post mortem animalis. Et si dicas, cur idem non dicimus de motu, qui apparet in partibus animalium imperfectorum? Resp. quod in animalibus imperfectis motus cernitur durare per longum tempus, quod sufficiens lignum est ibi adesse animam, & non solum spiritus vitales; at in animalibus perfectis solum per breve tempus apparet motus in partibus abscissis. Hęc dici solent: sed mihi satis in certa videntur, & rem prorsus dubiam relinquere.

11 Ad 2. Resp. quod non est idem esse corpus, & esse corporeum. Corpus quidem omne extensum est, & divisibile; corporeum autem, ut dividitur contra spirituale potest esse aliquid etiam si sit indivisi-

le, & inextensem. Ratio est, quia spiritus, seu spirituale substantiale constituit per esse elevatum à materia, quod non continetur in potentia eiusdem materiæ, & per posse per se subsistere absque materia. Unde animæ brutorum nec sunt corpus, quia non constant ex materia, & forma: nec sunt spiritus, quia continentur intra potentiam materiæ, nec possunt sine ea conservari; sunt tamen corporeæ, quia non habent esse elevatum à materia. Anima vero rationalis corporea dici non potest, prout corporeum opponitur spiritui: nam ipsa spiritus est.

QUÆST. III.

UTRUM POTENTIAE
animæ distinguantur realiter
ab anima?

q. Vnic.

Defenditur sententia affirmativa.

I P otentia animæ dicuntur illæ vires datæ à natura, quibus anima fit proximè potens suas exercere operationes, ut intellectus, & voluntas in anima rationali, & aliæ communis brutis, & plan-

tis, de quibus singillatim posse agendum est; nunc autem generaliter de omnibus potentijs animæ sive rationalis, sive non, procedit dubium. Sed sciendum est, quod genera potentiarum animæ assignantur quinque cum Philosopho, scilicet vegetativum, sensitivum, appetitivum, loco motivum, & intellectivum. Cuius divisionis rationem reddit D. Thomas I. part. quæst. 78. art. 1. sic. Nam anima vel comparatur per suam operationem ad corpus, cui est unita, vel ad alia extra se. Per comparationem ad corpus habet operationem vegetandi illud: & sic assignatur ei potentia vegetativa.

2 Ad alia autem extra se comparatur anima per similitudinem, & per inclinationem. Per similitudinem quidem, quantum cognoscendo alia extra se assimilatur eis; & hæc assimilatio vel est aliquomodo materialis; & sic correspondet animæ potentia sensitiva, per quam cognoscit obiecta sensibilia, & materialia. Vel est assimilatio immaterialis, & spiritualis: & hoc modo cognoscit anima obiecta universalia per abstractionem a conditionibus materiae, assignatque ei potentia intellectiva. Denique per inclinationem comparatur anima ad alia, ut ad finem, quem appen-

tit, vel debet appetere: & sic correspondet ei potentia appetitiva. Et quia aliquando finis quem anima in suis operationibus intendit, est localiter distans, & absens: ideo indiget potentia loco motiva ad querendum ea, quæ necessaria sunt ad consequitionem finis intenti.

3 His notatis circa præsens dubium communis sententia Thomistarum cum D. Thoma I. part. quæst. 77. art. 1. & 2. & pluribus alijs in locis est affirmativa. Est etiam hæc sententia conformis menti aliorum SS. PP. ut bene probat Coll. D. Thomæ solvens, & explicans alias authoritates, quæ ab Adversarijs obiciuntur, quas etiam sibi opponit D. Thomas, & solvit. Præsertim vero P. August. stat pro hac sententia lib. 15. de Trinitate, cap. 7. vbi ait *Mentem (id est, intellectum) non esse animam, sed aliquid eius.* Et serm. 3. de Tempore ait: *Altud est anima, altud est ratio: & tamen in anima est ratio, & una est anima, &c.* Vnde quando S. P. N. & alij PP. asterunt, memoriam, intellectum, & voluntatem esse ipsam animam, intelligendi sunt ut loquantur eo modo lequendi, quo totum potestativum prædicari solet de suis partibus. Licet enim anima rationalis non ha-

habeat partes integrantes, seu quantitativas: habet tamen partes potestativas, quæ sunt ipsæmet potentia eius. Et quia omnes hæ potentia ab unica anima profluant, & eis omnibus una anima utitur, quæ omnibus illis adest, dum medijs eis operatur: ideo dicuntur esse omnes una anima, quia non pluriftantur animæ iuxta pluralitatem potentiarum.

4 Ratio autem probativa huius sententiae est ea, quam in Physica adduximus ad probandum, substantiam non esse immediate operativam: quæstio enim præsens eadem est ac illa. Coeterum D. Thomas loco citato 1. part. duas alias rationes assert: quarum prima est, quod actus, & potentia dividunt ens, & omne genus entis; unde in quo genere fuerit actus, in eodem debet esse potentia. Sed actus operandi, scilicet actualis operatio animæ est in genere accidentis, quia nulla creatura operatur per actionem, quæ sit substantia; hoc enim est proprium solius Dei, cuius operatio, & virtus operandi est sua essentia: ergo etiam potentia, & virtus proxima operandi in creatura debet esse accidentis: & consequenter non potest esse ipsa substantia, vel essentia animæ, sed aliquid realiter ab ea distinctum.

5 Aliæ ratio est: Quia cum anima per suam essentiam sit actus, si etiam per suam essentiam esset immediatum principium operandi: sequeretur, quod semper habens animam actu haberet opera vita, sicut semper habens animam actu est vivum; hoc autem est falsum, quia potest contingere, quod habens animam non sit in actu operum vita: ergo. Harum rationum vim ego quidem non capio: Colleg. tamen D. Thomæ cum alijs eas conatur explicare, & elucidare, lib. 2. de anima, quæ st. 3. art. 1.

6 Contra hanc sententiam arg. 1. Operatio intensa unius potentia impedit operationem alterius potentia, ut experientia compertum est: sed hoc non contingere, si potentia animæ essent realiter ab ea distincta, quia tunc quilibet propriam operationem posset exercere independenter ab alia: ergo. 2. Quia si anima non esset lux potentia, consequenterque non immediate concurriteret ad suas operationes, nullo modo ageret ipsa, sed sola potentia agerent. Sequela prob. Quia anima non ageret per actionem diuinan ab actione potentia, alias ad aliquam actionem concurreret immediate, & non per potentiam superadditam; neque etiam ageret per eandem actionem,

nem , per quam agit potentia , quia respectu unius actionis superfluit duplex principium . Et prærereà anima nullum haberet influxum in operationem , nisi tantum quia radicat , & sustentat potètiam proximè operativam , ex qua procedit actio : sed radicare , vel sustentare principium proximum operandi non est operari , nec agere : ergo anima verè non operatur , si non concurrit immediate in suas operationes .

7 Tertiò . Nam sequitur ex nostra sententia , quòd anima non sit libera in suis operationibus . Illud enim est liberum in operando , quod potest imperare , & impedire suam operationem : sed anima , si immediata non elicit suas operationes , non potest illas imperare , vel impedire : ergo . Quartò . Per oppositum sequitur ; quòd voluntas si esset realiter distincta ab anima , non esset libera . Prob . sequela . Quia tunc voluntas esset merum instrumentum animæ , sicut pes vel manus ; unde sicut in pede , vel manu non datur libertas ad se movendum , sed naturaliter instrumentumque movetur ex imperio voluntatis : ita voluntas naturaliter , & sine libertate , quæ formaliter sit in ipsa , movebitur ad imperium animæ .

8 Quintò . Nam posset con-

tingere , quòd anima peccaret nullo modo exercento suam libertatem , quod est omnino implicitorum . Sequela prob . Posito quòd voluntas existeret separata ab anima ; quod esse possibile videtur , negari non posse in nostra sententia realiter distinguente voluntatem ab anima : tunc casus voluntas peccare posset , cum essentialiter sit potentia libera : sed tale peccatum tribueretur animæ nullo modo concurrenti vel influenti in illud : ergo . Min . prob . Nam operatio procedens à virtute alicuius agentis etiam separata ab eo tribuitur eidem agenti in sententia Thomistarum : iuxta quam quia semen est virtus generantis , operatio , & effectus eius , etiam postquam decisum est , & separatum à generante , tribuitur ipsi generanti tanquam causæ principali . Et idem est de calore , qui est virtus ignis , si quandoque existens in subiecto extraneo v . gr . in ferro producit ignem , talis ignis tribuitur non ferro ignito , sed igni , à quo calorem accepit . Quòd autem anima in illo casu nullum influxum haberet in tale peccatum , patet : quia per potentiam realiter à se separata non potest anima aliquid velle , vel operari .

9 Denique . Si voluntas esset realiter distincta ab anima ,

&

& ab intellectu , non posset ferri in suum obiectum illud prosequendo , vel fugiendo ; ut enim voluntas velit aliquid , debet illud cognoscere , quia nihil volitum quin præcognitum : sed si esset distincta ab anima , & intellectu , illa non esset quæ cognosceret , sed intellectus ab ea realiter distinctus : ergo non posset velle suum obiectum.

10 Hæc tamen argumenta parum urgent : & ad 1. resp. eandem difficultatem , si quam habet , habere in opposita sententia. Nam etiam si anima immediatè , & per se ipsam absque potentijis realiter distinctis elicet suas operationes , ut volunt Adversarij : cum tamen possit plures , & diversas operationes elicere , restat illis reddenda ratio cur non possit in omnes simul æquali conatu , & intentione applicari. Si enim dicant hoc ideo esse , quia pluribus intentus minor fit ad singula sensus : & quia virtus animæ cum limitata sit , non potest simul intendere pluribus operationibus , vel saltim non ita perfecte omnibus. Idem nos dicimus , etiam si virtus , media qua operatur , sit realiter distincta ab anima : quia hæc virtus non operatur se sola , sed simul cum anima ; non potest autem anima uti simul omnibus suis potentijis , vel operari per om-

nes illas simul tam perfectè , sicut potest per unam tantum.

11 Deinde resp. argumentum non tenere in potentijis spiritualibus animæ rationalis , scilicet intellectu , & voluntate , cuius operationes non se mutuò impediunt , sed potius iuvant : nam quod fortius intellectus intelligit , eò intensius voluntas vult , & è contra. Aliæ vero potentiaæ scilicet sensitivæ , & vegetativæ impediuntur quædoque ex forti , & intensa operatione , vel alicuius earum , vel potentiaæ spiritualis. Cœterum hoc non ideo est , quia anima concurrat immediate ad operationes : sed quia istæ potentiaæ cum sint materiales , & affixæ organo corporeo , indigent ad suas operationes spiritibus vitalibus : qui dum distribuuntur per plures potentias , & earum operationes , non sufficiunt omnibus ; & ideo anima non potest simul se explicare in plures operationes , vel non ita perfecte , sicut in unam , vel alteram se explicat.

12 Ad 2. negatur sequela Ad eius probat. concessa prima parte negatur secunda. Quia duplex principium subordinatum , quorum unum sit radicale , & aliud proximum , non superfluuit respectu eiusdem operationis , immo potius consentaneum est potentialitati , &

limitationi creaturæ , ut sicut ipsa non est per identitatem sua operatio , ita non sit sua virtus proximè operativa. Ad aliam probat. sequelę negatur assumptum ; quia anima ita radicat , & sustentat suas potentias proximè operativas , vt ab ipsis constituantur in ratione principij in actu primo potentis proximè operari : & sic dum elicitur operatio , elicetur ex influxu animæ concurrentis media sua virtute. Sicut ignis non solum est radix sui caloris nativi , sed etiam per illum constituitur proximè potens calefacere ; ab ipsoque procedit calefactio , licet medio calore à se distincto.

13 Ad 3. negatur etiam sequela , qua non probatur ; nec maiorem vim habet argumentum , quam si quis inferret , animam non posse impedire , vel imperare suas operationes , ex eo quod habet virtutem impediendi , & imperandi a se distinctam : cum tamen oppositum debeat inferri. Quia si anima habet virtutem impediendi , & imperandi suas operationes , proculdubio potest eas imperare , & impedire , sive talis virtus sit distincta , sive non ab anima. In nostra autem sententia animam non posse immediate imperare , vel impedire suas operationes , nihil aliud est , quam non esse per suam sen-

tiam virtutem proximè imperativam , & impeditivam eorum : sed debere superaddi illi virtutem proximè imperativam , & impeditivam , qua reddatur proximè potens imperare , & impedire. Hæ autem virtus proxima est intellectus , & voluntas.

14 Ex quo ad 4. negatur etiam sequela , ad cuius probat. negatur , voluntatem ita esse instrumentum animæ , sicut manus vel pes. Est namque instrumentum eius per modum virtutis proximæ imperandi , & impediendi operationes : & ideo in ea residet formaliter libertas proxima operandi , secus autem in manu vel pede.


15 Ad 5. Resp. primò nengando casum , quod scilicet possit voluntas existere separata ab anima. Neque ex reali distinctione eius ab anima potest colligi separabilitas : quia materia , & forma realiter distinguuntur , & tamen in meliori sententia materia non potest existere separata à forma. Ulterius. Quia potentiae vitales quoad separari vel non ita se habent ad principium radicale vitæ , scilicet animam , sicut esse seu existentia se habet ad essentiam , cuius est existentia. Vnde sicut est implicitorum dari existentiam separatam ab essentia , non obstante quod realiter distinguitur ab ea , vt probatum supponimus

ex Physica: ita etiam implicat dari potentiam vitalem separatam ab anima. Et tandem, quia in omnium sententia etiam Adversariorū operatio vitalis realiter distinguitur ab anima: & tamen non potest existere separata ab anima. Sicut ergo operatio non potest dari sine anima, quamvis anima possit existere sine sua operatione: ita ad summum anima poterit miraculosè existere sine suis potentijs, non tamen illæ sine anima.

16 Secundò resp. admisso casu negando, quòd voluntas posset aliquam operationem elicere sive bonam, sive malam tum, quia talis operatio deberet esse vitalis; repugnat autem dari vitam sine anima: tum, quia actus voluntatis non potest dari sine cognitione obiecti: & tunc casus voluntas per se ipsam non posset cognoscere, quia ipsa non est cognoscitiva. Nec daretur aliud principium cognoscitivum, cui esset vniua voluntas; non quidem anima, vt supponitur: nec etiam intellectus, quia voluntas, & intellectus non possunt vniuersi in anima, quæ est principiū radicale utriusque.

17 Ad ultimum resp. ex Div. Thoma 1. 2. quæst. 17. art. 5. ad 2. dicente: *Sicut in membris corporalibus quodlibet membrum operatur non sibi soli, sed toti corpori, ita etiam est in*

potentijs animæ; nam intellectus intelligit non solum sibi, sed omnibus potentijs, & voluntas vult non solum sibi, sed omnibus potentijs. Ex quibus constat, quòd vt voluntas non feratur in incogitum, non requiritus quòd ipsa cognoscat obiectum: sed sufficit quod illud cognoscat intellectus, qui non solum sibi, sed etiam voluntati cognoscit. Et si dicas: si voluntas non cognoscit, quid interest quòd intellectus cognoscat, vt voluntas dicatur ferri in obiectum præ cognitum? Resp. tantum interesse, quantum interest, quòd mittens sagittam determinat suum intellectum, & voluntatem locum, quo mittenda est, vt manus dicatur impellere illam ad locum destinatum; quamvis ipsa manus nec determinet, nec cognoscat locum: quòd impellit sagittam. Præterquam quòd sententia opposita ideo salvat voluntatem cognoscere obiectum, in quod tertius, quia voluntas est realiter ipsa anima, quæ simul cognoscit, & vult: nos autem licet non concedamus voluntatem cognoscere, dicimus tamen animam, quæ per voluntatem vult, simul etiam cognoscere, non per voluntatem, sed per intellectum. Vnde ab eadem anima obiectum est præcognitum, & voluntum licet per diversas potētias.



DISPUTATIO II. DE POTENTIJS ANIMÆ vegetativæ, & sensitivæ.

QUÆST. I.

Quænam sint potentiaæ animæ vegetativæ?

§. Vnic.

Explicantur potentiaæ animæ vegetativæ, & earum distinctionis inter se.

TRes communiter species potentiarū assignantur in anima vegetativa, scilicet potentia nutritiva, augmentativa, & generativa. Potentia nutritiva est vis, seu virtus viventis ad se nutriendum per conversionem alimenti in propriam substantiam. Augmentativa est virtus ad se augendum acquirendo maiorem quantita-

tem. Generativa est virtus ad generandum sibi simile. Huius autem divisionis ratio est, quia viventia cum moveant se ipsa, maximè debent movere se ipsa ad consequendum bonum proprium, & ad hoc habere vires à natura destinatas. Bonum autem proprium consistit tum in conservando se ipsa, quantum possunt, tum in promovendo se ad perfectum statum. Ad pri-

num

mum deservit vis nutritiva, qua vivens de extranea materia tamē convertit in propriam substantiam, quantum de ea amiserat, & sic conservat se ipsum. Ad perducendum autem se ad perfectum statum deservit vis augmentativa, qua vivens acquirit debitam quantitatē, ut operationes proprias commode valeat exercere.

2. Quia vero vivens capax nutritiois, & augmenti est corruptibile, consequenterque non potest in perpetuum se ipsum conservare quantum ad individuum: ideo intendit propriam conservationem quantum ad speciem, & in sui similitudines & hoc consequitur vivens per potentiam generativam, per quam potest generare sibi simile. Nota tamen, quod virtus generativa aliter dicitur in viventibus, aliter in non viventibus. Licet enim ignis v.gr. habeat virtutem generandi aliud ignem, non tamen ipse elaborat, & format sibi talem virtutem, sed illam habet per naturalem dimanationem à propria substantia. Viventia vero intra se formant, & elaborant semen, in quo residet potentia generativa, & in cuius formatione maximē resplendet virtus, & efficacia animae imprimenis semini virtutem generativam alterius viventis.

3. Rursus potentia nutritiva coalescit ex alijs quatuor viribus: quarum prima est vis attractiva alimenti ad omnes partes corporis. Secunda est vis retentiva eiusdem alimenti in loco vbi coctio, & digestio eius facienda est. Tertia est digestiva, qua alimentum digeritur. Quarta est expulsiva, qua superfluum alimenti expellitur. Similiter in potentia generativa distinguuntur tres vires, scilicet effectiva feminis, ad quam pertinet semen producere intra ipsum vivens. Alia vis dicitur immutativa, qua materia ex qua foetus generandus est, disponitur, & transmutatur ad recipiendam formam viventis. Tertia est vis formativa, qua membra vel partes foetus formantur secundum illam figuram, quam exigit forma genita.

4. De his potentijis dubitatur, an sint inter se realiter distinctæ? Et primò de potentia nutritiva, & augmentativa ex una parte, & de potentia generativa ex alia videtur certum eas inter se realiter distinguiri. Nam generativa habet pro termino novam substantiam viventis: & quidem realiter distincti à generante nutritiva vero, & augmentativa non novam substantiam, sed conservationem, & augmentum præexistentis in eodem vivente, in quo sunt,

respiciant ut terminum. Item ut diximus in tract. de generat. in nutritione non acquiritur nova pars formæ: sed quæ præerat extenditur ad informandam novam partem materiae; in generatione autem nova forma educitur de potentia materiae.

5 Comparando autem nutritivam, & augmentativam inter se, mihi videtur probabilius eas non distingui realiter: sicut nec nutritio, & augmentationis sunt motus essentialiter distincti, sed solum accidentaliter. Ratio est, quia terminus per se utriusque potentiaz est conversio novæ pattis materiae in substantiam viventis; quod quidem in nutritiva per se patet, & ab omnibus conceditur. De augmentativa vero licet sub hoc nomine videatur habere pro termino primario novam, & maiorem quantitatem, non ita est; sed eius terminus primarius est partialis substantia extensa in maiorem quantitatem, quam antea. Probatur hoc. Nam augmentum quantitatis ut distinguitur à rarefactione non potest fieri sine additione novæ materiae, ut est constans in doctrina D. Thomæ: ergo augmentativa per se primò intendit additionem novæ materiae, ex consequenti vero extensio nem viventis in maiorem quantitatem.

6 Circa vires autem, in quas distinguitur potentia nutritiva, videtur, quod attractiva, retentiva, & expulsiva non differant à potentia loco motiva, qua vivens movet alimento ad locum intra se, vel expellit superfluum eius ad locum extra se. Digestiva verò videtur non differre à virtute alterativa disponente alimentum, ut convertatur in substantiam aliti. Quare tres primæ vires distinguuntur realiter à digestiva, sicut potentia loco motiva distinguitur à virtute alterativa.

7 Ex quo vterius videtur dicendum, quod potentia nutritiva formaliter, & essentialiter consistit in vi digestiva seu alterativa alimenti, non ut præcise sit in ipsis dispositionibus, quibus alimentum disponitur ad conversionem in substantiam aliti; sed ut medijs eiusdem dispositionibus attingit ipsam conversionem alimenti in substantiam aliti: quæ conversio est terminus alterationis præcedentis, sicut generatio communiter dicta est terminus alterationis. Ab hac ergo conversione denominatur potentia nutritiva, quæ formaliter, & substantialiter est una potentia simplex non composita ex pluribus virtutibus prædictis; nam istæ vires solum se habent ad potentiam nutritiyam antecedenter, &

consequenter , quatenus ad nutritionem viventis antecedere debet attractio alimenti , & retentio eius in loco congruo: post nutritionem verò sublequi debet expulsio eius , quod converti non potuit in substantiam aliti , nè noceat , vel impedit effectum nutritionis.

8 Quod si contra hac dicas , sequi ex doctrina hac nutritionem esse motum alterationis , semel quod potentia nutritiva sit idem quod virtus alterativa alimenti . Consequens autem est contra communem Philosophorum , quorum nullus dicit nutritionem esse alterationem . Resp. negando sequelam: quia sicut generatio est terminus alterationis , & non ipsa alteratio , quamvis potentia generativa non sit distincta à virtute alterativa , & dispositiva materiæ ad recipiendam formam generandam iuxta sententiam , quam cum alijs in tract. de generat. defensavimus de eo quod generatio non est actio distincta ab alteratione : ita nutritio non est alteratio , sed terminus alterationis , etiam si potentia nutritiva sit indistincta à virtute alterativa alimenti .

9 Denique quantum ad vires , in quas distinguitur potentia generativa , dicendum est , vim formativam semenis non pertinere formaliter , & consti-

titutivè ad potentiam generativam ; sed esse aliam vim realiter distinctam à potentia generativa , & se habentem ad illam presuppositivè , & antecedenter . Ratio est , quia virtus generativa formaliter sumpta est in ipso semine , quod etiam decisum , & separatum à generante generat simile ei , à quo decissum est : sed virtus formativa semenis non potest esse in ipso semine , vt per se patet : ergo . Talis itaque vis similis est , vel forte eadem cum vi formativa sanguinis , vel aliorum humorum , qui sunt in viventibus : & videtur esse talis virtus calor naturalis viventis prout est instrumentum animæ . Vnde potentia generativa formaliter , & essentialiter consistit in alijs duabus viribus , scilicet immunitativa , & formativa foetus: quæ quidem non sunt duæ vires realiter distinctæ , sed una habens diversa nomina propter diversitatem officiorum , quæ exercet .



QUÆST. II.

QUÆNAM SINT POTEN-
TIÆ ANIMÆ SENSITIVÆ?

§. I.

Quid sit sensus, & quotplex?

Potentiaæ animæ sensitivæ idem sunt quod sensus eiusdem animæ qua propter primò sciendum est, quid sit sensus in communi. Illum autem sic describit Philosophus 2. de anima lect. apud D. Thomam 24. sensus est id, quod sensibiles sine materia formas suscipere potest. Per formas sensibiles sine materia intelligit species rerum sensibilium: quæ ideo dicuntur forme sine materia, vel recipi in sensu sine materia, quia licet sensus omnis sit materialis utpote existens in organo corporeo, ac proinde, & ipsæ species aliquomodo materiales sint; tamen ut sint, & recipientur in sensu, non dependent ab illis dispositionibus, quas formæ naturales exigunt in materia. V. gr. forma ignis ut sit in materia, requirit in ea dispositionem caloris: unde licet agens, quod inducit formam ignis in materia, non communicet passo suam propriam ma-

teriam, communicat tamen illi dispositionem caloris, quæ ex parte materiae ipsius passi requiritur ad recipiendam formam ignis; & ideo forma ignis est forma cum materia, sive forma materialis, non solum quia recipitur in materia, sed etiam quia easdem dispositiones, quas habet, & à quibus dependet ut sit in causa producente, exigit etiam in materia, cui communicatur per actionem agentis.

2 E contrario autem accedit in sensu. Nam sensus recipit quidem formas rerum sensibilium ab ipsis obiectis; ceterum obiecta non communicant sensui illas dispositiones, quas in ipsis habeunt propriæ formæ, sed solum communicant quidditatem, & quasi formalitatem suæ formæ denudatae ab eis qualitatibus, quas ex parte materiae requirit in obiectis. Et ideo tales formæ prout recipientur in sensu dicuntur formæ intentionales, & sunt quodammodo spirituales quoad modum essendi, dicunturque species, seu similitudines obiectorum; in rebus vero ipsis, seu in obiectis sensuum dicuntur formæ naturales, & habent esse naturale cum omnibus illis conditionibus, & dispositionibus, quæ exiguntur à natura ipsorum.

3 Quod amplius explicari potest in obiecto visus, scilicet colo-

colore. Forma enim coloris est in corpore colorato, & in visu dum videtur; ceterum in corpore colorato dependet à temperamento primarum qualitatum, & ideo habet in eo esse naturale, & physicum: ad visum autem non transit eadem forma coloris cum tali dependentia, sed solum quatenus forma est. Vnde Philosophus explicans suam definitiouem posuit exemplum in cera recipiente figuram annuli ferrei vel aurei, quam quidem recipit sine ferro, vel auro. Quia sicut figura annuli sigillantis ceram transit ad ipsam ceram absque auro vel ferro, quod pertinet ad figuram quatenus habet esse in subiecto, non autem ad ipsam quatenus figura annuli est: ita forma rei sensibilis transit ad sensum, non quatenus habet esse in tali subiecto, vel materia, sed præcisè quatenus forma est.

4. Hæc explicatio licet alijs verbis traditur, ut existimo, à D. Thomaloco citato ex 2. de anima: vnde ea supposita venio ad divisionem sensus in communis, qui dividitur in sensum externum, & internum. Seusus externus est ille, cuius organum patet exterius, & dividitur in quinque sensus, qui communiter dicuntur sensus corporales, videlicet visus, au-

ditus, gustus, odoratus, & tactus. Sensus internus est ille, cuius organum non patet exteriorius, sed latet interius in corpore. Hic sensus dividitur in sensum communem, imaginativam, estimativam, & memoriam: de quibus omnibus in particulari, sicut etiam de sensibus externis breviter dicemus in hac quæstione ea, quæ magis necessaria videbuntur.

5. Prius tamen de sensibili, & eius divisione aliquid dicendum est. Igitur sensibile est obiectum sensus, quod illum mouet, & immutat media sui specie, & sic ab eodem sensu sentitur, & percipitur. Dividitur sensibile ex Philosopho in sensibile proprium, commune, & per accidens. Sensibile proprium dicitur illud, quod est proprium obiectum unius tantum sensus, ita ut ab alio percipi non possit. Sicut omnia obiecta sensuum externorum sunt sensibilia propria, vnumquodque respectu sui sensus, quia ita vnumquodque attingitur ab uno sensu, ut idem ab alio attingi non possit: v.gr. color, qui est obiectum visus, à nullo alio sensu externo percipi potest; unius sensus nisi a solo auditu, &c. Sensibile commune est illud, quod non est proprium alicuius sensus, sed est commune alijs, ut motus, quies, numerus, figura

gura, & magnitudo ex mente eiusdem Philosophi. Numerum enim, figuram, & magnitudinem corporum cognoscimus, & sentimus per visum, & per tactum. Similiter motum, & quietem sentimus per visum, auditum, & tactum.

6. Sensibile per accidens est illud, quod accedit sensibili per se: sicut quia id, quod per se sentitur per visum, est color seu coloratum, & accedit colorato quod sit homo, vel paries: Ideo homo vel paries dicitur sensibile per accidens. Et universaliter substantiae omnium rerum, quae sensibus percipiuntur, sunt sensibilia per accidens: sola autem, accidentia sunt sensibilia per se. Coeterum ut explicat D. Thomas 2. de anima, lect. 13. requiritur ut aliquid sit sensibile per accidens, quod statim ac per sensum externum apprehenditur sensibile per se, sive proprium, sive commune, apprehendatur id, quod dicitur sensibile per accidens per alium sensum, qui non sit externus, vel etiam per intellectum. Et ponit exemplum. Doct. dicens: *Sicut statim cum video aliquem loquentem, vel movere se ipsum, apprehendo vitam eius per intellectum: unde possum dicere, quod video eum vivere.*

6. II:

De sensu visus:

Resolvuntur aliqua dubia circa visum, & obiectum eius.

7. Circa sensus autem in particulari primò inter externos occurrit visus, qui ceteris præstantior est, & nobilior. Est autem visus sensus perceptivus lucidi colorati; color enim, seu coloratum luce perfusum est obiectum visus, ut communiter dicitur. Duo itaque ex parte obiecti ad visionem concurrunt, scilicet lux, & color, quorum natura sicut notissima est visui, ita eorum quidditas difficile percipitur ab intellectu. Omittere tamen non licet definitiones eorum, quæ traduntur ab Aristotele in 2. de anima; & quidem lucem sic definit: *Lux est actus diaphani in quantum est diaphanum: quæ definitio intelligitur eo modo quo dum dicitur, quod calor est actus calidi, & anima est actus corporis. Sicut enim in his definitionibus denotatur, quod calidum per calorem habet esse calidum, & corpus per animam habet esse corpus: ita in prædicta definitione lucis denotatur, quod*

quod diaphanum per lucem habet esse in actu diaphanum. Diaphanum autem idem est quod transparens, sicut aer, aqua, crystallus, &c.

8 Hac definitio supponit lucem esse quandam qualitatem, seu formam accidentalem contra opinionem aliquorum antiquorum, qui dicebant, lucem esse aliquid corpus. Quam opinionem reprobat Aristoteles primò ex eo quod duo corpora non possunt esse simul in eodem loco: sed lumen, & corpus diaphanum sunt simul: ergo lux non est corpus. Secundò. Quia si lux esset corpus, dum diffunditur à corpore solari usque ad nos, hoc fieret per motum localis eiusdem lucis, quia aliter non posset corpus pervenire usque ad nos; cum autem motus localis sit successivus, & distantia à Sole usque ad nos sit maxima, deberet apparere successio, & mora talis motus lucis: sed hoc non apparet, sed potius oppositum, quia ad præsentiam Solis statim, ac subito videmus illuminari omnia: ergo.

9 Quare ut certum tenendum est, lucem esse qualitatem, & non corpus. Quod si aliquando aliqui SS. PP. lucem videntur appellare nomine corporis, nihil aliud intendunt, quam quod lux non est qualitas spiri-

ritualis, sed corporea, & corpori inherens. Vel intelligunt nomine lucis ipsum corpus luminosum, puta Solem, & huiusmodi: quo genere locutionis etiam nos utimur vocantes lucem nostro Hispano idiomate ipsum corpus luminosum, ut candelam, vel lucernam. Notandum est autem, aliquam differentiam dari inter lucem, & lumen. Lux enim propriè est ea, quæ residet in corpore luminoso, v. gr. in Sole: lumen vero est illa lux, quæ aluminoso derivatur, & causatur in diaphano; vel corpore illuminato, ut in aere, vel pariete.

10 De colore autem hanc definitionem tradit Aristoteles loco citato 2. de anima: color est motivum perspicui secundum actum, id est motivum perspicui, quod est actu perspicuum. Nominis autem perspicui idem intelligit: quod diaphanum, ut ibidem explicat D. Thomas. Dicitur ergo color motivum perspicui, seu diaphani, quia movet medium, quod est inter obiectum, & potentiam visivam, scilicet aerem, vel aliud corpus transparens; quod quidem medium debet esse actu diaphanum, id est luce perfusum, ut possit moveri à colore. Motus vero iste, quo color movet diaphanum, non est intelligendum quod sit aliquis mo-

sus localis ; sed est motus alterationis latè sumptæ , quo color immutat diaphanum intentionaliter causando in eo speciem sui , & mediante immutatione diaphani immutat etiam visum.

11 Sed dubitari potest, quare Philosophus definierit colorem per hoc quod sit motivum diaphani : potius enim videtur debuisse definire per hoc quod sit motivum visus , cum movere visum sit præcipuum in colore utrum obiecto huius potentiae. Ad hoc posset respondere , quod Philosophus per diaphanum , quod movetur à colorato, intelligit ipsam pupillam , quæ est organum visus , & est diaphana : & sic definit colorem per ordinem ad visum. Coeterum hæc responsio non est ad mentem D. Thomæ , qui nomine diaphani non intelligit pupillam , vel organum visus , sed medium per quod transeunt species ad visum.

12 Aliter itaque responderi potest, ideo non definiisse Philosophum colorem per ordinem ad visum, sed per ordinem ad medium , quia movere visum actualiter potest separari à colore : stante enim colore , & diaphano in actu , potest non esse , vel non adesse visus , qui moveatur. Coeterum stante diaphano etiam si desit visus , semper color movet idem diapha-

num : quia semper species coloris sunt in aere lumine illustrato , adhuc dum nulla est potentia visiva , quæ colorem possit videre. Vnde movere diaphanum non est separabile à colore.

13 Plures etiam difficultates occurrent circa naturam lucis , & caloris. Et primò de luce dubitatur , vtrum habeat esse naturale , vel solum intentionale? Quæ difficultas procedit tantum de luce , quæ est in corpore illuminato , & vt diximus , vocatur lumen : non de luce , quæ est in corpore luminoso , hæc enim certum est quod est qualitas naturalis habens esse naturale in eodem corpore. Igitur sententia ponens , lucem habere solum esse intentionale , esseque quandam speciem corporis luminosi , est valde probabilis , eamque videtur docere D. Thomas lib. 3. Meteor. lect. 6. vbi ait: *Lumen in medio habet esse intentionale , quia causat sensationem , sed non solum habet ibi esse intentionale , sed etiam habet esse reale , & naturale.* In quibus verbis lumini existenti in medio videtur attribuere vtrumque esse , scilicet intentionale , & naturale.

14 Præterea suadetur hæc sententia. Quia lumen dat esse intentionale coloribus : ergo illud in se habet. Viterius. Quia

si lumen esset qualitas naturalis, cum immediate tangat pupillam oculi, impediret visionem: quia sensibile immediate positum supra sensum impedit sensationem, ut manifeste constat per experientiam saltem in sensu vi-
sus; si enim immediate supra oculum ponatur corpus coloratum, non videtur. Sed contra-
rium experimur in luce, quæ tangens oculum non impedit visionem coloris, sed potius il-
lam causat: ergo.

15 Nihilominus tamen contraria sententia, quæ tribuit luci esse naturale, frequentior videtur inter AA. ut testatur Colleg. D. Thomæ sequens eam. Immò eandem sententiam expresse videtur docere Div. Thomas 2. de anima, lect. 14. vbi ferens opinionem quorumdam dicentium, quod lux est ipsa substantia Solis: lumen vero defluens à luce habet esse intentionale, sicut species colorum in aëre, ait: *Vtrumque autem horum est falsum.* Et rationem falsitatis huius secundi asseri, scilicet quod lumen in diaphano derivatum a luce corporis luminosi habeat esse intentionale, assignat dicens: *Secundum etiam falso est: quia quæ habent solum esse intentionale, non faciunt transmutationem naturalem;* radix autem corporum cœlestium transmu-

tant totum naturam inferio-
rem. Vnde dicimus, quod sicut corpora elementaria habent qua-
litates activas, per quas agunt,
ita lux est qualitas activa cor-
poris cœlestis, per quam agit, &
est intentia specie qualitatis, si-
cuit, & calor.

16 Denique probatur ea-
dem sententia. Nam illud, quod solūm habet esse intentionale,
non tribuit denominationem subiecto, in quo est, sicut aér
non denominatur coloratus ab
speciebus, quas in se recipit:
sed lux tribuit propriam deno-
minationem suo subiecto, scili-
cket diaphano; aér enim dicitur
lucidus à luce: ergo lux est qua-
litas naturalis habens esse natu-
rale in subiecto.

17 Ad authoritatem Div.
Thomæ pro contraria sententia dici potest: ipsum ibi appellare
esse intentionale illud, quod ha-
bet lux in medio, quia esse lucis
in medio non est permanens,
sed fluidum, & transiens, quia
deficit statim ac luminosum re-
cedit. Ad 1. à ratione resp.
quod lux ex parte diaphani so-
lum se habet ut dispositio ad
hoc quod colores habeant esse
intentionale causando speciem
sui in eodem diaphano facto
in actu per lumen: sic enim
movetur perspicuum, seu dia-
phanum à colore, ut dicitur in
cius definitione. Ex parte vero

ipsius coloris verum est , quòd lux concurrit activè ad dandum esse intentionale coloribus , quatenus concurrit activè ad causandas species colorum . Ceterum ad hoc non est necessarium , quòd lux habeat esse intentionale in ipso colore : imò potius habendo esse naturale melius poterit causare esse intentionale colorum . Sicut ipsi colores , qui etiam active causant speciem sui , & consequenter suum esse intentionale in medio , habent esse naturale in subiecto .

18 Ad 2 . Resp . corpus collatum ideo impedit visionem sui ipsius , si immediate contingat oculum , quia ea parte , qua videndum erat , non perfunditur luce , & sic non potest immittere speciem sui . Hac autem ratio deficit in luce , quæ non requirit illustrari alia luce , ut videatur ; unde etiam contingens oculum videri potest . Nec negari debet , quòd lux contingens oculum videatur ab ipso oculo , quem tangit : quia tota lux , quæ est in aëre ab obiecto usque ad oculum videtur ; alias non possemus affirmare , quòd totum spatium intermedium , quod est inter obiectum visibile , & visum , esset illuminatum : unde enim nobis constare potest , quòd aer intermedius est illuminatus , si eius lumen non videmus ? Si ergo videmus lu-

men aeris intermedij , eadem ratio est de quacumque parte illius , etiam illa , quæ immediate tangit oculum .

19 Secundò dubitatur an lux , & color realiter distinguantur ? Et videtur quòd nonnū quia colores Iridis , & illi qui alii quando apparent in nubibus , & in collo columbae , nihil aliud videntur esse posse , quam lux sic , vel aliter afficiens talia corpora ; variantur enim huiusmodi colores ex diversa situatione corporum . in quibus apparent , & ad motum localem Solis , & etiam ipsius videntis . Item radius Solis transiens per vitrum coloratum dum pervenit ad parietem , vel ad aliud corpus , reddit illud eiusdem coloris , ac est vitrum , per quod transit : cum tamen paries ex se non habeat tales colorem : ergo quia talis color non distinguitur à luce , qua tunc illustratur paries . Cum ergo eadem ratio sit de alijs coloribus , quos videmus in corporibus , maximè cum eos nunquam videre possimus , nisi cum lux adest , & illustrat corpora : videtur , quòd color nihil aliud sit , quam lux .

20 Circa hanc difficultatem unum videtur certum , scilicet colorem non esse omnino extraneum à natura lucis , sed potius esse quandam participationem ipsius lucis incorpore

colo ,

colorato ex influentia corporum coelestium, quorum lux est qualitas propria. Ita videtur insinuare D. Thomas loco citato 2. de anima dicens, quod color nihil aliud est, quam quedam lux obscurata ex admixtione corporis opacit. Et lib. de sensu, & sensato cum Philosopho docet, quod lux est quasi quidam color diaphani, color esque multiplicari secundum speciem penes maiorem, vel minorem participationem lucis; quae omnia ad minus indicant, colorem aliquid participare de natura lucis.

21 Coeterum aliqui hoc non contenti voluerunt, colores esse non solum participationem lucis, sed formaliter esse, & consistere in ipsa luce, ita ut corporibus color non sit in actu, nisi dum est lux in illis; in tenebris vero seu de nocte dicunt colores solum esse in potentia in corpore colorato. Quae sententia prater supra dicta potest confirmari ex eo quod non minus difficile videtur, quod diaphanum, v. gr. aer, & crystallus non sit tale in actu nisi per lucem, quam quod corpora non sint actu colorata, nisi dum in illis est lux. Si enim ad id, quod nobis videtur attendamus, sicut nobis videtur quod corpora etiam in tenebris sunt actu colorata, ita videtur quod

aer, & crystallus independenter à luce, & in tenebris sunt actu diaphani, & transparentes: & tamen hoc non obstante diaphaneitas non est in actu nisi per lucem, & consistit in ipsa luce iuxta definitionem lucis à Philosopho traditam; in tenebris vero solum datur in potentia: ergo etiam colores solum erunt in potentia, dum lux ab est, in actu autem erunt per ipsam lucem, & consistent in ea.

22 Hanc sententiam ex aliorum mente refert D. Thom. loco citato 2. de anima, & eam ibi expressè non improbat; videtur tamen supponere eam esse falsam: unde tam ibidem, quam sapè alibi loquitur de luce, & colore tanquam de realiter distinctis. Quare stando authoritati, & communī Philosophorum placito tenendum est, colorem realiter differre à luce, & dari in actu in corporibus etiam in absentia lucis. Quod quidem intelligendum est de coloribus permanentibus, quos semper eodem modo videmus afficere corpora, in quibus sunt, sicut viride in herbis, & album in linteo, &c. non autem de coloribus, qui ad situacionem corporis, vel motum videntis variantur; isti enim solum sunt in actu, quando adest lux.

23 Ad rationem pro contraria sententia desumptam ex coloribus iridis, & aliorum, fateor mihi difficilem videri. Neque enim potest dici: eos non esse veros colores: quia visus verè videt ibi colorem, & ita iudicat; si autem color non esset verus, visus non videret, quia non potest videre nisi colorem, vel lucem. Si autem dicas, visum ibi videre lucem, non colorem: contra est, quia non vtcumque videt visus lucem, sed lucem, quæ apparet ei ut color; hoc enim ipsa experientia docet. Si autem lux cum non sit color, potest apparere visui ut color: pariter poterit quisque dicere, quod dum visus in charta, vel pariete videt albedinem, non videt colorem, sed lucem, quæ tamen apparet visui ut color. Ex quo rursus sequitur, quod lumen, & color erunt talis naturæ, ut unum pro altero supponi possit ad terminandam visionem & que bene, ac si utrumque esset realiter idem; quod non leve argumentum est pro vera identitate utriusque.

24 Nec etiam dici potest, quod colores illi sunt veri colores, distincti tamen à luce, & causati ab ea. Nam lux non potest causare colores in genere causæ efficientis, sed ad summum in genere causæ formalis;

ex quo potius sequitur, quod sit in distincta ab illis. Admissum tamen quod eos possit causare in genere causæ efficientis, idem poterit, & debebit dici de alijs coloribus permanentibus: & sic ad minus habebitur, quod color non est actu in corpore, quando lux non est. Hæc sola differentia erit inter colores iridis, & colores permanentes aliorum corporum, quod in iride solum pro aliquo determinato tempore datur in materia illius sufficiens, & requisita dispositio ut à luce causentur tales colores: & ideo deficiente hac dispositione, etiamsi lux adsit, deficiunt colores. At in reliquis corporibus, quæ permanenter colorantur, adest semper debita dispositio, scilicet debita commensuratio, & mixtio primarum qualitatum: & ideo semper quod lux adest, existunt, & videntur colores, deficiunt autem deficiente luce.

25 Forsan hæc difficultas poterit solvi dicendo, quod colores apparentes in iride, & alijs non habent esse naturale in eo, in quo apparent, sed solum esse intentionale, quia sunt species coloris: sicut colores qui videntur in speculo representante aliquid sibi obiectum, sunt species coloris existentis in obiecto representato, & illa sunt quæ videntur, non autem aliquis color,

color, qui sit in speculo. Contra hoc tamen obstat, quod species coloris semper debet cauſari ab aliquo colore, qui habeat esse naturale, ut patet in ipso exemplo speculi; nisi enim id, quod obijcitur speculo esset verè coloratum naturali colore, non resultaret in speculo species coloris. Non autem apparet ex quo obiecto verè colorato possit resultare species coloris in iride; nam id, quod opponitur, & obijcitur nubi, in qua formatur iris, & ipse Sol, in quo nullus est verus color. Et idem est de colore nubium, & colli columbae.

26. Ad hoc tamen dici potest, quod imprimis de colore, qui resultat in pariete ex vitro illustrato radio Solis, iam apparet quomodo possit esse species coloris causata ex vero colore, qui est in vitro. De alijs autem dici potest, quod corpora colorata, quæ sunt in terra, & profunduntur luce, reflectunt eandem lucem in nubes, & in collum columbae, & sic immittunt species suorum colorum, taliter quod tam nubes iridis, quam reliqua, in quibus apparent illi colores, sunt veluti quoddam speculū recipiens species veri coloris à corporibus, quæ sunt in terra. Neque obstat, quod tales colores, qui videntur in iride, & alijs, non

sunt omnino similes coloribus naturalibus, qui sunt in corporibus existentibus in terra. Nam hæc dissimilitudo causatur ex communione ipsarum specierum, & ex dispositione nubium, vel aliorum, ad quæ sit reflexio lucis. Sicut videmus in vitro trianguli, quod non representat eosdem omnino colores, qui sunt in illis obiectis, quorum species accipit: sed alios aliquantulum dissimiles, ea quod species in vitro commiscentur, & refranguntur; nullus tamen dubitat illos esse species causatas ab eis coloribus eorum obiectorum, quæ obijciuntur vitro.

27. Tertiò dubitatur, an lux se sola sine colore videri possit? De colore namque certum est non posse videri sine luce. Sed dicendum est, lucem se sola videri: quod manifeste convincitur in corpore solari, in cœlis, igne, & aqua, quæ nullum habent colorē, & tamen videntur simul cum sua luce. Sed hinc insurgit dubium, si lux se sola sine colore videri potest, quare aer cum sit lucidus, non videtur? Ad quod dici potest, quod aer ideo non videtur, etiam si maximè sit susceptivus lucis, & lucidus, quia est omnino diaphanus nullam habens opacitatem; in corpore autem, quod videtur, re-

qui-

quiritur aliqua opacitas, in qua possit terminari visio. Vnde in Sole, corporibus Cœlestibus in igne, & aqua aliqua opacitas ponenda est.

28 Quartò dubitatur, an lux videatur per speciem aliquam à se distinctam? Ad quod D. Thomas quæst. 10. de verit. art. 8. ad 10. videtur respondere affirmativè dicens: *Ipsa enim lux, quæ est in Sole, non videtur a nobis nisi per similitudinem eius in visu nostro existentem.* Similitudo autem lucis idem est quod species eius. Deinde probatur eadem sententia: quia obiecta sensus immutant illum intentionaliter: sed immutatio intentionalis fit per species, quæ Solæ habent esse intentionale: ergo lux media sui specie immutat visum, & videtur. Præterea. Cum Sol videtur in speculo, vel in aqua, illud quod videtur non est lux Solis, sed species eius: ergo lux videtur per speciem à se distinctam.

29 His tamen non obstantibus, tenendum est oppositum, & dicendum, lucem se ipsa absque specie à se distincta videri. Ratio est, quia lux est per se maximè visibilis, & proportionata visui, eique physicè coniuncta: quippe pupilla oculi etiam est diaphana, & luce perfunditur: ergo non indiger

specie à se distincta ut videatur. Patet consequentia, quia ideo species requiruntur ut obiectum intra potentiam constituant. Præterea prob. Quia si lux immitteret speciem sui, illa species deberet esse in oculo, & etiam in medio, scilicet in aere: sicut species colorum sunt in aere, & in oculo. Ex quo sequitur, quod cum aer, & oculus physice in se recipiant lucem, ut supra dictum est, simul haberent lucem in esse physico, & intentionaliter: quod videtur inconveniens.

30 Ad 1. In contrarium ex autoritate D. Thomæ resp. S. Doctorem pluribus in locis, quæ videri possunt apud PP. Complut. citatos à Colleg. eiusdem D. Thomæ, asserere, quod lux per essentiam suam videtur, id est per se ipsam. Immò in ipso loco citato in argumento hoc supponit dicens immediate ante verba argumenti, *Lux corporalis non videtur per essentiam suam, nisi quatenus sit ratio visibilitatis visibilium,* O formaque dans eis esse actu visibile. Lux autem fit ratio visibilitatis visibilium, in quantum participatur ab ipsis, vel à medio, seu diaphano, quod lumine illustratur. Vnde iuxta S. Doct. lax, quæ est in corporibus, vel in diaphano participata à luce Solis, vel alterius luminosi, & prout sic dicitur lux

lumen, videtur per se ipsam absque specie super addita.

31 Quare dum idem Div. Thom. dicit, quod lux Solis non videtur nisi per sui similitudinem: vel loquitur de luce sumpta pro ipso corpore solari, de quo non negamus videri per similitudinem, & speciem representantem illud, & eius figuram, & magnitudinem; vel si loquitur de ipsa luce, quae est qualitas existens in Sole, tunc nomine similitudinis, per quam dicit videri, non intelligit aliquam speciem intentionaliter solum existentem in oculo: sed intelligit ipsum lumen participatum à luce Solis, & physicè existens in oculo, quod est quædam similitudo lucis existentis in Sole.

32 Ad 2. A ratione resp. quod obiecta sensuum, quæ non sunt physicè præsentia ipsi sensui, immutant illum intentionaliter tantum; secùs obiecta, quæ physicè existunt in sensu, cuiusmodi est lux. Ad 3. Resp. quod id quod videtur in Sole, quando videtur in speculo per reflexionem non est lux Solis, nec aliqua species lucis, sed est species corporis solaris representatio in speculo.

33 Denique dubitatur, an lux requiratur ad visionem ex parte obiecti, & etiam ex parte medij? Quæ difficultas potest

habere duplicem sensum: primo an ut obiectum, scilicet corpus coloratum videatur, debeat non solum ipsum obiectum esse illuminatum, sed etiam medium, seu diaphanum, quod est inter obiectum, & potentiam visibam? Secundus sensus est quod attinet ad primam partem, an non solum requiratur quod obiectum sit illuminatum, sed etiam ipsa lux sit ratio formalis quare color moveat visum: vel potius color ratione sui moveat visum, luce se habente tantum ut dispositione ex parte medij, seu diaphani, ut possint in eo produci species visibles ab obiecto in visum?

34 Circa primum sensum certum est ex ipsa experientia, quod nisi obiectum, scilicet color, sit lumine illustratum, videri non potest. Ceterum an medium etiam debeat esse luce perfusum, ut obiectum videatur, aliquam habet difficultatem. Et videtur non esse necessarium: quia multitores existentes in obscuro videmus lumen longe distans, ut patet in oculis fellium, & in quibusdam vermis habentibus in se lucem: quos quidem noctu, & existentes in loco obscuro videmus, quin tamen in aere intermedio sit aliqua lux. Imò potius si medium sit illuminatum, oculi fellium non vi-

dentur , nec prædicti vermes. Item quando in monte alto accenditur ignis , illum videmus à longe etiam in nocte obscurissima ; & si iuxta talem ignem sit aliquod corpus coloratum, percipimus eius colorem , dummodo sit in distantia proportionata , eo solum quod illud corpus est illustratum lumine, manente obscuro medio , quod est inter nos , & illud : ergo non requiritur quod medium sit illuminatum.

35 His tamen non obstantibus oppositum tenendum est, quod scilicet medium debet esse illuminatum , ut possint tamen lux , quam colores videri. Et quantum ad colores prob. ex eo quod color non potest movere visum , nisi prius vel simul movendo diaphanum intermedium , & producendo in eo speciem sui : sed intermedium non potest color movere, nisi sit actu diaphanum , quod est esse actu lucidum , quia iuxta definitionem Aristotelis color est motivum diaphani in actu: ergo ut videatur color, necessarium est quod medium sit illuminatum.

36 De luce autem prob. Quia nisi oculus sit perfusus aliqua luce vel in ipso existente, vel saltem ipsum immediate tangente non potest videre , ut constat tum ipsa experientia:

tum quia pupilla oculi diaphana est , & si omnino caret lumine , erit omnino tenebrosa , sicut aer dum nullum habet lumen , tenebrosus est ; oculos autem omnino obtenebratus videre non potest. Vnde Div. Thomas lib. de Sensu , & Senso , lext. 5. hoc ipsum expressè docet dicens : Oportet autem quod sicut exterius medium est aliquid perspicuum illuminatum , sine quo nihil potest videri , ita etiam intra oculum sit aliquid lumen. Nunc sic: sed multoties contingit , quod oculus nullum aliud habeat lumen, nisi illud quod advenit ei ab ipso obiecto, quod videt , ut patet in ipso exemplo sententiae contraria de oculis fellium , à quibus quia ab intrinseco sui habent aliquam lucem , derivantur radij usque ad oculos nostros dum sumus in loco omnino obscuro , ubi nullum aliud est luminosum , à quo in nos possit aliqua lux derivari: ergo tunc casus medium utpote minus distans ab oculis fellium potius illuminabitur ab eis.

37 Vrgetur ex eodem exemplo. Quia non solum nos videmus de nocte , & in loco omnino obscuro oculos fellium, sed etiam felles ipsi vident de nocte nos , & alia obiecta , in quæ per lineam rectam dirigunt oculos ; quod constat ex eo quod

quod de nocte venantur mures, quos nos possent tam facile capere, nisi viderent: sed adhuc in opposita sententia ut obiectum videatur necessarium est, quod ipsum obiectum illuminetur: ergo cum de nocte, & in loco obscuro non sit aliquid, quod possit illuminare obiecta, quae a fellibus videntur, nisi oculi ipsorum, fatendum est ab oculis horum animalium derivari lumen in obiecta ut videantur. Sed si obiecta illuminantur, medium etiam illuminatur, quia propinquius est: ergo dum vident de nocte, illuminant medium luce ab ipsis derivata. Eadem ergo ratione dum oculi eorum a nobis de nocte videntur, ipsis quoque videntendo nos lucem diffundunt usque ad oculos nostros, & consequenter eadem luce illuminant medium.

38 Hanc eandem sententiam expressè tenet D. Thomas 2. de Anima, lect. 14. in fine ubi ait: *Quod autem colores illuminati, ab eo qui est in obscuro videantur, contingit ex eo quod etiam medium illuminatur quantum sufficit ad immutationem ipsius.* Nec obstat quod idem D. Thomas lib. de Sensu, & Sensato, lect. 3. dicat: *Quamvis in se aliqualiter fulgeant huiusmodi corpora, non tamen tantum habent de fulgo-*

re, quod de se possint facere medium lucidum in actu. Non, inquam, obstat: tūm quia ibi non loquitur de corporibus potentibus diffundere lucem extra se, quales sunt oculi fellium, & alia supra dicta; sed loquitur de oculis non illuminantibus obiecta: de quibus dicit, quod generaliter in omnibus animalibus pupilla oculi quia levis, & polita est, habet in se quandam fulgorem, ex quo aliquando accedit ut si oculus fortiter moventur, & comprimitur, apparent quasi scintillæ ignis, quæ ab eodem oculo videntur.

39 Tum etiam, quia dato quod ibi loqueretur de animalibus illuminantibus obiecta, vel dato quod eius verba adaptari possint prædictis animalibus, adhuc non sunt contra nos. Nam ideo dicit, huiusmodi corpora non posse facere medium lucidum in actu: quia cum talia corpora habeant in se parum lucis, non illuminant medium undeaque, & versus omnem partem, sicut alia luminosa, quæ habent multum lucis; Vnde idem S. Doct. immediate post verba opposita addit, *sicut facit sol, & huiusmodi corpora.* Solum ergo animalia ista illuminant medium in illa parte, quæ per lineam rectam tendit versus oculos intuentum: in qua parte emittunt radium lu-

cis licet angustum, & qui ob sui parvitatem percipi non potest nisi per unam lineam. Et hoc est quod in verbis pro nobis citatis dicit D. Thomas, quod medium illuminatur quantum sufficit ad ipsius immutationem; licet non omnino, & versus omnem partem illuminetur.

40 Ex his constat, quid dicendum sit ad fundamentum oppositæ sententiæ. Semper enim quod videmus lucem in praedictis animalibus, & quandocumque lux vel color videatur ab existentibus in loco omnino oscuro, tam oculi nostri, quam medium illuminantur per aliquam lineam licet angustam à luce derivata ex obiecto, quod videmus.

41 Circa secundum sensum huius difficultatis utraque pars videtur probabilis in via D. Thomæ. Et quidem quod lux se habeat solum tanquam dispositio ex parte diaphani, ut color possit moveare visum, videtur docere lect. 14. Citata 2. de anima. Coeterum alijs in locis, quæ adducit Colleg. eiusdem Complut. videtur velle, quod lux sit ratio formalis ut color moveat visum. Et videtur hoc consonare ei quod communiter dicitur, videlicet quod lux est obiectum formale motuum, & ratio sub qua respectu

visus. Insuper nisi ita dicatur, non videtur quomodo possit salvare, quod dum simul videatur lux, & color, sicut continet semper quod videtur aliquid coloratum, tunc sit unum tantum visibile, & unum obiectum visus, ut necesse est esse eo quod visio est una. Ut enim sit unum visibile, requiritur quod lux & color ita inter se ordinentur, ut unum se habeat de formaliter respectu alterius: & cum color non possit esse formale respectu lucis, quia lux est magis visibilis, quam color: restat quod ipsa lux sit quasi forma visibilium, & motivum visus.

§. III.

De Auditu, & alijs sensibus externis.

42 Secundus sensus est auditus, potentia scilicet perceptiva soni, sed quid sit sonus, non modicam haber difficultatem: nec in praesenti Philosophus eius definitionem dedit. Quidam ergo dicunt, quod sonus est ipse motus aeris causatus ex percussione duorum corporum ad se invicem; cui opinioni favere videtur Dives Thomas 2. de anima, lect. 18. dicens cum Philosopho, quod sonus est quidam motus aeris. Potest etiam probari hac ratio-

ne. Nam sonus est quid successivum, & non permanens: quod constat ex eo quod non existit totus simul, sed una eius parte recedente advenit alia; & inde est quod nec unam vocem, nec unam syllabam audimus totam simul sed in tempore, & successivè: sed nihil est successivum nisi motus, & tempus: cum ergo sonus non sit tempus, restat quod sit motus.

43 E contra verò alijs existimant, sonum esse quandam qualitatem distinctam à motu tam aeris, quam corporum se percutientium; sed adhuc est dissidium circa subiectum huiusmodi qualitatis. Quidam enim volunt eam esse in corporibus se percutientibus tamquam in subiecto; alijs autem dicunt, subiectum eius esse aetem verberatum à corporibus se percutientibus. Hęc sententia quantum ad id quod asserit, scilicet sonum non esse motum aeris, probatur etiam ex D. Thoma, qui cum Philosopho asserit lib. 2. citato lect. 16. quod generatio soni consequitur motum aeris, & ex tali motu causatur: ergo motus aeris non est sonus, sed causa soni. Præterea. Quia si sonus esset motus aeris, per easdem differentias divideretur, & distingueretur, ac dividitur motus: sed hoc est falsum, quia differentiae soni sunt acutum, &

grave: differentiae autem motus sunt sursum, & deorsum, rectum, & circulare, &c. ergo.

44 Ulterius. Quia motus est sensibile commune, ut constat ex Philosopho supra: sed sonus est sensibile proprium auditus, quippe quia à Sole auditu percipi potest: ergo. Hęc tamen ratio non convincit: quia potest dici, quod motus qui est sensibile commune, est motus aliorum corporum, scilicet corporum visibilium, qui percipiuntur per visum. Coeterum motus aeris solum est perceptibilis per auditum: unde quando unum corpus percutit aliud, videmus motum corporis percutientis, & etiam corporis percussi; motum autem aeris non videmus, nec percipimus nisi per auditum.

45 Quantum autem ad aliud quod ista sententia affirmit, scilicet sonum esse qualitatem, probatur. Quia semel quod sonus non sit motus aeris, non apparet quid aliud possit esse nisi aliqua qualitas; præsettim quia obiecta aliorum sensuum sunt qualitates, ut manifeste constat de colore, odore, & sapore, quae sunt obiecta viuis, odoratus, & gustus. Tactus autem manifestum est quod habet pro obiecto qualitates primas, scilicet frigiditatem, caliditatem, &c. ergo idem

dicendum est de auditu.

46 Inter has sententias licet prima sit satis probabilis: secunda tamen videtur esse probabilius, & tenenda, ita tamen ut sonus non ponatur esse qualitas existens in aere, sed in corporibus se percutientibus; in aere vero solum sit species huiusmodi qualitatis. Quod est idem ac dicere, sonum physicè sumptum esse in corporibus sonantibus, quæ in se intrinsecè habent qualitatem sonativam, quæ percipitur ab auditu, intentionaliter verò sonus est in aere verberato ex percusione corporum media specie, quam qualitas sonativa causat in eodem aere: eo prorsus modo quo color physicè sumptus est in corpore colorato, & species coloris est in aere.

47 Probatur hoc. Nam aer est medium, quo sonus defertur ad auditum: sed medium, quo obiectum sensus defertur ad sensum, non immutatur ab obiecto nisi solum intentionaliter, vt patet in colore, qui non est physicè in aere, sed solum per suam speciem: & idem est de sapore, & odore. Si autem in sensu tactus medium, quod est caro, immutatur physicè à qualitatibus tangilibus, non immutatur ab eis intentionaliter; quia vel est impossibile idem subiectum esse simul af-

fectum aliqua qualitate in esse naturali, & in esse intentionalis: vel saltim est superflua existentia intentionalis qualitatis, dum illam habet subiectum physicè, & in esse naturali: ergo cum aer habeat in se speciem soni, non potest physicè recipere etiundem sonum.

48 Præterea. Quia si sonus esset in aere tanquam in subiecto, aer ipse magis esset sonorius, seu sonativus, magisque esset obiectum auditus ratione soni sibi intrinseci, quam ipsa corpora se percutientia, quæ solum haberent causare sonum, & non illum in se intrinsecè recipirent: sed consequens est falsum, quia non dicimus aërem sonare, vel audiri, sed campanam, vel aliud audiri, & sonare: ergo sonus physicè sumptus est in corporibus se percutientibus, & non in aere.

49 Sed dices, D. Thom. exp̄s̄e tenere oppositam sententiam. Nam lib. 2. de anima, lect. 16. sic ait: *Omne sensibile dupliciter dicitur esse in actu. Uno modo quando actu sentitur, hoc est dum species eius est in sensu, & sic sonus est actus secundum quod est in auditu. Alio modo secundum quod habet propriam speciem, per quam sentiri potest, prout est in subiecto, & sic alia sensibilia sunt in actu, prout sunt in corpori.*

poribus sensibilibus, sicut color prout est in corpore colorato, odor, & sapor prout sunt in corpore odorifero, & saporoso. Sic autem non est de sono. Nam in corpore sonante non est sonus, nisi in potentia. In medio autem quod movetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu. In quibus expresse affirmat, quod sonus in actu est in medio, quod movetur ex percussione corporum, quod quidem medium est aer.

50. Resp. Quod hanc autoritatem etiam tenentur explicare qui assertunt, odorem subiectari in aere, vel in aliqua fumali evaporatione, quam spirat corpus odorabile: siquidem D. Thomas expressè assertit, odorem, & saporem esse in corpore odorifero, & saporoso. Deinde dico, D. Thomam per sonum in actu intelligere speciem soni, ut constat ex ipsis verbis, alio modo secundum quod habet propriam speciem, per quam sentiri potest prout est in subiecto. Differentia autem, quam constituit inter sonum, & obiecta aliorum sensuum penes hoc quod obiecta aliorum sunt in actu prout sunt in proprijs subiectis, sonis vero non est in actu prout est in corpore sonante, sed prout est in medio: constitut in eo, quod color v. gr. hoc ipso quod existat in sub-

iecto, & adsit medium scilicet diaphanum, absque alio requisito immutat intentionaliter medium per speciem sui, quam in eo causat, & per quam fit actu visibilis. In sono vero non praecise per hoc quod qualitas sonora, vel sonativa existat in corpore sonabili, etiam si ad sit medium scilicet aer, datur sonus in actu, id est species soni, per quam qualitas corporis sonabilis fiat in actu sensibilis ab auditu; sed ultra hoc requiritur quod medium scilicet aer moveatur localiter à corporibus se percutientibus: quia nisi aer moveatur, non potest in eo fieri species soni, & consequenter nec sonus erit in actu, quia qualitas sonativa non erit in actu audibilis, sed solum in potentia.

51. Dices iterum contrarium idem assertum. Idem numero sonus non potest esse in diversis subiectis: sed dum corpora se mutuo percutiunt, resultat unus numero sonus: ergo ille non est in corporibus, sed in aere. Nec potest dici quod sit in uno tantum corpore: quia non est maior ratio quare sit in corpore percutiente, quam in percusso. Resp. quod in primis incertum est, an cum duo corpora se percutiunt, detur unus tantum numero sonus: sicut incertum est, an virumque corpus sonet,

sonet, vel vnum tantum. Si autem supponatur quod unus tantum sonus detur: eadem ratione dicendum erit, quod unum tantum corpus sonat, in eoque solum erit sonus, & non in alio quod non sonat. Deinde dico, quod sonus physice sumptus est duplex, quia unumquodque corpus habet suam qualitatem sonativam distinctam; ceterum sonus in actu, id est species soni est una tantum, representat tamen qualitatem utriusque corporis sonantis. Sicut cum Citharedus percutit uno ictu plures chordas habentes distinctos sonos, vel cum plures edunt simul voces diversimode sonantes: tunc auditus percipit unum sonum, quia corpora sonantia licet sint diversa; & habeant diversas qualitates sonoras, concurrunt tamen ad producendam unicam speciem quasi mixtam ex pluribus sonis.

52 Ad argumenta primae sententiae quatenus militant contra hoc assertum, resp. Div. Thomam in illis verbis solum velle, quod sonus consequatur, & causetur ex motu aeris, ut alibi se explicat; non autem quod formaliter consistat in ipso motu aeris. Ad aliud a ratione dici potest, quod sonus physicè sumptus non est continuus, nec successivus, sed est qualitas permanens in corporibus so-

nantibus sive actu sonente, sive non: sicut color est in ipsis, etiam si actu non videantur. At vero species soni, sive sonus intentionaliter sumptus est quid continuum, & successivum non per se, sed per accidens, quia scilicet recipitur in aere mediante motu eiusdem aeris: sicut color in corpore colorato habet partes, & continuitatem ratione quantitatis, qua mediante in est corpori. Ex quo patet quomodo non sequatur, quod sonus debeat esse motus, quia nimirum non est per se continuus, & successivus.

53 Dubitatur etiam circa medium, per quod defertur sonus, an sit solus aer, vel etiam aqua sic aptum medium audiendi? Et quidem si dubium procedit de medio, in quo sunt, & recipiuntur species soni, videtur etiam in aqua fieri tales species: nam pisces dicuntur audire intra aquas voces, & sonos, qui sunt extra illas; quod non videtur posse accidere, nisi species soni generentur etiam in profundo aquæ, ubi nullus est aer. Si autem dubium inquirat, an aqua in proprio centro existens ut in mari, vel in fluminibus edat aliquem sonum, dum in profundo sui alludit ad rupes, & saxa? Aliqui affirman; sed oppositum videtur probabilius.

54 Denique in præsenti Philosophus agit de modo quo generatur Echo. Est autem Echo reflexio soni causata ex aliquo corpore impediente motum aeris, & faciente illum retrocedere. Hanc reflexionem explicat D. Thomas exemplo aquæ: in qua si proieciantur lapis vel aliud, fiunt gyrationes seu circuli in circuitu illius loci, vbi lapis cecidit; quod si prædictæ gyrationes inveniant aliquid obstans, & impediens eaurum progressum, retrocedunt, & fiunt in contrariam partem, scilicet versus illum locum unde incepérunt, & vbi lapis cecidit.

55 Sic ergo intelligendum est in sono. Nam aer primò movetur à corpore sonante usque ad determinatam distaniam iuxta impulsum sibi impressum; quod si adhuc durante motu aer offendat aliquod corpus, quod prohibeat eum ultra progredi, movetur in contrariam partem, scilicet in eam, in qua est corpus sonans, & sic fit Echo. Quia verò aer suo motu secum defert speciem soni: dum regreditur, auditur sonus quasi ex contraria parte existens. Quod quidem fit vel per hoc quod eadem species, quæ ferebatur versus corpus obstans, regreditur usque ad auditum: vel quia illa fistens in

loco vbi invenit obstaculum producit in aere anteriori aliam similem, quæ motu eiusdem aeris anterioris defertur usque ad auditum. Sicut dum aliquis inspicit se in speculo, causatur in eodem speculo species insipientis, quæ rursus causat aliam speciem in visu eiusdem.

56 Restant alij tres sensus, scilicet olfactus seu odoratus, gustus, & tactus: de quorundam obiectis, scilicet odore, sapore, & primis qualitatibus dicendum est, esse tanquam in subiecto in corpore odorifero, saporoso, & tangibili. Quod si corpus odoriferum, ut odorem spireret, requirit aliqualiter resolvi in sumalem evaporacionem, ut videtur dicere D. Thomas: non ita est intelligendum, quod in omni corpore odorabili hoc sit necessarium, sed in aliquibus tantum: & hoc non simpliciter, sed ad melius esse odoris, & ut melius percipiat à sensu, ut patet in Thure, quod manens in sui natura spirat odorem, sed non tam perfectum, ac si per ignem resolvatur in sumum.

57 Quod autem talis evaporatione non requiratur, facile est videre. Nam ea proculduo est aliquod mixtum, quod generatur ex corpore odorabilis per actionem ignis, vel alterius cause alterantis illud: constar-

autem, quod dum naribus applicamus rosam, nulla datur generatio alicuius mixti, nec appetet causa talis generacionis: ergo sine fumali evaporatione corporis odorabilis potest fieri sensatio odoris. Vnde quando in aliquo odorabili datur fumalis evaporatio, non ideo odor seu qualitas odorabilis definit esse in corpore odorifero: quia tunc quod immediate sentitur, & odorat, est illa exhalatio, seu fumalis evaporatio: qualitas vero odorifera corporis, ex quo generata fuit exhalatio, tunc non sentitur.

58 De medio autem, per quod fit sensatio in his tribus sensibus, sciendum est, quod odoratus habet idem medium, ac duo priores sensus; sicut enim in visu, & auditu sensatio fit medio aere, in quo sunt species obiectorum, ut transcant ad sensus, ita similiter est de odoratu: nam in aere fit species odoris, & sic sentitur odor ab olfactu. At vero duo postremi sensus differunt in medio tam ab olfactu, quam a duobus prioribus; non enim habent medium separatum, sed medium coniunctum. Medium autem separatum dicitur, quia non est aliquid sentientis, sed extra eum est: sicut aer, qui non est aliquid animalis viden-

tis, vel audiens, sed totaliter extra illud est. Medium coniunctum dicitur illud, quod est aliquid sentientis: & hoc in tactu, & gustu est caro, quae aliquid est animalis tangentis, & gustantis. In gustu quidem est sola caro linguæ: in tactu autem caro totius corporis, quia sensus tactus per totum corpus diffusus est. Vnde in lingua est etiam sensus tactus simul cum sensu gustus, quia non solum sentit lingua saporem cibi, sed etiam eius calorem, frigiditatem, &c.

59 Cœterum est differentia inter gustum, & tactum quantum ad immutationem medijs. Etenim caro linguæ, quæ est medium gustandi, non immutatur physicè à qualitate obiecti gustabilis, nec fit physicè saporosa, dulcis, vel amara: sed solum recipit in se speciem saporis. Caro verò, quæ per totum corpus est medium tactus, immutatur physicè à qualitate tangibili, ita ut fiat calida, vel frigida: constat enim quod manus tangendo calidum calefit, & tangendo frigidum infrigidatur. Ex quo sequitur iuxta superius dicta, quod in medio tactus non fiat species qualitatis tangibilis, cum medium habeat eandem qualitatem physicè, & in esse naturali.

Sed

60 Sed hinc insurgit difficultas: quia si in medio tactus non sit species obiecti tangibilis, sequitur quod sensatio tactus fiat sine specie, quod est contra communem sententiam requirentem species intentionales pro omnibus sensibus. Insuper sequitur, quod sensibile possum immediate supra sensum sentiri possit, quod etiam est contra Philosophum. Nam si medium tactus physicè immutatur à qualitate tangibili, cum tale medium sit coniunctum sensui, ut dictum est, iam sensibile immediate attingit sensum. Resp. tamen quod licet species non producatur in medio, producitur tamen in organo tactus, quod est distinctum à medio. Caro enim non est organum tactus, sed quidam nervus latens sub carne, qui originem habet in cerebro, & extenditur per totum corpus. Si militer dicitur ad aliud; nam sensibile, quod impedit sensationem, est illud quod immediate tangit, & ponitur supra organum sensus. Vnde non obstat ad sensationem, quod qualitas tangibilis immediate afficiat carnem, quæ est medium tactus: dummodo non afficiat nervum illum, qui est organum.

61 Et si dicas: eadem ratione, qua caro manus dum

tangit calidum, fit calida, etiam nervus sub carne latens debet fieri calidus, maximè si calor sit intensus. Et ita docet experientia, quia dum manus mititur in aquam ferventem, tota calefit intus, & foris: ergò in hoc casu nec species produceatur in organo sensus, nec sensibile immediate tangens sensum, seu organum eius impedit sensationem. Resp. quod adhuc in hoc casu nervus ille non calefit physicè secundum omnem suu partem, sed solum secundum aliquas: & ideo sensatio seu perceptio caloris fit per illas partes argani, quæ non recipiunt physicè calorem, sed solum species illius.

§. IV.

De sensibus internis.

Explicatur quot sint, & quo modo inter se distinguantur sensus interni.

62 E sse in animalibus ali quem internum sensum, omnes fatentur, expresse que docet P. August. lib. 2. de Libero Arbitr. cap. 3. dicens: *Hic nec visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustus, nec tactus dici potest; sed nescio quid aliud, quod omnibus communiter præ-*

sideret. Quod cum ratione comprehendamus, ut dixi, hoc ipsum tamen rationem vocare non possumus, quoniam, & bestiis in esse manifestum est. Agnoso istud quidquid est, & eum interiorum sensum appellare non dubito. Capite autem in quarto eiusdem libri hoc probat ex eo quod bestiae percipiunt, & sentiunt suas sensationes externas: nisi enim bestia se sentire sentiret, non moveret se appetendo aliquid, vel fugiendo. Sensationes autem sensuum externorum non potest animal sentire per ipsos sensus externos, quia sensatio externa; v. gr. visio distincta est à colore, qui est obiectum visus: vnde non potest percipi per visum, & multò minus per aliud externum sensum, sed per aliquem internum.

63 Verba S. P. N. sunt: Arbitror etiam illud esse manifestum, sensum illum interiorum non est tantum sentire, quæ acciperit à quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim bestia aliter moveret se, vel appetendo aliquid, vel fugiendo, nisi se sentire sentiret, non ad sciendum, nam hoc rationis est, sed tantum ad movendum, quod non utique aliquo illorum quinque sentit.

64 Div. Thomas autem 1. part. quæst. 78. art. 4. per potum probat non solum exi-

stentiam sensus interni, sed etiam numerum, & distinctionem eorum ab invicem. Quare communis omnium Thomistarum sententia cum eodem S. Doct. assertit, dari quatuor sensus internos realiter inter se distinctos, scilicet sensum communem, Phantasiam seu imaginativam, estimativam seu cogitativam, & memoriam seu reminiscientiam.

65 De sensu communi probat D. Thomas in response ad 2. per hoc quod animalia discernunt inter obiecta, sensuum externorum, & inter sensations eorum cognoscendo differentias tam obiectorum, quam sensationum; cognoscunt enim, colorem non esse sonum, & videre non esse audire. Unde, & aliquando appetunt, vel fuggiunt exerceri per unum sensum, & non per aliud: sicut aspis refugit audire vocem incantatoris, non videre eum: & pecus appetit gustare saporem herbae, non videre eius colorum. Sed haec discretio non potest fieri per aliquem sensum externum: ergo debet fieri per aliquem internum: & hic est sensus communis, cuius officium est de omnibus obiectis externorum sensuum indicare, & inter illa discernere. Min. prob. Nam qui discernit inter aliqua duq., debet utrumque cogi-

vognoscere , vt per se patet: ideo enim visus non potest discernere inter album , & dulce, quia non cognoscit dulce, sed solum album ; discernit tamen inter album , & nigrum , quia utrumque cognoscit , cùm utrumque contineatur sub genere coloris : sed nullus sensus externus cognoscit obiecta , & sensationes aliorum , vt visus non cognoscit sonum , nec auditionem : ergo nullus eorum potest discernere inter obiecta , & sensationes aliorum.

66 De phantasia vero seu imaginativa probat sic. Quia animalia non solum habent operationem circa sensibilia præsentia , sed etiam circa illadum sunt absentia : & hoc est necessarium eis , quia ad vitæ propriæ conservationem indigent appetere , vel fugere plura absentia , vt cibum , vel periculum imminens : ergo non solum debent recipere species sensibilium , dum ab eis præsentibus immutantur eorum sensus , sed etiam debent retinere , & conservare tales species in absentia sensibilium , vt ab apprehensione talium specimen moveri possint ad appetendum , vel fugiendum obiecta , quorum sunt species. Habent ergo potentiam retentivam , & conservativam harum specimen ; & hæc est phantasia seu

imaginativa , cuius munus est conservare , & retinere species sensibilium causatas immediate ab obiectis in sensibus externis , & in sensu communi.

67 Quod autem ad hoc munus conservandi species sensibiles debeat assignari potentia realiter distincta à sensu communi , probat D. Thomas: quia recipere , & retinere pertinent ad diversa principia materialia , & ad diversa organa humida enim bene recipiunt , & male retinent: è contra verò sicca bene retinent , & male recipiunt , vt patet in aqua , quæ facile recipit divisionem , sed non retinet , statim enim ad se ipsam continuatur; lapis vero difficulter admittit divisionem , quæ per aliquod instrumentum excavans illum fiat , sed bene retinet , & conservat. Cùm ergo potentia animæ sensitivæ sit in organo corporeo , & materiali : si diversum organum , & diverso modo dispositum requiritur ad recipiendum , & retainendum species , consequens est , quod etiam potentia eas conservans , qualis est phantasia , sit distincta à potentia receptiva earundem specimen , qualis est sensus communis.

68 Potest etiam probati eadem distinctio hoc modo. Nam phantasia habet suum actum , quando illum non ha-

bet sensus communis : ergò non est eadem realiter potentia cum sensu communi. Ant. prob. Nam in somno phantasia operatur , & imaginatur , vt cuique notum est : sed tunc non operatur sensus communis , quia iste solum immutatur mediante bus sensibus exterioribus , quorum immutations , & sensations sentit ; constat autem quod in somno sensus exteriores non sentiunt , sed quiescunt , & ligati sunt : ergo .

69 Quod si aliquis dicat , quod in somno operatur sensus communis non circa obiecta sensum externorum , vel circa sensations eorum , quia in somno non dantur tales sensations , quas possit percipere sensus communis ; operatur tamen circa species obiectorum , & sensationum imaginando eas . Et sic eadem potentia est imaginativa quatenus imaginatur species obiectorum sensibilium in somno , & sensus communis quatenus in vigilia percipit obiecta , eorumque sensations factas in sensibus externis . Contra est : nam obiectum sensible , & species seu imago eius diversam cognoscibilitatem formalem habent , quod patet ex eo quod visus videt obiectum , & non videt suam speciem qua videt , nec suam visionem : ergo si imaginativa versatur solum

circa species obiectorum , & sensationum , realiter distincta est à sensu communi attingente ipsas sensations , & obiecta .

70 Ex hoc colliges , quod phantasia seu imaginativa vero non percipit obiecta sensibilia , nec sensations sensum extenorū , sed solum species sensationum , & obiectorum : sicut cum aliquis videt in speculo imaginem obiecti , quod à tergo habet , non videt ipsum obiectum , sed imaginem eius , quamvis aliquomodo dicatur videre illud , quia videt similitudinem illius . Colliges etiam , quomodo verum sit quod ab aliquibus dicitar , scilicet quod imaginativa differt à sensu communi in eo quod sensus communis est circa obiecta præsentia , imaginativa vero circa absentia . Non enim hoc intelligendum est ita quod obiecta absentia terminent actum imaginativæ : sed terminatur actus eius in specie , seu imagine ipsius obiecti imaginati , sicut actus videntis aliquem in speculo terminatur in imagine , quæ appetet in speculo . Ita docet D. Thomas quart. de Mente , art. 8. ad 2. pro secunda opinione , vbi explicans differentiam inter visionem intellectualem , imaginariam , & corporalem ait : Sed in hoc est differentia visionum differentia quod

quod visio corporalis terminatur ad ipsum corpus, imaginaris vero ad imaginem corporis sicut ad obiectum.

71 Dicitur itaque imaginativa versari circa absentia, quia obiecta præsentia, id est ea quæ in se ipsis percipiuntur per sensus externos, sive per sensum communem, non possumus pro tunc imaginari; sed necessarium est ut ea imaginemur, quod casset sensatio tam sensuum externorum, quam sensus communis. Vnde quando videmus aliquod obiectum, tunc non imaginamur illud, sed postea cum vel obiectum recedit à sensu, vel sensus avertit se ab obiecto. Similiter quando videmus, non imaginamur nostram visionem, sed percipimus eam per sensum communem, & sentimus nos videre. Et ex hoc sumitur ratio prædictorum. Nam cum aliquis sentit, & percipit se videre, non potest dici quod imaginatur se videre: quia tunc imaginamur nos videre, quando revera non videmus, sed tantum speciem visionis attingimus. Quando autem sentimus nos videre, revera videmus, quia sensatio visus immutat sensum communem, & causat in eo sensationem sui ipsius. Idem est de obiectis sensibiliibus; quando enim videmus colorem, non dicimur

imaginari eum, quia tunc re vera illum sentimus per visum: imaginamur autem illum, quando cessante visione solam speciem illius apprehendimus per imaginativam.

72 Tandem colligitur, quod obiectum imaginativæ sunt Solæ species, & imagines rerum sensibilium, & sensacionum, quæ per sensus externos fiunt circa ea; obiectum vero sensus communis sunt sensaciones ipsæ sensuum externorum, & consequenter obiecta carum: sensationes enim, & non earum species percipit, & sentit sensus communis. Imaginativa ergo nec in somno, nec in vigilia percipere potest nisi species rerum; consequenterque realiter distingui debet à sensu communi, qui non species, sed ipsas sensationes sentire, & percipere potest.

73 Prosequitur autem Div. Thomas probando suam sententiam de estimativa, seu cogitativa, & memoria, seu reminiscencia. Probat autem sic: *Quia animalia non solum mouentur propter deletabile secundum sensum; sed necessarium est illis, ut quarant aliqua, vel fugiant non solum quæ sunt convenientia, vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter alias alias commoditates, & utilitates, seu*

nocumenta. Sicut ovis videns lupum venientem fugit non propter indecentiam coloris seu figuræ, sed quasi inimicum nature. Et similiter avis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Cum ergo utilitates istæ, & nocumenta, quæ S. Doct. vocat intentiones, non cognoscantur per sensus externos, quia non sunt qualitates sensibiles: nec per sensum communem, quia hic solum cognoscit sensations externorum sensuum, & obiecta eorum: nec item per phantasiam, quia hæc solum apprehendit species, & imagines earum rerum, quæ per sensus externos, & communem percipiuntur; necesse est ponere in animali alium sensum præter prædictos: & hic dicitur estimativa, vel cogitativa.

74 Rursus quia resumendo rationem supra factam præimaginativa, non sufficit animali cognoscere aliquid quando illud actualiter sentit, sed necessarium est ut species eius quod cognovit apud se retineat, & conservet: sicut non sufficit quod avis dum videt paleam, per estimativam apprehendat eius utilitatem ad nidificandum, sed viterius est necessarium quod apud se conservet speciem huius utilitatis, alias

dum paleam non videt non posset moveri ad illam quærendam: ideò necessarium est ponere in animali potentiam conservativam specierum representantium utilitatem, vel nocumentum rerum sensibilium. Et hæc dicitur memoria, vel reminiscencia: quæ eadem ratione quam phantasia conservans species sensibiles differt à sensu communi, differt, & ipsa ab estimativa.

75 Advertit tamen Div. Thomas quod in nobis actus estimativa fit cum quadam collatione, & quasi discursu, quo conferendo res cum rebus ad invenimus prædictas intentiones; in brutis verò non habet talem collationem: & ideo eadem potentia, quæ in brutis dicitur estimativa, dicitur in nobis cogitativa. Similiter memoria in nobis habet quandam inquisitionem, quia non solum recordatur subito præteriorum, vt accidit in brutis, sed inquirit ad memorandum ea, quæ aliqua ex parte de memoria exciderant: ideoque eadem potentia, quæ in brutis dicitur memoria, dicitur in nobis reminiscencia. Vtraque autem prædicta potentia, scilicet estimativa, & memoria habet in nobis hunc specialem modum operandi ex coniunctione ad rationem.

Solvuntur obiecta.

76 Cœterum totus hic discursus Ang. Precept. patitur plures, & non levæ difficultates. Primo enim videtur, quod sensus communis non possit percipere obiecta sensuum externorum, & sensationes eorum: nam ut supra dicebamus, obiectum, & sensatio habent distinctam cognoscibilitatem, idèque visus videns colorem non videt suam visionem: ergo cum sensus communis sit vna tantum potentia, non potest percipere obiecta sensuum externorum, & simul sensationes eorum. 2. Quia sensus communis percipit obiecta sensuum externorum, non aliter ea percipit nisi sentiendo: sed sentire colorem est videre, & sentire sonam est audire, &c. ergo sensus communis videt, & audit, &c. Et sic superflui erunt quinque sensus externi, cùm omnes operationes eorum possint ab uno sensu communi eliciti. 3. Sensationes sensuum externorum sunt inter se valde dissimiles, sicut ipsi sensus externi, à quibus procedunt: ergo non possunt attingi ab uno sensu nisi sub aliqua vna ratione formalí omnibus communi, quam non facile est assignare.

77 Quartò. Vel sensus

communis cognoscit simul sensationes sensuum externorum, vel seorsim? Si seorsim: sequitur quod non possit discernere inter illas, quia qui simul, & in eodem tempore non cognoscit duo aliqua, non potest discernere inter utrumque. Et præterea sequitur, quod quando plures sensus externi elicunt simul suas sensations, vt quando in eodem tempore videmus, & audimus, sensus communis non possit percipere sensations sensuum externorum; tunc enim utramque simul deberet percipere, vel nullam. Si autem dicatur, quod percipit simul omnes sensations, que simul fiunt: hoc non potest fieri nec per unam speciem, nec per plures: ergo nullo modo. Ante prob. quoad primam partem. Quia visio, & auditio; v. gr. non possunt repræsentari per unicam speciem. Quoad secundam autem prob. Quia si essent plures species, consequenter sensus communis eliceret plures actus circa sensations externas: sed simul, & in eodem tempore non potest unus sensus habere nisi unum actum sentiendia ergo.

78 Quintò contra ea quæ dicta sunt de phantasia. Species obiectorum sensibilium, & sensationum, quas percipit phantasia, vel sunt eædem cum

Kk

spe-

speciebus, medijs quibus sensus communis sentit eadem obiecta, & sensationes: vel sunt distinctæ? Neutrūm esse potest: ergo nullas species conservat phantasia, vel saltem non est potentia realiter distincta à sensu communi. Min. quoad primam partem patet, nam eadem species non possunt simul esse in duplice potentia realiter distincta. Quoad secundam vero partem probatur. Quia nulla est causa producens tales species distinctas: non quidem obiecta, & sensationes: hæc enim solum possunt producere species illas, per quas sentiuntur à sensu communi; nec item ipsæ species possunt alias distinctas producere in phantasia, quia una species non est productiva alterius: ergo.

79 Sextò. Falsum est, quod phantasia non percipiat sensationes sensuum externorum, dum sunt præsentes, & actu fiunt: ergo ex hoc capite non potest distingui à sensu communi. Ant. prob. Nam species sensationum, quas phantasia percipit, (& idem est de speciebus obiectorum earumdem sensationum) fiunt dum actualiter exercentur ipsæ sensationes, transactis enim sensationibus externis non est à quo possint fieri species illarum in phantasia: ergo dum actualiter fiunt

sensationes sensuum externorum, species earum recipiuntur in phantasia. Sed eo ipso phantasia cognoscit tunc tales sensationes cum actualiter fiunt: ergo. Min. subsumpta prob. Quia ideo sensus communis percipit sensationes dum præsentes sunt, quia tunc recipit species earum: ergo idem erit dicendum de phantasia, semel quod tunc recipiat etiam species sensationum, & obiectorum.

80 Septimò contra dicta de æstimativa. Nulla est potentia ordinata ad cognoscendum intentiones illas insensibiles, seu insensatas, quæ dicuntur non posse percipi per alios sensus: ergo nulla est æstimativa distincta à reliquis sensibus vel externis, vel internis. Ant. prob. Intentiones illæ per alias species debent cognosci: sed si non sunt perceptibiles per aliquem ex alijs sensibus enumeratis, nullæ sunt species, quibus represententur: ergo. Min. prob. Quia non sunt representabiles per species immiscas, & causatas ab obiectis aliorum sensuum, alias tales intentiones æquè possent cognosci ab alijs sensibus, & sic superflueret æstimativa ab illis distincta. Nec item possunt representari per alias species alterius generis, quianulla est causa producens tales species: ergo.

81 Octavò. Quia istas intentiones, quas dicitur cognoscere estimativa, etiam apprehendit phantasia: ergo saltim non erit necesse ponere æstimativam distinctam à phantasia. Ant. patet in somniantibus, qui per species existentes in phantasia, quæ sola tunc operatur, apprehendunt non solum delebetabilia vel contristabilia secundum sensum, sed etiam utilitates, & nocumenta: ex quorum apprehensione timent, & gaudent, & quandoque moverunt localiter propter aliquid prosequendum, vel fugiendum.

82 Denique generaliter contra omnes sensus internos arguitur. Nam ea, quæ dicuntur esse officia eorum, sicut discernere inter obiecta sensuum externorum cognoscendo unum non esse aliud, & inter sensationes cognoscendo differentias eorum: item apprehendere quod hoc sit nocivum, & illud utile, non potest fieri sine aliqua compositione, & divisione obiectorum, eorumque ad invicem collatione, & consequenter sine aliquo iudicio, quod est actus intellectus. Cùm ergo in brutis non sit intellectus, dicendum videtur, quod suas sensationes non cognoscunt nisi in ipso exercitio eliciendi eas: & consequenter per suosmet sen-

sus externos exercitè tantum illas attingunt, non signatè, & quasi reflexè per autem alterius potentiarum. Utilitates verò, & nocumenta omnino videntur non cognoscere; sed ad solam apprehensionem alicuius qualitatis sensibilis excitatur in eis per quandam sympathiam, vel antipathiam appetitus prosequendi, vel fugiendi res utiles, aut nocivas.

83 Resp. ad 1. Quod obiecta sensuum externorum, & sensationes eorum habent diversam cognoscibilitatem in ordine ad potentiam cognoscendam utrumque primariò, & ex aequo, non autem in ordine ad potentiam cognoscendam unum ratione alterius, & per speciem alterius. Sensus autem communis cognoscit primario sensationes sensuum externorum, & ratione earum cognoscit obiecta, quorum sunt sensations: quia non potest cognosci sensatio; v. gr. visio, nisi ex vi eiusdem cognitionis cognoscatur aliquomodo color, qui est obiectum visionis. Potest tamen) & per hoc fit satis tacitæ replicæ) cognosci obiectum, quin cognoscatur sensatio eius: sicut potest videri color, quin visio videatur, vel sentiatur à potentia visiva. Et intellectus non potest per actum reflexum cognoscere suum actum direc-

Etum , nisi simul per eundem actum reflexum cognoscat obiectum actus directi ; potest tamen cognoscere obiectum actus directi , quin ipsum actum directum attingat *ut quod*.

84. Et per hoc patet ad 2. Nam sentire colorem per se primo , & per speciem immediate repräsentantem ipsum est vide-re ; non est autem videre sentire colorem per speciem repräsentantem ipsam sensationem coloris. Hoc enim non est propriè sentire colorem , sed sentire sensationem coloris. Vnde non sequitur quod sensus communis videat , vel audiat. Ad 3. Resp. Quod etsi ratio communis sub qua attinguntur sensations externæ à sensu communi , non habeat speciale nomen , quo significetur : non ideo negandum est eam dari , cum omnes sensations externæ conveniant in eo quod sunt immutations immediate causatæ à qualitatibus sensibilibus exte-nis. Neque enim qualitats tangibles , quæ ab unico sensu tactus attinguntur , habent speciale nomen significans eam rationem , sub qua à sensu tactus attinguntur , cum inter se sint specie , & genere diversæ.

85. Ad 4. Responderi potest ex Colleg. D. Thomæ eli-gendo primam partem dilem-

matis , & dicendo sensum com-monem simul , & in eodem tempore cognoscere omnes sensations externas , quæ simul fiunt , nec aliter posse eas dis-cernere : item quod per plures species eas cognoscit. Negatur tamen quod eas cognoscat per plures actus , dum simul fiunt : quia licet species sint plures , sunt tamen inadæquatæ respe-ctu sensus communis , & ideo non causant nisi unicum actum. Sicut in charta videmus simul unica visione albedinem papyri , & nigredinem characterum : & in speculo videmus unico actu plures imagines obiectorum , quas utique discernimus , & unaquæque suam propriam immittit speciem in visum no-strum.

86. Ad 5. Resp. Species , quas cognoscit phantasia , esse distinctas ab eis , per quas cog-noscit sensus communis , simi-lis tamen eis : & producuntur ab ipsis obiectis , quæ repré-sentant , non quidem immedia-te , sed mediantibus speciebus , per quas sentiuntur à sensu communi. Quod docet Div. Thomas 4. contr. Gent. cap. 114 dicens : *Sensibile externum formam suam ingerit exterioribus sensibus , à quibus procedit in imaginationem , & ulterius in memoriam thesaurum.* Potest etiam dici , quod sicut species seu

Seu imago causata in speculo ab obiecto habet virtutem causandi aliam speciem in oculo : ita species obiectorum , & sensationum causatae in sensu communi habent virtutem causandi aliam speciem similem in phantasia.

87 Ad 6. neg. min. Ad eius prob. Resp. Quod sensus communis recipit species immediate à sensationibus , & ideò cognoscit eas , scilicet sensationes , phantasia verò recipit species immediate ab speciebus causatis in sensu communi , & solum mediate à sensationibus , & obiectis : ideòque non cognoscit sensationes , nec dum fiant , nec postquam factæ sunt , sed species earum . Sicut videns in speculo , etiamsi simul fiant species obiecti , quod habet à tergo , in oculo videntis , & in speculo , non videt obiectum , sed imaginem eius , quæ fit in speculo : quia species , per quam videt , non causatur immediate ab obiecto , sed mediante imagine causata in speculo .

88 Ad 7. neg. ant. Ad eius prob. Resp. quod intentiones , quas apprehendit aestimativa , repræsentantur per species distinctas ab eis , quibus repræsentantur obiecta oliorum sensuum . Et cum dicitur , nullam esse causam productivam hanc specierum ; respondeatur

causam esse ipsa sensibilia externa , licet non in quantum sensibilia externa , id est secundum qualitates sensibiles per sensus externos : sed secundum alias qualitates vel affectiones , quæ latent sensus externos , cuiusmodi sunt rationes utilis , & nocivi . Ad modum quo eadem res ; v. gr. pomum ut est quid coloratum causat speciem in visu , & non in gustu : sed ut est saporosum causat speciem saporis in gustu , & non in visu . Quod autem huiusmodi species causentur à sensibilibus externis , patet ex verbis Div. Thomæ immediate citatis ex 4. contra Gent. Dicit enim quod species immissa à sensibili exteriori procedit in memoria thesaurum . Secundum eum autem species , quæ asservantur in memoria , sunt species earum intentionum , quæ non percipiuntur per sensus externos : sicut phantasia servat species formarum sensibilium , quæ per tales sensus percipiuntur .

89 Ad 8. neg. ant. Ad eius prob. dicendum est , quod illa apprehensio somniantum est operatio aestimativæ , quæ ad apprehensionem phantasie imaginantis qualitates sensibiles earum rerum , in quibus sunt illæ intentiones utilis , & nocivi , excitatur in suum actum , sicut in vigilia excita-

tur per realem sensationem eamdem qualitatum. Vel dici potest, esse operationem memoriae actualiter recolentis species earum intentionum, quas apud se habet. Nec appetit inconveniens in eo quod aestimativa, vel memoria operentur in dormientibus. Ad ultimum resp. omnia illa ibi enumerata exercitia sensuum sive externorum, sive internorum posse fieri sine discursu, & iudicio intellectus; sicut viros discernit inter album, & nigrum, & cognoscit hoc esse album, & illud nigrum per solam sensationem utriusque qualitatis.

§. V.

De potentia appetitiva, & loco motiva.

Hucusque dictum est de potentijs cognoscitivis animæ sensitivæ, quæ dicuntur sensus: restat nunc aliquid dicere de potentia appetitiva seu appetitu, qui consequitur ad cognitionem sensitivam, sicut appetitus rationalis, qui dicitur voluntas, sequitur ad cognitionem intellektivam. Potentia vero loco motiva consequitur ad appetitivam: quia ex eo quod animal appetit, vel fugit aliquid apprehensum per sensum tamquam conveniens,

vel disconveniens, movetur de uno loco ad alium ad querendum illud, vel vitandum. Est ergo potentia appetitiva illa, qua animal prosequitur obiecta apprehensa per sensum ut convenientia, vel retrahitur ab illis apprehensis ut disconvenientibus; actus enim appetitivus circa bonum dicitur prosecutio, vel amor, actus vero circa malum, seu disconveniens dicitur fuga, vel odium.

91 Potentia appetitiva dividitur in concupisibilem, & irascibilem. Concupisibilis habet pro obiecto bonum, vel malum sensibile, quod est deletabile, vel dolorosum secundum se, & simpliciter sumptum. Passiones eius sunt amor, gaudium, tristitia, & odium. Irascibilis autem habet pro obiecto bonum, & malum sensibile arduum, id est bonum, quod cum difficultate potest obtineri, & malum quod cum difficultate vitari potest. Passiones eius sunt spes, & audacia ad agendi difficultia, & repellenda impedimenta, quæ occurruunt in consecutione rei concupitæ: item desperatio, & timor, qui contrariatur spei, & retrahit a prosecutione obiecti concupiti cedendo difficultati.

92 Circa potentiam loco motivam sciendum est, eam esse potentiam animæ sensitivæ, tum

tum quia in Solis animalibus invenitur: tum quia secundum quod est progressiva, & per eam animal se transfert de loco ad locum, eius actus imperatur ab appetitu sensitivo prætupponente apprehensionem alienius sensibilis allicientis, vel retrahentis ut dictum est. Coeterum quantum ad alios motus potentia loco motiva non dependet à sensu, nec ab appetitu, ut patet in motu cordis, qui procedit omnem cognitionem, & appetitum. Talis enim motus cum sit ab anima, quæ non est immediatè operativa, debet procedere ab aliqua potentia loco motiva.

93 Rursus sciendum est, quod animal per potentiam loco motivam movet se, & moveat alia, ut patet per experientiam, & in vitroque motu vitaliter se gerit, & operatur: tametsi per motum, quem causat in alijs extra se, non vivat animal, quia illum in se non recipit. Vivit itaque animal movendo aliquid extra se per motum, quem causat in se: quia non nisi movendo se localiter, vel aliquam sui corporis partem movet alia, ut etiam per se patet. Ex quo ducitur non esse ponendam duplensem potentiam loco motivam, vnam qua animal moveat se localiter, aliam qua moveat aliquid

extra se: sed per vnam, & eandem potentiam vtrumque facit modo dicto.

94 Difficultas tamen est, vtrum hæc potentia loco motiva sit potentia passiva? Quidam enim Thomistæ apud Colleg. D. Thomæ affirmant, & dicunt potentiam loco motivam, quatenus se tenet ex parte membrorum, esse potentiam pure passivam, scilicet habilitatem quandam membrorum ut moveantur ex im perio appetitus sensitivi; quidquid vero activitatis est in potentia loco motiva residere in appetitu sensitivo imperante, & activè causante motum. Quod quidem nituntur probare ex D. Thomâ I. part. quæst. 75. art. 3. ad 3. vbi ait: *Vis motiva exequens motum est per quam membra corporis redundunt habilia ad obedientium appetitui: cuius actus non est movere, sed moueri.* In quibus verbis expresse docet, quod vis motiva exequens, quæ sola distinguitur à vi motiva imperante, appetitu scilicet, consistit in habilitate membrorum, & quod eius actus non est movere, sed moueri: ergò potentia loco motiva ut distincta ab appetitu sensitivo est potentia passiva.

95 Coeterum hæc sententia convincitur falsitatis primò ex dictis. Quia eadem ratione, quæ


in corde ponenda est potentia loco motiva , ponenda etiam est in alijs membris pro motibus , quibus animal movet se ipsum localiter : sed activitas potentiae loco motiva in corde non consistit in appetitu sensitivo , cum motus cordis praecedat omnem operationem sensus , & appetitus , nec subiaceat imperio eius : ergo nec activitas potentiae loco motiva aliorum membrorum. 2. Quia vires illae , quae ponuntur partes nutritivae , scilicet attractiva , & expulsiva sunt potentiae activae , quartum activitas non potest consistere in imperio appetitus ob rationem dictam , quia scilicet nutritiva non dependet in suis actibus à sensu , vel appetitu : sed tales vires sunt potentia loco motiva , qua animal vel attrahit alimentum , vel expellit superfluum eius , vt supra dictum est : ergo iam datur potentia loco motiva distincta ab appetitu sensitivo. 3. Nam vis exequens motum , qualis est iuxta D. Thomam vis motiva residens in membris , activè causat motum exequendo illud ; exequi enim motum non est pure recipere illum : sed haec activitas executiva distincta est ab activitate appetitus , sicut exequi distinguitur ab imperatore : ergo præter vim activam imperativam motus , quae est

in appetitu ; datur alia vis activa executiva in membris.

96 Quare ad authoritatem D. Thomæ dicendum est , quod habilitas membrorum ad obedientium imperio appetitus habet aliquid de passivo , & aliquid de activo . Est quidem passiva , in quantum membra moventur ab appetitu : est autem activa , in quantum membra per hanc habilitatem movent se ipsa mota ab appetitu ; nam membra cum constent ex corpore , & anima , vivunt per suos motus , consequenterque debent illos in se causare , & se movere . Ad hoc ergo moventur ab appetitu sensitivo , vt scilicet moveant se , & movendo se obediunt appetitu imperanti . inò imperante non est nisi respectu eius , quod activè se habet : illud enim , quod pure passivè recipit motum ab alio , non dicitur obedire imperanti , sed pati ab agente . Quod autem D. Thomas dicit , actum scilicet huius potentiae ex quentis non esse movere , sed moveri , intelligendum est de movere imperativè , quod solùm pertinet ad appetitum , non de movere executivè : quia ut dictum est , quod exequitur motum , illum activè causat , & consequenter movet executivè .



DIS.



DISPUTATIO III.

DE POTENTIJS ANIMÆ rationalis.

QUÆST. I.

Vtrum detur intellectus agens realiter distinctus
à possibili?

§. I.

Respondetur affirmativè, & probatur.

Supposito cum fide catholica animam rationalem esse spiritualem, & immortalem, ea solum, quæ ad eius potentias pertinent, & dubia sunt inter Philosophos, in hac disputatione discutiemus. Potentiae igitur animæ rationalis, quæ communiter assignantur, sunt memoria, intellectus, & voluntas: quæ omnes sunt poten-

tiæ spirituales, & immateriales; non affixæ nec existentes in organo corporali, sequuntur enim ad animam, quatenus rationalis, & intellectiva est. Et quia actus intelligendi non fit per aliquod organum corporale, sicut fit actus sentiendi: consequens est quod nec ipsa potentia intellectiva sit in organo corporali; idemque est de actu voluntatis, & memoriz.

2 Intellectus itaque , qui est prima , & præcipua animæ rationalis potentia , est illa facultas animæ , qua percipimus quidditas rerum , & rationes vñiversales earum abstractas à singularitate , & conditionibus individualibus, scilicet ab hic , & nunc: v. gr. rationem entis, substantię , & accidentis : quidditatem hominis , animalis , &c. Per quod patet differentia intellectus à sensu : nam sensus solum cognoscit singularia , & hæc quatenus sensibilia sunt , id est affecta qualitatibus sensibilibus ; nulloque modo penetrat quidditates rerum , & essentias adhuc ipsarum qualitatum sensibilium , quas percipit. Intellectus autem rationes vñiversales , & quidditativas rerum penetrat abstrahendo ab omni sensibili , & ab omni singulari: vt experimur in nobis cum formamus conceptum abstractum hominis nihil curando de qualitatibus sensibilibus , quibus in individuis afficitur , nec de ipsis individuis , in quibus realiter est natura humana.

3 Sed contra hoc , etiam si ut omnino certum ab omnibus supponatur , dices , quod etiam sensus videtur attingere vñiversalia. Nam obiectum visus; v. gr. non est aliquis color singularis , nec aliqua species coloris , sed ratio communis , &

generica coloris : nec item vi-
sus dum videt movetur à colo-
re quia talis color in indivi-
duo est , vel quia est in tali sub-
iecto , nec quia est talis species
coloris ; aliás non posset videre
nisi hunc colorem in individuo ,
vel hanc speciem coloris , quod
constat esse falsum : movetur
ergò visus à ratione communi
coloris. Sed potentia non po-
test non attingere id , à quo
movetur , & quod est suum ob-
iectum motivum : ergò visus
cognoscit rationem commu-
nem coloris , & consequenter
cognoscit vñiversale.

4 Præterea. Suprà diximus ,
quod sensus communis dicernit
inter obiecta sensuum externo-
rum , v. gr. inter album , & dul-
ce : certum est autem quod non
discernit inter ea quatenus sin-
gularia præcisè , id est quatenus
sunt hoc album , & hoc dulce:
sed absolute discernit album in
quantum album à dulci in quan-
tum dulci: ergo cognoscit ratio-
nes , & quidditates albi , & dul-
cis in quantum tales , & vt ab-
stractas à singularibus , in qui-
bus sunt. Idem argumentum
potest fieri de quolibet sensu
externo respectu sui obiecti.
Nam etiam visus discernit al-
bum à nigro , non præcisè quia
vnum est hoc album , & aliud
est hoc nigrum , sed discernit
album quia album à nigro quia
ni-

nigro: ergo cognoscit differentias specificas utriusque in quantum tales, & ut abstractas ab individuis; consequenterque cognoscit species coloris, in quantum species sunt, quod est cognoscere universalis.

5 Resp. ad utrumque arg. quidquid sit de intelligentia huius communis dicti, scilicet quod obiectum motivum, & specificativum visus (& idem de alijs potentijis) est ratio communis coloris, quod nunquam potest dari in visu species representans rationem communem, & abstractam coloris: sed necessariò species debet representare determinatum colorem tam secundum speciem, quam secundum individuum, quia visus non potest videre nisi colorem in individuo. Et hoc sufficit ut non possit attingere universalis, sicut potest intellectus, in quo sunt species representantes naturas rerum abstractas, & in universalis. Quod autem visus non moveatur à colore, quia talis speciei, vel quia talis in individuo, solum probat, eum moveri posse ab alia specie coloris, & universaliter à quocumque colore.

6 Vel aliter responderi potest, quod obiectum motivum visus non est ratio communis coloris, quatenus communis; sed est ratio coloris ut existens

in aliquo singulari, & individuo colore. Nec ideo sequitur, quod aliquis particularis color sit obiectum formale motivum, vel terminativum visus: quia singularitas coloris non se habet ut ratio movendi, sed ut conditio indispensabiliter requisita ad hoc ut color in exercitio moveat visum: cuius ratio est, quia visus non potest recipere nisi speciem representantem colorem in singulari, ut dictum est.

7 Circa divisionem autem intellectus est non modica difficultas. Nam Philosopus, & cum eo D. Thomas, quem sequuntur omnes Thomistæ, & ferè omnes Philosophi ponunt duplicum intellectum, unum agentem, & alium passibilem seu possibilem. Intellectus agens est qui producit species intelligibiles rerum materialium abstractendo eas à conditionibus individualibus, cum quibus res materiales representantur in phantasmatis. Phantasmata autem sunt species existentes in phantasia, vel alijs sensibus internis. Ex hac ergo abstractione intellectus agentis resultante species representantes res in universalis, & sine singularitate. Intellectus possibilis, vel passibilis est qui recipit huiusmodi species intelligibiles: qui ideo dicitur passibilis, quia reci-

piendo species patitur ab obiectis, vel ab intellectu agente; possibilis vero dicitur, quia per receptionem huiusmodi specierum potest fieri quodammodo omnia, scilicet intentionaliter, & intelligibiliter. Cum enim species sint similitudines rerum, quarum sunt species, intellectus eas recipiens assimilatur omnibus rebus, & sic eas cognoscit. Vnde Philosophus dicit, quod intellectus possibilis est, quo est omnia fieri; sicut intellectus agens est, quo est omnia facere, quia per actionem eius fiunt species omnium rerum, quæ quodammodo sunt ipsæ res.

8 Quod igitur vterque hic intellectus in nobis ponendus sit, probatur sic. Nam intellectus non potest intelligere sine speciebus intelligibilibus, vt pro nunc supponimus: ergo debet eas in se recipere, & eis informari vt eliciat intellectiōnem: & sic necessariò est in nobis intellectus recipiens species, & medijs eis intelligens, qui est intellectus possibilis. Rursus istæ species ab aliquo debent causari, vt per se notum est: sed non possunt causari nec ab obiectis prout sunt in se extra intellectum, nec à phantasmatibus, id est ab speciebus sensibilibus, quæ sunt in phantasia, seu imaginativa: ergo pos-

nenda est in anima aliqua potentia, quæ sit factiva harum specierum, & hæc est intellectus agens. Min. prob. Nam obiecta in se ipsis sunt materialia, & ideo non possunt immediate imprimere in intellectum, qui est potentia spiritualis: species etiam quæ in intellectu recipiuntur, sunt immateriales sicut ipse intellectus: ergo non possunt produci ab obiectis materialibus. Eadem ratione nec phantasmatæ se solis possunt esse causa specierum intelligibilium, quia nimis phantasmatæ sunt etiam quid corporalium, & materiale, cum sint in potentia, & organo materiali.

9 Si dicas, quod species intelligibiles causantur à solo Deo: & ideo non est necesse ponere in nobis aliquam potentiam activam, quæ sit factiva talium specierum. Contra est primò. Quia si à solo Deo causarentur, non indigeremus ministerio sensuum ad eas habendas, cuius contrarium experientia docet. Videmus enim, nos non posse habere species universales, & intelligibiles rerum, nisi dependenter ab operatione sensuum, quibus apprehendimus singularia, & postea per abstractionem à conditionibus individualibus acquirimus species intelligibiles.

Con-

10 Contra secundò. Nam ut arguit D. Thomas, Deus non minus providit causis secundis ad operationes, & effectus ordinis intelligibilis, quam ad operationes, & effectus naturales: sed in ordine naturali non ipse solus inducit formas in materia, sed dedit agentibus naturalibus virtutes activas, ut efficerent naturales effectus, & educerent formas de potentia materiae: ergo pariter respectu effectuum intelligibilium providit de virtutibus activis, quibus tales effectus educerentur de potentia eius, quod in tali ordine se habet ut materia qualis est intellectus possibilis. Debet ergo dari in nobis intellectus, qui se habeat ut agens in ordine intelligibili, sicut datur intellectus, qui se habet ut patiens, & ut materia respectu specierum intelligibilium.

11 Ceterum quia posset aliquis dicere, quod esto admittendus sit intellectus agens, & possibilis propter rationem factam, tamen non est necessarium quod sit duplex potentia realiter distincta; sed una, & eadem potentia potest esse factiva specierum, & sub hoc munere dici intellectus agens: & simul potest esse receptiva earum, & in quantum talis dicitur intellectus possibilis. Ad

modum quo idem intellectus possibilis cum sit unica tantum potentia, est activus, & passivus simul respectu suæ actionis intellectivæ, quia illam activè efficit, & simul in se recipit: item idem intellectus respectu speciei expressæ, quam activè format, & causat, est etiam passivus quia illam etiam in se recipit.

12 Propter hæc P. Suarez apud Colleg. D. Thomæ tenet intellectum agentem, & possibilem esse unam tantum potentiam: quare nobis restat probandum oppositum, quod sine dubio est de mente D. Thomæ. Prob. autem sic. Nam species se habet ut com principio intellectus, ad quam simul cum intellectu concurrit sive in genere causæ efficientis, sive in genere causæ formalis, ut a sententijs abstrahamus: sed repugnat unam, & eandem potentiam esse activam respectu eius, quod est principium suæ operationis: ergo repugnat, intellectum, cuius operatio est intellectio, esse potentiam activam respectu specierum: & consequenter debet assignari alia potentia distincta realiter ab intellectu possibili ad producendas species intelligibiles. Cetera constant, & min. prob. Nam intellectus non potest causare illud, quod est principium

pium suæ intellectonis per eandem intellectiōnem: quia intellectio præsupponit suum principium, & est posterior illo: vnde non potest principium esse effectus intellectiōnis. Deinde non potest producere tale principium per aliam actionem distinctam ab intellectione, quia potentia habens actionem, quæ non sit intellectio, non potest esse realiter idem cum potentia elicitiua intellectiōnis; potentia enim distinguntur per suos actus, & operationes: ergo si operationes sunt distinctæ realiter, etiam potentiae debent realiter distingui.

13 Nec obstat id quod in contrarium dicitur de intellectu possibili, qui simul producit, & recipit suam intellectiōnem, & speciem expressam; constat enim disparitas ex dictis. Nam neque intellectio est principium sui ipsius, nec verbum seu species expressa est principium intellectiōnis, sed potius effectus eius. Principium autem concurrens simul cum potentia ad productionem tam intellectiōnis, quam speciei expressæ est ipsa species impressa: & ideo bene potest intellectus etiam si passivè se habeat recipiendo intellectiōnem, & speciem expressam, simul activè producere eandem intellectiōnem tamquam operatio-

nem, & media intellectione speciem expressam tamquam effectum eiusdem intellectiōnis, quia videlicet neutra se habet ut comprincipium simul cum intellectu, sicut se habet species impressa.

14 Hinc etiam lucem accepit ratio, quam D. Thomas insinuat, dum docet distinctionem realem inter intellectum agentem, & possibilem i. part. quæst. 79. art. 10. dicens: *Intellectus agens, & possibilis sunt diversæ potentiae, sicut, & in omnibus est alia potentia activa, alia passiva.* Vbi ex præcisa ratione potentiae activæ, & passivæ probat distinctionem realem intellectus agentis, qui se habet activè ad species, ab intellectu possibili, qui se habet passivè recipiendo illas; cum tamen videatur eius rationem habere instantiam in potentia activa, & passiva intellectiōnis, & speciei expressæ, quæ una, & eadem realiter est, scilicet intellectus possibilis.

15 Cœterum S. Doct. loquitur præsupponendo naturam speciei impressæ, de cuius ratione est constituere intellectum, vel saltim completere in ratione principij activi intellectiōnis: quo supposito recte procedit ratio D. Thomæ: quia respectu eius, quod est com-

prin-

principium intellectus, non potest intellectus se habere activè propter dicta, se debet se habere pure passivè. Potentia autem, quæ pure passivè se habet respectu alicuius formæ, certum est quod realiter distinguitur à potentia activa, & productiva eiusdem formæ quævis respectu alicuius, quod non est principium operationis, sed potius est ipsa operatio vel effectus operationis, possit una eademque potentia esse simul activa, & passiva, ut continetur in omnibus potentijis immaterialiter operantibus.

§. II.

Solvuntur argumenta, & explicatur quomodo intellectus agens concurrat ad productiōnem specierum.

16 **C**ontra istam tamen sententiam arg. 1. Quia in sensibus non datur sensus agens, qui sit factivus species sensibilium: ergo nec ponendus est intellectus agens. 2. Quia operatio intellectus agentis non est intellectio, alias non distingueretur realiter ab intellectu possibili: sed id, cuius operatio non est intellectio, non est intellectus: ergo intellectus agens non est vere, & realiter intellectus, vel non est

distinctus ab intellectu possibili. 3. Quia non satis intelligibile est, quomodo intellectus agens possit in genere causæ efficiens producere species intelligibles; non enim potest hoc facere per actionem immaterialem, cum actio intellectus agentis recipiatur in intellectu possibili, quem respicit tamquam passum, & in quo recipiuntur species intelligibles. Neque etiam actio eius potest esse transiens, quia sic non esset actio vitalis: ergo fictitia est potentia activa efficienter producens species intelligibles.

17 Quartò. Nam obiecta ipsa medijs phantasmatibus possunt producere in intellectu species intelligibles, & universales: ergo superfluit intellectus agens ad eas producendas. Ant. prob. Species sensuum interiorum producuntur ab obiectis externis, ut supra diximus: & tamen tales species habent aliquam immaterialitatem, quam non habent qualitates sensibiles obiectorum, à quibus fiuntur species enim coloris non est ita materialis in diaphano, vel in oculo, sicut est in re visibili color ipse, à quo emittitur: ergo non obstante quod phantasmatata sint materialia, & repræsentant obiecta cum conditionibus individualibus, poterunt producere in intellectu possibili spe-

Species immateriales repræsentantes naturas sine talibus conditionibus.

18 Quintò. Iuxta Philosophum, & D. Thomam intellectus agens se habet ad phantasmat, sicut lux ad colores: sed lux non se habet activè efficienter ad producendas species colorum, sed ad summum se habet ut forma actuans colores, & medium illuminando utrumque: ergò nec intellectus agens erit causa efficiens specierum. Et cum ad cognitionem intellectivam nullum intercedat medium, quod debeat illuminari ut in eo fiant species; sequitur quod nec in genere causæ formalis posuit intellectus agens concurre ad productionem specierum.

19 Denique. Sententia ponens intellectum agentem fundatur in eo quod intellectus indiget speciebus impressis ad intelligendum: sed hoc tam incertum, vel magis est quam existentia ipsius intellectus agentis, pluribusque subiaceat difficultatibus; unde, & ab aliquibus non admittantur tales species nec in intellectu, nec in sensu: ergo.

20 Resp. ad 1. neg. consequiam. Ratio disparitatis est, quia species sensibiles repræsentant obiecta eo modo

quo sunt extra intellectum, id est, repræsentant accidentia sensibilia, & conditiones individuales, cum quibus obiecta sunt ad extra: & ideo tales species possunt causari ab ipsis obiectis, nec pro eis requiritur sensus agens. Species vero intelligibiles repræsentant res in universali, & cum abstractione à materia sensibili, & singulari; unde non possunt emanare ab obiectis, sed debent fieri ab aliqua potentia spirituali abstrahente à conditionibus singularibus.

21 Dices: ex hoc sequitur, intellectum nostrum non posse cognoscere singularia; quod constat esse falsum. Sequela prob. Quia per species repræsentantes naturas abstractas à singularibus, & accidentibus sensibilibus non potest cognoscere ipsa singularia; alias posset cognoscere aliquid, cuius speciem non haberet: & sic superfluerent species. Resp: quod iuxta D. Thomam intellectus noster pro hoc statu non cognoscit directè singularia: hoc enim modo solus sensus cognoscit ea. Ab intellectu autem nostro cognoscuntur indirectè, & per quandam reflexionem, quatenus intellectus reflectens suprà suum actum, & supra species, quibus cognoscit, convertit se ad phan-

phantasmata, à quibus abstractæ fuerunt tales species: & cognoscendo phantasmata cognoscit singularia. Sed de hoc videndi sunt Thomistæ.

22 Ad 2. neg. min. Quia intellectus agens non dicitur intellectus, eò quod intelligat, vel eliciat intellecionem, sed quia agit species, quibus elicetur intellectio: ideoquè non vocatur absolute intellectus, sicut intellectus possibilis, sed cum addito scilicet agens.

23 Ad 3. resp. Quòd actio intellectus agentis non est vitalis, quia si esset vitalis, esset actio intellectiva, seu intellectio. Cùm enim non sint nisi quatuor modi vivendi, scilicet vegetativum, sensitivum, loco motivum, & intellectivum: consequens est, quod nulla sit actio vitalis, quæ non sit vegetatio, sensatio, motus localis, vel intellectio. Constat autem, quòd actio intellectus agentis non est aliqua ex tribus primis: ergo si est vitalis, debet esse intellectio; quòd esse non potest. Nec tamen existimandum est, quod talis actio sit aliquid receptum in intellectu possibili: quia intellectus agens non agit immediate in intellectu possibili, sed in phantasmata illuminando, & illustrando ea: & ipsa phantasma sic illuminata producunt

speciem intelligibilem in intellectu possibili virtute luminis, quod participant ab intellectu agente.

24 Nec adhuc credendum est, quòd hæc actio recipiatur in phantasmatis: quia non est actio transiens, nec fit cum motu, nec est actio causata ab ipso intellectu; sed consistit solum in motione Dei, moventis intellectum, ut diffundat suum lumen suprà phantasmata. Ad modum quòd in illuminatione solis, non datur aliqua actio causata à sole, sed per solam motionem Dei, in se receptam causat lumen ad extra. Et hæc est ratio, quare illuminatio non est motus, sed mutatio instantanea: quia nimirum licet sol producat lumen in passo; v. gr. in aère, non producit illud, per aliquam actionem à se elicitam, quæ sit fieri ipsius lucis, sicut accidit in alijs qualitatibus, quæ fiunt successivè. Si enim in generatione lucis daretur actio elicta à luxinoso, illa esset aliquid fieri ipsius lucis distinctum à facto esse eiusdem lucis; & cum fieri distinctum à facto esse non possit esse simul cum facto esse, quia tale fieri est via, & factum esse est terminus, & nihil potest esse simul in via, & in termino: sequeretur, quòd lux non fieret in instanti, sed per

motum , & in tempore . Sicut ergo fit illuminatio aëris per solem , ita fit illuminatio phantasmatum per intellectum agentem .

25 Cœterū , vt hæc clariū intelligantur , & ampliū explicetur officium , & natura intellectus agentis , sciendum est ex Div. Thoma 2. contra Gent. cap. 77. quod intellectus agens se habet respectu phantasmatum , sicut oculi quorundam animalium , qui de nocte illuminant obiecta , in quæ diriguntur , vt suprà diximus de oculis fellium . Sicut ergo oculi istorum animalium sunt quædam luminosa , quæ ratione lucis , quam in se habent , possunt diffundere lumen in obiecta , ita ut ea visibilia faciant : ita intellectus agens est , quædam lux spiritualis in anima potens diffundere lumen in phantasmata . Et sicut colores obiectorum materialium illustrati illo lumine , quod de oculis animalium egreditur , emittunt speciem sui usque ad oculos corundem animalium , & sic videntur : ita imagines obiectorum , quæ sunt in phantasia , illustratæ lumine intellectus agentis producunt speciem intelligibilem corundem obiectorum in intellectu possibili .

26 Rursus sicut animalia ita non vivunt , per hoc quod

extra se emittant lumen , quia illud eodem modo emittant , quo sol emitit suum , & quodlibet aliud luminosum ; sed solum vivunt per actionem antecedentem , qua dirigunt oculos in obiecta , & per subsequentem , qua intuentur , & vident ea : ita actio intellectus agentis diffusiva luminis in phantasmata non est vitalis ; est tamen vitalis actio subsequens , qua intellectus possibilis intelligit obiecta informatus specie , quam intellectus agens abstraxit à phantasmatibus . Actio vero præcedens illam diffusionem luminis , si aliqua ponenda est , qua intellectus agens applicetur , & quasi dirigatur ad phantasmata , erit vitalis , si sit voluntaria : quia tunc per actionem voluntatis applicabitur intellectus agens ; si vero non sit à voluntate talis applicatio , nulla erit actio vitalis prædens .

27 Per quod obviari potest cuidam replicæ , quæ contra istam doctrinam fieri potest . Potest enim aliquis dicere , quod intellectus agens vitaliter illuminat phantasmata , & abstrahit ab eis species intelligibles : si quidem quando voluntus , abstrahimus species . Patet , inquam , solutio : nam vitalitas non stat formaliter in ipsa emissione luminis , sed in

applicatione , qua voluntas applicat intellectum agentem , ut diffundat suum lumen ; sicut in oculis animalium stat vitalitas in motione , qua se movent versus obiecta , quæ debent illuminare ; non in ipsa illuminatione .

28 Dices tamen adhuc : actio intellectus agentis diffusa luminis subordinatur animæ veluti principio radicali , cum intellectus agens sit virtus proxima , media qua ipsa anima operatur : ergo actio illa prout procedit ab anima est vitalis , quia anima non potest operari per actionem , quæ non sit vitalis : ergo etiam est vitalis talis actio prout ab intellectu agente . Patet hæc consequentia , tūm quia eadem est actio principij radicalis , & proximi : consequenterquè si actio unius est vitalis , debet etiam esse vitalis actio alterius . Tūm , quia si actio intellectus agentis non esset vitalis , nec ipse intellectus agens esset potentia vitalis , & consequenter non esset potentia nec virtus proxima animæ , cuius omnes potentiae sunt vitales .

29 Ad hanc replicam dici potest , quod non est inconveniens ponere in anima aliquam potentiam , & operationem , quæ non sit vitalis : dummodo talis potentia , & operatio de-

serviant ad aliam operationem vitalem subsequentem , & usus , & applicatio talis potentiae dependeat ab anima vitaliter illam applicante modo quo dictum est . Et potest adhiberi exemplum de potentia generativa animalis , quæ residet in semine , & operatur quando semen est decisum , & separatum ab animali . Actio ergo seminis separati non est vitalis ita quod per illam vivat ipsum generans , à quo decisum est , quia multoties generans mortuum est , quando semen operatur : sed est vitalis , quia est productiva viventis . Similiter potentia generativa non est vitalis , quia sit activa alicuius actionis receptæ in generante , per quam illud vivat ; sed solum quia vitaliter talis potentia applicatur , à generante per motum vitalem , vel alio modo . Unde dūm dicitur in replica , quod intellectus agens , & eius actio subordinatur animæ , verum est ; ceterum ex hoc præcisè non habetur , quod sit potentia formaliter vitalis , sed solum quatenus vitaliter applicatur ab anima .

30 Quod si hæc non placent , dicatur ad 3. arg. quod actio intellectus agentis est vitalis formaliter , recipiturque in ipso intellectu agente , à quo caufatur : & est quidam motus ,

quo intellectus agens movet se, vt emittat lumen suum in phantasmata, eo genere motus quo intellectio, & aliæ operationes potentiarum spirituallium dicuntur motus. Nec obstat, quod intellectus agens diffundat lumen extra se in phantasmata: & deinde producat speciem intelligibilem in intellectu possibili: ob quod videatur actio eius esse transiens, & consequenter non vitalis. Non, inquam, obstat: quia non est contra rationem actionis immanentis, & vitalis producere effectum in passo ad extram, dummodo actio non transeat ad passum, sed maneat in agente. Videmus enim, quod manus movendo se vitaliter projicit lapidem, & per illum motum vitalem, quem in se ipsa causat, efficit in lapide alium motum.

31 Ad illud verò, quod in prima solutione diximus probando quod actio intellectus agentis non potest esse vitalis, quia non pertinet ad aliquod genus vivendi ex ibi assignatis, dici potest, quod modus vivendi, qui dicitur intellectivus, includit non solum actionem, quæ est intellectio, sed etiam actionem prærequisitam ad producendas species intelligibles; sicut intellectus, qui est potentia vitalis animæ in-

tellecitvæ includit non solum potentiam elicitivam intellectuonis, sed etiam factivam specierum, quæ est intellectus agens.

32 Ad 4. arg. resp. Quod etiam obiecta materialia indigent aliquo, quo iuventur, & constituantur in actu ad producendas species insensibus: ut patet in coloribus, qui necesse habent illustrari à lumine, ut emittant speciem sui in oculum. Et idem proportionaliter dicendum est de obiectis aliorum sensuum. Potiori ergo titulo indigebunt phantasmata luce intellectus agentis, ut possint producere species intelligibles.

33 Ex quo ad 5. resp. Quod lux materialis requiritur ad productionem specierum sensibilium ex parte colorum, & ex parte medij. Ex parte quidem medij se habet solum ut forma, qua diaphanum disponit ad recipiendas species colorum; sed ex parte colorum se habet ut virtus, qua redditur potentes diffundere speciem sui. Et hoc modo scilicet per modum virtutis activæ, se habet lumen intellectus agentis constitudo phantasmata habilia, & potentia producere species intelligibles.

34 Et ex hac doctrina intelligi potest id, quod docet D. Thomas, nimirum quod ad

producendas species intelligibiles concurrunt phantasmata simul cum intellectu agente; sed intellectus agens est causa principalis, phantasmata vero instrumentaliter concurrunt. Imprimis enim negari non potest, quod phantasmata concurrent ad producendas species: quia intellectus agens ex se est velut quædam virtus universalis indifferenter se habens ad omnes species intelligibiles. Sicut lux corporalis est indifferens ad omnes species coloris producendas: quod autem determinat producat hanc speciem intentionalem coloris præ alia, oritur ex eo quod irradiat super tam speciem coloris naturalis, & non super aliam. Vnde lux applicata ad albedinem producit speciem intentionalem albedinis, & sic de alijs coloribus.

35 Idem evenit in intellectu agente, qui ex se non est determinatus ad producendam speciem intelligibilem huius naturæ, v. gr. hominis, potius quam alterius: sed determinatur ad hanc præ alia ex concurso phantasmatis à se illuminati, quod representat individuum huius speciei, & non alterius. Vnde D. Thomas quæst. 10. de Verit. art. 6. ad 7. ait: *Actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem utriusque, & non secun-*

dum conditionem alterius tantum; & ideo intellectus possibilis recipit formas, ut intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum. Quidquid ergo intelligibilitatis habent species, habent ex lumine intellectus agentis: quod vero representent determinatas naturas habent ex phantasmatis, à quibus abstracti sunt. Quod autem concursus iste phantasmatum sit instrumentalis, patet: quia non virtute propria producunt speciem intelligibilem, sed virtute luminis participati ab intellectu agente. Vnde sicut semen est causa instrumentalis generationis viventis, quia virtus per quam agit, derivatur ab anima generantis, que est principalis causa viventis geniti: ita similiter de phantasmatis, & intellectu agente discurrentur.

36 Coeterum restat adhuc difficultas, quomodo scilicet lumen intellectus agentis, quod est spirituale, recipi potest in phantasmate, quod est quid corporeum, & materiale? Item dato quod tale lumen recipiatur in phantasmate, quomodo conducere potest ad producendas species intelligibiles, & universalales? Si enim phantasma-

ta non repræsentant nisi accidentia sensibilia, & singularia, & ex consequenti naturam, in qua sunt talia accidentia, vt singularē quod illustrentur lumine intellectus agentis, iuvare poterit, vt magis apparet accidentia singularia, & singularitas naturæ, in qua sunt; non autem ad hoc ut appareat natura vniuersalis abstracta à conditionibus individualibus. Sicut cum aliquid coloratum illustratur maiori lumine, magis apparet color cum omnibus, quæ ipsum in individuo comitantur: non autem apparet aliquid, quod non sit color, vel sit abstractum ab his, quæ colorem illum in singulari comitantur.

37 Resp. ad 1. Quod sicut anima rationalis non obstante, quod sit spiritualis potest recipi in corpore: ita lumen spirituale intellectus agentis recipi potest in phantasmatore corporo. Et si dicas, quod eadem ratione phantasma, vel species aliqua materialis ab ipso causata poterit recipi in intellectu possibili non obstante spiritualitate eiusdem intellectus: & sic superflua erunt species intelligibles, & immateriales, vt intellectus possibilis intelligat. Resp. quod adhuc hoc admissio, non ideo superfluunt species intelligibles: quia intellectus

maxime indiget cognoscere vniuersalia, quæ sunt proprium eius obiectum. Vniuersalia autem cognoscere non potest nec per phantasmatum, nec per speciem aliquam repræsentantem naturam cum conditionibus individualibus, qualis esset ea, quæ à phantasmatum solo virtute propria producetur in intellectu possibili, si posset produci.

38 Deinde nego paritatem: quia non est contra rationem rei spiritualis dicere ordinem per modum actus ad materiam, vt patet in anima rationali. Est tamen contra rationem spiritualitatis dicere ordinem per modum potentiarum & subiecti receptivi ad aliquid corporeum, & materiale: quia quod se habet ut subiectum receptivum rei materialis, & corporeæ, a fortiori est quid materiale, alias potentia esset actuallior, & immaterialior suo actu, quod repugnat.

39 Ad secundam difficultatem resp. quod revera lumen intellectus agentis non tollit à phantasmatum, quod repræsentet naturam cum singularitate, & conditionibus individualibus: hoc enim esset destruere ipsum phantasma, de cuius essentia est repræsentare imaginativæ res materiales cum talibus conditionibus. Facit tamen huius-

modi lumen, quod phantasma-ta possint producere speciem eius naturæ, quam repre-sen-tant, abstractam à conditioni-bus individualibus: & median-te hac specie apparet natura in-tellectui possibili vñiversalis, & abstrac-ta, qualiter non apparet in phantas-mate.

40 Notandum est tamen, quod etiam lux corporalis facit aliquam abstractionem à colo-ribus, eam scilicet quæ requi-ritur, vt possint viri potentia-visiva, & ab ea percipi. Ut enim ex definitione sensus tra-dita à Philosopho constat, ille est susceptivus formarum sine materiâ; quod quidem iuxta expositionem, quam supra dedi-mus cum D. Thoma, in eo con-sistit, quod forma, seu spe-cies colorum, quæ fiunt in visu, non afferunt secum illas dispo-sitiones, quas ex parte materiæ requirit color ut habeat esse na-turale. V. gr. color ut habeat esse naturale in corpore colo-rato, requirit determinatam tem-periem, & mixtionem pri-marum qualitatum, quia ex ta-li mixtione resolutat. Sed quia talis dispositio licet sit necessa-ria ad esse naturale coloris, tam-en ad esse intentionale, quod habet color in medio, & in oculo non conductit; inò potius obstat, quia nec medium, nec oculus possunt habere eam

dispositionem, quam habet sub-iectum coloris: ideo virtute lucis, quæ est qualitas propria corporum Cœlestium, in qui-bus non sunt primæ qualitates, abstrahit forma coloris à tali dispositione materiali, & ma-net pura, & quasi nuda species coloris: quo pacto potest actua-re medium, & oculum movere-que ipsum ad videndum colore.

41 Vnde etiam in hoc te-net similitudo lucis corporalis cum lumine intellectus agentis. Quia sicut lux actuando colores abstrahit eos à conditionibus materialibus, quas eorum esse naturale exigit, non quia re-vera tales dispositiones ab illis auferat, sic enim eos destueret, & corrumperet; sed quia dat illis virtutem, vt formas suas im-primeret sine illis disposi-tionibus, quæ obstant vñioni eorum cum potentia visiva: ita intellectus agens, ad quem se habent phantasmata sicut colo-res ad lucem, abstrahit ea à con-ditionibus individualibus, cum qui-bus inveniuntur in phanta-mia, & quæ impediunt vñionem sui ad intellectum. Abstrahit, in quam, præbendo virtutem, vt possint causare speciem re-præsentantem naturam, cuius sunt phantasmata, puram, & nudam à talibus conditionibus. Ad ultimum argumentum respondebitur quællione sequenti.

QUÆST.

QUÆST. II.

AN INTELLECTUS,
& sensus indigeant speciebus
impressis?

Q. I.

*Respondetur affirmativè, &
probatur.*

Species impressas vocamus formas rerum nō in esse naturali, quod habent ut in se sunt, sed secundum esse intentionale, quod habent in potentij cognoscivimus. Sunt ergo tales species quædam similitudines rerum, quibus potentiae cognoscitivæ actuantur, ut possint suos actus elicere. Istæ similitudines dicuntur concurrere ad cognitionem ex parte obiecti, non quia ipsæ sint obiectum cognitionis. Potius enim illæ non cognoscuntur à potentia, cum se habeant ex parte principij cognoscendi: vnde præcedunt ipsam cognitionem, & sunt medium, quo potentia iuvatur ad cognoscendum res. In tantum itaque se habent ex parte obiecti, in quantum nomine, & vice illius concurrunt ad cognitionem simul cum potentia. Dicuntur autem impressæ, quia imprimuntur potentiae

ab obiectis, vel ab alia causis per quod differunt ab specie expressa, quæ est quædam imago perfecta obiecti expressa ab ipsa potentia de obiecto ipso, seu de similitudine, quam sibi imprimit obiectum.

2 Circa hanc difficultatem communis schola Philosophorum, ut testatur D. Thomas quodlib. 8. art. 3. tenet, tam intellectum, quām sensum indigere speciebus impressis ad cognoscendum sua obiecta, easque immitti ab ipsis obiectis licet cum ordine quodam. Nam adsensus exteriores obiecta ipsa immediate, & per se immittunt species, quibus mediantibus transiunt ad sensus internos; ad intellectum autem perveniunt species mediantibus phantasmatibus. Verumtamen non desunt aliqui omnino negantes indigentiam specierum, inter quos est Durandus.

3 Sed tenenda est communis sententia, quæ prob. 1. ex illo prologo desumpto ex P. N. August. *Quod ab obiecto, & potentia paritur notitia: ergo obiectum est causa cognitionis sui simul cum potentia. Sed non potest simul cum potentia concurrere ad cognitionem sui, nisi sit unum cum illa: ergo obiectum debet esse unum potentiae, ut concurrat ad cognitionem sui. Sed obiectum prouidit*

Est in propria natura non potest
vniri cum potentia , quia lapis,
v.gr. per sui naturam non po-
test esse in oculo , vel in intel-
lectu : ergo debet vniri per ali-
quid, quod gerat vicem eius, &
aliquomodo sit ipsum obiectum
secundum esse scilicet intentio-
nale ; & hoc est species.

4 Prima minor subsumpta,
in qua est difficultas , scilicet
quod ut obiectum concurrat
simul cum potentia ad sui cog-
nitionem , debet esse vnitum ei-
dem potentiae , probatur in om-
nibus causis tam vniuersalibus,
quam particularibus : tam eius-
dem , quam diversi ordinis.
Nam prima causa vnitur causis
secundis per motionem , qua
eas movet ad operandum ; quæ
motio est quedam participatio
actualitatis primæ causæ . Dein-
de causæ secundæ vniuersales
vniuntur particularibus agenti-
bus influendo in eis vel mo-
tum , vel aliquid aliud. Rursus
quatuor causæ eiusdem ordinis,
scilicet finalis , efficiens , forma-
lis , & materialis vniuntur ad
causandum effectum , in quan-
tum finis est aliquomodo in ef-
ficiente per apprehensionem ,
qua præcognoscit finem ; agens
vero seu efficiens applicatur , &
vnitur materiæ vel passo , circa
quod debet operari : & sic vni-
us coniungit formam mate-
riæ educendo eam ex potentia

materiæ. Denique plures causæ
particulares eiusdem generis , si
debeant producere eundem ef-
fectum , coniungi debent ali-
quomodo , & inter se adunari ;
vt patet in pluribus portanti-
bus eundem lapidem : ergo si
militer obiectum ut causet si-
mul cum potentia cognitionem
sui , debet esse vnitum cum
illa.

5 Dices , obiectum solum
concurrere ad cognitionem sui
per modum terminantis , & spe-
cificantis ipsam cognitionem
ad quod nulla vnio requiritur
obiecti cum potentia , sed so-
lum quod obiectum extrinsecè
terminet actionem potentiae . Sed
contra . Nam extrinsecè tantum
terminare cognitionem non est
illam causare , sed præcisè est
terminare relationem cognitio-
nis ad obiectum , in quo nulla
importatur causalitas : ergo si
objectionem causat cognitionem
sui , aliquid amplius habet
quam terminare cognitionem .
Praterea . Quia obiectum mo-
vet potentiam , vnde & dici-
tur obiectum motivum ; sed in-
ter movens , & mobile debet
dari aliqua vnio , quia debent
esse simul : ergo .

6 Secundò probatur coma-
munis sententia . Intellectus , &
sensus ex se sunt indifferentes
ad plures cognitiones diverso-
rum obiectorum : ergo vt ha-
beant

N n beant

beant determinatam cognitionem alicuius obiecti determinati, indigent determinari ab aliquo. Sed non est aliud, quod possit determinare potentiam ad determinatam cognitionem, nisi ipsum obiectum; non quidem secundum esse naturale, quod habet extra potentiam, quia multoties obiectum non existit in se, & tamen cognoscitur, ut patet in intellectu cognoscente res non existentes. Nec etiam si obiectum sit existens, ut necessarium est ad cognitionem sensuum extenorū, potest determinare potentiam pure extrinsecè se habendo: quia cognitione determinata est effectus potentiae determinatae ad illam; unde potentia debet præcedere ut determinata suam cognitionem. Sed si obiectum pure extrinsecè se habet ad potentiam, & nihil in ea imprimit, potentia non potest præsupponi determinata ante suam cognitionem: ergò necessarium est, quod obiectum aliquid imprimat potentie ratione cuius antecedenter ad cognitionem maneat determinata ad illam præ alia; & hoc est species impressa.

7 Denique ad probandam eandem sententiam adducuntur variae experientiae, quæ existentiam specierum suadent, videlicet de imaginibus obie-

ctorum, quas experimur existere in phantasia, & in somno apprehendimus. Item in speculis videmus formari similitudines, & imagines earum rerum, quæ ipsis obiectiuntur. Hæc autem omnia nihil aliud sunt, quam species obiectorum, cum non possint esse ipsa obiecta in esse naturali: ergò eodem modo, quo in phantasia, & in speculo obiecta generant species sui, possunt eam generare in sensibus, & in intellectu. Verum est tamen, quod his experientijs non probatur directè species impressa: quia species, quæ fiunt in imaginativa, & in speculo non se habent ex parte potentiae tanquam medium cognoscendi, sed potius se habent ut obiectum cognitionis, ut patet de imagine formata in speculo, quæ videtur ab inspiciente speculum. Species autem impressæ non videntur, nec percipiuntur per sensus.

I. II:

Solvuntur argumenta:

Sed contra istam sententiam arg. 1. Species impressa si datur pro sensibus extensis, prius sit in medio, quam in potentia, v. gr. species coloris prius sit in aere, quam in visu: sed hoc esse non potest.

Ergo non datur talis species impressa. Mai. est doctrina nostræ sententia : min. autem prob. tūm quia illa species nullum effectum præstare potest aeri, non enim reddit illum coloratum, nec similem obiecto, alias si aer per speciem in se receperat redderetur similis obiecto, videret illud, sicut videt oculus informatus specie. Tūm etiam, quia species, quæ fit in potentia, non potest esse eadem cum ea, quæ fit in aere, nec diversa; non eadem, quia sic idem accidens transiret de subiecto in subiectum, quod esse non potest. Non item potest esse diversa, quia nulla est causa productiva talis speciei distinctæ: ergo nulla est talis species impressa.

9 Secundò. In hac nostra sententia involvitur contradictione. Etenim ex una parte ponimus speciem esse similitudinem, & representationem obiecti, & ex alia negamus, eam cognosci à potentia, quod quidem implicat contradictionem. Nam repræsentatio non potest esse nisi in ordine ad cognitionem alicuius potentie: id enim quod non cognoscitur ab aliqua potentia, non potest aliquid repræsentare, alias repræsentaret, & nulli repræsentaret. Quod vtterius confirmatur ex speciebus, quas experientia

duce novimus. Nam imago obiecti, quæ fit in speculo, quia est repræsentatio, & similitudo sui obiecti, videtur, & percipitur à potentia: & idem est de speciebus phantasie: ergo species impressa implicatoria est.

10 Nec valet dicere, quod species impressa solum est similitudo, & præsentatio obiecti in actu primo, & ideo non cognoscitur. Contra enim est: nam repræsentare in actu primo, vel est posse aliquando reduci ad actum secundum repræsentandi, sicut imago, vel pictura, dum non adest potentia, à qua videatur, dicitur repræsentare in actu primo obiectum, quia de se est potens illud actualiter repræsentare, dum adfuerit potentia cognoscitiva; & si ita est, sequitur quod species impressa saltem cognosci aliquando potest, quod est falsum: nunquam enim visus videre potest speciem, qua informatur. Vel tale repræsentare in actu primo consistit in eo quod species licet cognosci non possit, tamen sit virtus, media qua potentia formet repræsentationem obiecti in actu secundo: Et tunc restat explicare, quomodo species possit esse virtus ad formandam repræsentationem in actu secundo, si nullo modo repræsentat obiectum potentie. Et præterea sequitur, quod in

omni cognitione detur repræsentatio obiecti in actu secundo, & consequenter species expressa eius, quæ nihil aliud est, quam actualis, & formalis repræsentatio obiecti. Sequela autem falsa est, quia sensus externi iuxta sententiam magis communem non producunt speciem expressam.

11 Tertio. Sequitur ex hac sententia, quod sensatio, & intellectio, & universaliter omnis cognitio sit pura passio, & consistat in sola receptione specierum absque eo quod interveniat aliqua actio egrediens à potentia cognoscitiva: consequens adiuncti non potest sine destructione conceptus vitalitatis, qui in agere, & non in pati consistit: ergo nec illud ex quo sequitur. Sequela prob. Nam in hac sententia cognitio consistit in assimilatione potentiarum cum obiecto: sed per solam speciem impressam potētia redditur similis obiecto, siquidem species est similitudo obiecti, & ut plures affirmant, est similitudo formalis, & non tantum virtualis illius: ergo.

12 Quartò. Si in intellectu dantur species impressæ, sequitur, duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto, quod communiter rejicitur, ut falsum præsertim à D. Thoma sàpè; ergo. Sequela

prob. In intellectu datur species expressa obiecti, quod intelligit, simul cum impressa, quia etiam post intellectuonem actualem conservat intellectus species impressas, vt est communis doctrina: sed species expressa ad summum potest distingui numero ab impressa: ergo. Mai. prob. præcipue in sententia asserente, speciem impressam esse similitudinem formalem obiecti. Nam si ita est, tam species impressa, quam expressa erit formalis repræsentatio obiecti: sed duæ formales repræsentationes eiusdem obiecti non possunt distingui specificè, alias aliquid specie diversum repræsentaret una, quod non alias ergo. Et confirmatur hoc. Quia similitudines specificè diversæ non possunt esse similitudines eiusdem obiecti: sed species impressa, & expressa sunt similitudines eiusdem obiecti: ergo. Mai. patet, quia similitudines specificantur ab obiectis.

13 Denique arg. Nam species impressa ideo ponitur, ut concurrat cum potentia ad producendam cognitionem: sed ad hoc non potest deservire: ergo. Mai. prob. Quia non potest concurrere nec in genere cause efficientis, nec in genere cause formalis; in alio enim genere videlicet ut causa finalis, vel materialis certum est

speciem non posse concurrere: ergo. Ant. prob. quoad primam partem. Quod concurrit ad cognitionem in genere cause efficientis, vel concurrit per modum potentiae, vel per modum virtutis eiusdem potentiae: sed neutro modo potest concurrere species; non per modum potentie, quia ipsa non est potentia ut patet: nec per modum virtutis, quia sequetur, potentiam ex se non habere virtutem cognoscendi, sed hanc advenire ei ab specie; quod quidem est falsum, quia potentiae cognoscitivae nihil aliud sunt, quam virtutes proximae operandi.

14 Quoad secundam autem partem probatur idem antecedens. Nam concursus in genere causæ formalis ut contradistinctus à concursu causæ efficientis solum potest esse per modum obiecti, vel per modum exemplaris, ad cuius instar potentia producit suam cognitionem, vel speciem expressam obiecti: sed species impressa nec se habet per modum obiecti, quia non cognoscitur; nec per modum exemplaris, quia etiam hoc petit cognosci, ut suum munus exerceat, ut patet in idea artificis existente in mente eius, que debet præcognosci ab artifice; ut ad eius instar formet opus ad extra: ergo.

15 Resp. ad 1. concessa maiori, negando min. Ad eius primam probat. resp. aerem fieri similem obiecto, nec tamen videre illud, quia non habet potentiam visivam: sicut speculum fit simile obiecto, quod repræsentat, & tamen non cognoscit illud. Ad 2. prob. resp. speciem existentem in potentia esse distinctam ab ea, quæ est in medio; & ad id quod dicitur in contrarium resp. quod sicut species, quæ est in speculo, potest causare aliam in potentia visiva, & sic videri: ita species, quæ est in aere, potest causare aliam, ratione cuius obiectum videatur.

16 Ad 2. Resp. solutione ibi data. Ad eius impugnationem dicitur, quod repræsentare in actu primo est prout dicitur in secunda parte dilemmatis. Nec obstat quod obijcitur in contra; respondetur enim, quod ut species sit virtus ad formandam representationem obiecti, sufficit esse similitudinem illius, non quidem repræsentativam, sed ad eum modum quo accidens operatum, v. gr. calor in igne, quia est aliqualis similitudo formæ ignis, est virtus producendi eandem formam in materia. Sed de hoc iterum in solutione ad quartum. Ad aliud, quod addi-

additur, resp. quòd duplex est repræsentatio obiecti: vna vitalis, & per modum actus, quo activè potentia repræsentat sibi obiectum: & hæc in omni cognitione datur etiam sensitiva, quia est ipse actus cognoscendi; cœterum hæc repræsentatio non est species expressa. Alia est repræsentatio per modum imaginis, qua obiectum constituitur intrinsecè, & passivè repræsentatum: & hec est species expressa, & effectus actus cognoscendi, quæ non invenitur in sensibus externis.

17. Ad 3. Non desunt qui concedant sequelam quantum ad sensationes, affirmantes quòd sentire non est agere, sed solum pati. Ita tenet N. Gavardum alijs, quos citat. Imò P. Arriaga licet concedat, quòd intelligere, & velle sunt actiones causatæ ab intellectu, & voluntate; tamen affirmat, quod talis causalitas non exigitur per se ad rationem vitæ, posseque aliquem vivere per intellectu[m], & volitionem à se non elicitar, sed pure in se receptionem; quia in eius sententia vita actualis intentionalis, qualis est vita intellectus, & voluntatis, non requirit per se produci à vivente, sed consistit solum in tendentia potentiarum ad obiectum. Hæc doctrina si vera

esset, facile cum ea explicari posset necessitas specierum impressarum, & quomodo cognitio fiat per assimilationem. Tunc enim obiectum se habet ut agens imprimens potentiam suam similitudinem, id est speciem sui: & potentia se habet ut purè patiens, & recipiens eandem similitudinem, per cuius receptionem maneret similis obiecto, & illud cognosceret.

18. Cœterum quia talis doctrina communiter rejecitur, & nos illam reiecamus suprà disp.

I. quæst. I. tenentes cum communi Philosophorum, quòd vivere consistit in se mouere: quod salvari non potest, nisi vivens causet in se ipso aliquem motum saltem intentionalem: & quia D. Thomas præter receptionem formæ intelligibilis, seu speciei requirit actionem in potentia cognoscente; vtteriusque id rationi consonum est, quia quidquid sit an cognitio sit rigorosa actio, tamen negari non potest quòd sit vera, & rigorosa operatio potentia cognoscens, sicut etiam vita actualis est aliqua operatio viventis. Operari vero non potest salvari in sola receptione: nec potentia actuata quacumque forma ex hoc præcisè quòd illam in se habeat, potest dici operari,

magis quam ignis, cui nullum calefactibile est applicatum, dicitur operari ex eo solum quod habeat in se formam caloris. Propter hæc, in quam, desiderata est predicta doctrina: & ad argumentum, neg. sequela. Ad eius probat. resp. quod cognitionis fit per assimilationem præviam, ita quod antecedenter ad cognitionem debet potentia esse assimilata obiecto per speciem eius, quam recipit; non autem ita quod cognitionis consistat formaliter in ipsa assimilatione.

19 Ad 4. Resp. Speciem impressam, & expressam distinguunt specificè inter se: quia licet sint similitudines eiusdem obiecti, se habent sicut semen, & res generata ad generantem: utrumque enim est simile generanti; sed semen est simile generanti, quatenus habet in se virtutem generativam participantem à generante: genitum verò est simile eidem generanti, quatenus habet eandem specificè naturam, & formam cum illo. Sic similiter species impressa, quæ etiam appellatur semen obiecti, est similitudo illius, in quantum est virtus obiecti ad causandam cognitionem sui; species verò expressa est similitudo obiecti, quia in esse cognoscibili est eiusdem nature, & speciei cum obiecto;

imò est ipsa quidditas, & natura obiecti in esse intelligibili.

20 Ad id autem quod dicitur, speciem scilicet impressam esse similitudinem formalē, & non tantum virtualem obiecti, dico, in hoc solum esse questionem de nomine. Nam si per similitudinem formalē significetur repræsentatio formalis, & imago obiecti: sic species impressa non est similitudo formalis, sicut non est imago, ut dictum est. Si autem nomine similitudinis formalis intelligitur similitudo non repræsentans, sed concurrens ad causandam repræsentationem, seu speciem expressam: sic species impressa potest dici similitudo formalis. Absolutè tamen loquendo similitudo formalis videtur significare ipsam imaginem obiecti, quæ solum dici potest de specie expressa: & ideo proprius videntur loqui qui negant, speciem impressam esse similitudinem formalē obiecti.

21 Ultimum argumentum tangit difficultatem, qua latè inter AA. disputatur, & pro vtraque parte adsum funda-
menta, quibus permoti iam concursum causæ efficientis, iam formalis tribuunt speciei impressæ. Colleg. D. Thomæ tenens, speciem concurrere in genere causæ efficientis, asserit,
eam

eam præberé potentia virtutem inadæquatam , ita vt ex virtute potentia , & specie compleatur , & adæquetur virtus tota lis productiva cognitionis ; unde potentia , & species con currunt partialiter , vtraque per propriam virtutem partiale m . Cœterum hęc partialitas virtutum non videtur multum cohæ re cum doctrina Thomistarum afferentium , habitum supernaturalem esse totam virtutem agendi in ordine supernaturali .

22 Præterea habet difficultatem hic modus dicendi : quia non satis videtur posse explicari hic concursus partialis in potentia , & specie , quarum vtraque est causa solum ut quo , id est , est principium quo agendi , non autem sunt causæ ut quod causantes intellectio nem . Nam quando plures causæ ut quod operantes concur runt simul , bene intelligitur , quod vtraque concurrat per suam virtutem partiale m : quia sicut ipsæ causæ non petunt vni ri ad sic concurrentum per intrinsecam informationem , vel inha sionem vnius in alia : ita nec virtutes earum petunt intrinsecè vniiri vna cum alia , sed solum petunt adunari per approximationem , vel contac tum , vt patet in pluribus portantibus lapideis . At vero plu-

ra principia quo operandi si debent simul concurrere , debent intrinsecè vniiri per inha sionem vnius in alio : quod quidem circa subiectam materiam à nemine negatur , quia species debet informare potentiam , vt simul cum ea concurrat .

23 Ex hoc autem sequitur , quod virtus partialis speciei debeat se habere vt actus respectu virtutis partialis potentia : & tunc virtus potentia non erit virtus proxima ad actum cognoscendi , sed remota , quod est contra rationem potentia proximè operativæ . Patet hoc , quia virtus proxima ad actum cognoscendi est illa , à qua im mediatè oritur , & causatur actus cognoscendi : sed si pot entia actuatur per virtutem speciei , non immediate ab ea oritur actus cognoscendi , sed mediante virtute speciei : ergo virtus potentia non erit virtus immediate , & proximè produ ctilia cognitionis .

24 Quare melius eligitur alia sententia afferens , speciem concurrere in genere causæ formalis formaliter determinatis potentiam ad speciem cognitionis . Itaque species nullam activitatem , nec virtutem adhuc partiale m dat potentia ; sed solum determinat eius indiffe rentiam vt eliciat hanc determinatam cognitionem , & huius de-

determinati obiecti, cuius specie informatur: cum ipsa potentia ex se sit virtus proxima, & totalis ad quamcumque cognitionem, & cuiuscumque obiecti cadentis intra spharam sui specificativi. Vnde ad argumentum dicendum est, speciem concurrere ad cognitionem non per modum obiecti, nec per modum exemplaris propter rationem in ipso argu-
mento allatam: sed per modum formæ determinantis potentiam ad determinatam cognitionem.

25 Sed contra istam sententiam, & solutionem dices primò. Obiectum concurrit ad cognitionem sui in genere causæ efficientis iuxta illud ab obiecto, & potentia paritur notitia: sed obiectum concurrit media specie: ergo species concurrit efficienter. 2. Species se habet ad cognitionem, sicut semen ad generationem viventis, vt supra dictum est: sed semen concurrit activè efficienter ad generationem: ergo eodem modo concurrit species ad cognitionem obiecti.

26 Tertiò. Ratio specifica, quæ reperitur in cognitione, continetur in aliqua virtute efficienter illam causante, alias cognitio secundum rationem specificam non haberet causam efficientem: sed hæc

virtus non est virtus ipsius potentiae, vel non est illa sola, quia potentia se sola non continet determinate hanc specificam cognitionem: ergo est virtus speciei saltem partialis. Expli-
catur, & vrgetur. Potentia eliciens cognitionem hanc determinatam, & specificam, debet illam præcontinere ut talis continentia de genere causæ efficientis: sed non continet illam ut specifica talem ratione sui, quia non est determinata ad hanc specificam cognitionem: ergo continet illam ratione speciei; & consequenter species dat potentiae virtutem præcontentiam cognitionis, concurritque saltem partialiter in genere causæ efficientis.

27 Resp. ad 1. concursum obiecti in genere causæ efficientis stare in eo, quod efficienter producit speciem, non in eo quod media specie concurrit efficienter; sed potius media specie concurrit formaliter, quia per speciem sui fit forma potentiae determinans illam ad cognitionem. Ad 2. Resp. quod similitudo speciei cum semine tenet quantum ad aliquid, sed non quantum ad omnia. Tenet quidem in eo quod sicut semen procedit à generante, & eo mediante fit generatio: ita species procedit ab obiecto, &

mediante ea sit cognitio. Sed deficit in eo quod semen est virtus activa generandi , quia est virtus generantis , non geniti ; è contra vero accidit in specie, quæ quia est virtus cogniti , id est obiecti , non autem cognoscentis , ideo non est virtus activè cognoscendi , sed passivè cognoscendi : id est , est virtus fiendi cognoscibile , seu qua obiectum sit in actu cognoscibile , cum ex se solum in potentia sit cognoscibile ; non est autem virtus , qua potentia fiat activè cognoscitiva.

28 Ad 3. concessa maiori , neg. min. Ad eius prob. imbitam resp. quod ly determinatè continet æquivocationem. Nam dum dicitur , quod potentia ratione sui non continet determinatè hanc specificè cognitionem: si sensus sit quod potentia sine specie non continet in sua virute hanc specificam cognitionem , falsum est ; quia non solum hanc cognitionem , sed & omnes cognitiones circa proprium obiectum continet potentia se sola per modum virtutis. Si autem sensus sit quod potentia se sola , & ratione sui non magis continet hanc , quam aliam , quia æqualiter , & indifferenter continet , & habet virtutem ad omnes , verum est. Ceterum exinde non sequitur , quod species det

potentias virtutem praæcontingendi cognitionem nec quod gradum specificum : sed solum quod determinet illam , ut ex pluribus actibus , quos in sua virtute continet , eliciat hunc , & non aliud ex suppositione quod circa obiectum , cuius speciem habet , operatura sit. Quod quidem ideo dico , quia non ita manet potentia determinata per speciem ad elicendam hanc specificè cognitionem , quod eam necessariò debat elicere , semel quod sit informata specie ; intellectus enim simul informatur pluribus speciebus plurium obiectorum , quas apud se conservat : & tamen non omnia semper , & simul intelligit , nec potest. Sed tamen si circa obiectum , cuius est species A. v. gr. velit operari , necessariò elicit hanc specificè intellectionem , & non aliam. Et per hoc patet ad confirmationem argumenti.



QUÆST.

QUÆSTIO III.

QUOD NAM SIT OBIECTUM

Quam specificatiuum intellectus humani?

§. I.

Proponuntur rationes dubitandi.

Circa obiectum intellectus nostri magna difficultas est, quidnam illud sit? Pro qua solvenda variæ acceptiones obiecti tradiscent. In primis enim distinguitur ab aliquibus de obiecto extensivo, & intensivo, ita ut obiectum extensivum sit omne illud, ad quod intellectus se extendere potest: intensivum vero sit illud, quod se habet tanquam ratio formalis attingendi omnia, quæ intellectus attingit. Et hæc divisio coincidit cum alia de obiecto in motivum, & terminativum, taliter quod obiectum terminativum idem sit, ac extensivum: & obiectum motivum sit idem quod intensivum. Et quia intellectus est capax attingendi omne intelligibile, & omne ens: ideo eius obiectum extensivum, seu terminativum est ens ut sic, sive ratio communissima entis am-

biens omne ens tam increatum, quam creatum, tam naturale, quam supernaturale. Obiectum vero motivum, seu intensivum erit illa ratio, sub qua potest attingere omnia intelligibilia.

2 Rursus etiam distinguitur obiectum in obiectum proportionatum, & improportionatum. Obiectum proportionatum est illud, quod intellectus proprijs viribus, & naturali virtute potest attingere. Obiectum improportionatum est illud, ad quod attingendum non sufficit virtus naturalis intellectus, sed indiger virtute, & lumine superaddito. Distinguitur etiam duplex status in intellectu nostro, scilicet status coniunctionis animæ ad corpus, & status separationis. In statu quidem coniunctionis assignatur ab aliquibus pro obiecto proportionato quidditas rei materialis: quia in hoc statu quidquid intelligit intellectus noster, intelligit per speciem rei materialis, ut potest speciem, quæ semper abstrahitur a phantasmatibus, in quibus non representatur nisi natura materialis. In statu vero separationis ponitur obiectum eius esse ipsa anima, quæ ex sui cognitione procedit etiam ad cognoscendum alia, scilicet alias animas separatas, & An-

gelos, nec non res materiales: quamvis ad cognoscendum alia à se indigeat anima separata speciebus à Deo infusis, quia in hoc statu non potest abstrahere species à phantasmatibus, cum ea non habeat. Quæ omnia procedunt de anima separata præscindendo à visione beatifica.

3. Ceterum, quia quæstio præsens est de obiecto specificativo intellectus nostri, adhuc restat explicare quodnam ex prædictis sit obiectum specificativum eius: an scilicet ratio communissima entis, ut comprehendit tam naturalia, quam supernaturalia, & etiam ipsum Deum prout est obiectum beatitudinis? An verò solum sit ens naturale, illud scilicet quod intellectus noster per proprias vires potest cognoscere? Et quodcumquè dicatur, habet difficultatem.

4. Primò: enim si obiectum sit ens in tota sua latitudine, sequi videtur, quod intellectus noster non minus posset virtute propria cognoscere Deum, quam reliqua entia; vnde sicut habet cognitionem quidditativam, & perfectam rerum materialium, poterit etiam quidditatively, & perfectè cognoscere Deum etiam, ut est obiectum beatificum viribus proprijs, quod est Hæreticum.

Ratio huius illationis est, quia quælibet potentia potest naturaliter attingere suum obiectum specificativum, cum ab eo specificetur, & ad illud dicat essentiale ordinem: pari ergo ratione poterit attingere quidquid continetur sub suo obiecto specificativo. Sed si ens in tota sua latitudine est obiectum specificativum intellectus nostri, Deus etiam ut clarè visus, & prout est obiectum beatitudinis continetur sub tali obiecto specificativo, sicut continetur sub ratione communissima entis: ergo poterit naturaliter cognosci ab intellectu creato.

5. Secundò: si dicatur, quod obiectum specificativum intellectus nostri sit solum ens naturale, sequitur, quod intellectus non possit elevari ad videndum Deum: quod etiam est Hæreticum. Seq. prob. Quia nulla potentia potest elevari ad attingendum aliiquid, quod non continetur intra latitudinem sui obiecti specificativi; sicut quia obiectum specificativum visus est ratio communis coloris, per nullam potentiam potest visus elevari ad percipiendum aliiquid, quod non sit coloratum, & ideo non potest elevari ad audiendum: sed Deus clare visus est extra sphæram totius entis naturalis, cum sit

It obiectum beatitudinis supernaturalis: ergo.

6 Tertiò: quia etiam si demus, obiectum specificativum intellectus nostri esse solum ens naturale, adhuc restat alia difficultas, quomodo scilicet possit intellectus noster distingui specificice ab intellectu angelico. Nam etiam intellectus angelicus habet idem obiectum specificativum, & potiori ratione, quam intellectus humanus respicit omnia entia naturalia, ut intelligibilia à se per propriam virtutem. Nec valet recurrere ad diversum modum, quo intellectus angelicus intelligit tanquam ratione huius modi peculiaris possit salvare distinctio specifica ab intellectu nostro, etiam si uterque intellectus specificetur ab ente naturali in communi. Nam diversitas in modo attingendi ens naturale debet refundi in ipsam entitatem, & essentiam intellectus angelici, semel quod illum constitutus distinctam in specie potentiam ab intellectu humano: sed entitas, & essentia intellectus angelici essentia liter dependet à suo obiecto specificativo tanquam à mensura, ex qua sumitur eius perfectio, & distinctio à quocunque alio: ergo etiam modus specialis attingendi suum obiectum derivatur ab eodem ob-

iecto, & mensuratur ab eo; & consequenter nisi obiectum specificativum sit distinctum ab specificativo intellectus humani, non potest dari distinctio in modo attingendi inter utrumque intellectum.

7 Quartò: nec etiam dici potest, quod obiectum specificativum intellectus humani sit quidditas rei materialis. Nam obiectum specificativum potentia idem debet esse in quo cunque statu inveniatur talis potentia: alias si in uno statu haberet unum obiectum specificativum, & in alio aliud, iam potentia non esset eadem in utroque statu: sed obiectum specificativum intellectus nostri in statu separationis non est quidditas rei materialis, sed est ipsa essentia animæ, quam per se primò, & connaturaliter attingit intellectus separatus; ergo.

§. II.

Resolvitur quæstio, & satisficit rationibus dubitandi.

8 **A**d huius difficultatis resolutionem sciendum est, quod Div. Thomas duo dicit de intellectu nostro, & eius obiecto. Primam est, quod intellectus noster respicit suum obiectum sub ratio-

ne communi entis: quod idem videtur ac dicere, obiectum eius esse rationem communem entis. Verba eius i. part. quest. 79. art. 7. in corp. lunt: *Intellectus autem respicit suum obiectum secundum communem rationem entis, eo quod intellectus possibilis est quo est omnia fieri.* Deinde quest. 84. art. 7. in corp. docet, quod obiectum proprium intellectus humani, ut contradistincti ab intellectu angelico est quidditas existens in materia corporali per hanc verba: *Huius autem ratio est, quia potentia cognoscitiva proportionatur cognoscibili. Vnde intellectus angelii, qui est totaliter à corpore separatus, obiectum proprium est substantia intelligibilis à corpore separata: & per huiusmodi intelligibilia materialia cognoscit. Intellectus autem humani, qui est coniunctus corpori, proprium obiectum est quidditas, sive natura in materia corporali existens: & per huiusmodi naturas visibilium rerum, etiam in visibilium rerum aliqualem cognitionem ascendiit.*

9 In his autem verbis videtur loqui de obiecto specificativo, quia loquitur de obiecto proprio intellectus nostri, & quod distinguit illum ab intellectu angelico. Cum ergo dis-

cat, quod obiectum proprium intellectus nostri est quidditas existens in materia, videtur quod iuxta mentem S. Doctoris hæc sit obiectum specificativum intellectus nostri. Sed difficultas est adhuc in conciliando hæc duo loca. Nam si obiectum specificativum est sola quidditas materialis: non erit ens secundum communem rationem, quia ens sic commune alia plura includit præter quidditates rerum materialium. In quo ergo sensu erit verum, quod ens in communi est obiectum intellectus nostri, ut docet Div. Thomas, & videtur esse communiter receptum inter Philosophos?

10 Nec solvitur hæc difficultas per recursum ad obiectum extensivum, seu terminativum dicendo, quod ens in communi est obiectum extensivum intellectus nostri, & non specificativum: quia si non est obiectum specificativum, nec comprehenditur sub eo, ut constans est non comprehendiri rationem communissimam entis sub ratione entis materialis, restat reddenda ratio quare intellectus noster posset pertinere ad cognitionem cuiuscunque entis, ut petitur in secunda ratione dubitandi. Nec etiam solvitur dicendo ens in communi esse obiectum terminati-

nativum , & non motivum. Tum , quia si ens in communi pertinet ad obiectum intellectus nostri , potius debet pertinere tanquam obiectum motivum , quia ut communiter dicitur , ratio communissima entis est ratio sub qua intellectus attingit quidquid attingit ; esse autem rationem *sub qua* attingendi est proprium obiecti motivi. Tum etiam , quia si ens in tota sua latitudine non est obiectum motivum intellectus nostri , nihil aliud restat , quod possit esse obiectum motivum , nisi ens materiale , vel quidditas rei materialis iuxta doctrinam Div. Thomæ ; & tunc , ut ratio communissima entis esset obiectum terminatum , deberet aliquòmodo reduci , & comprehendendi sub obiecto motivo , ita ut ratione illius attingeretur : sed ens in tota sua latitudine non potest attingi ratione entis materialis quantum ad aliqua , quæ in ente communissimè sumpti comprehenduntur , scilicet supernaturalia , & præcipue Deum , ut est obiectum beatificum : ergo , &c.

ii Præterea dici non potest , quòd ens in communi , ut finito modo attingibile est obiectum specificativum intellectus nostri. Quia Div. Thomas , quando dixit , quòd intellectus

noster respicit suum obiectum secundum rationem communem entis , proculdubio loquebatur de ente , ut finito modo attingibili , ut potè attingibili ab intellectu nostro , qui non nisi finito modo potest attingere suum obiectum : & tamen non assignavit pro obiecto specificativo ens in communi , sed ens materiale , ut patet in secunda autoritate. Ulterius : quia obiectum specificativum intellectus nostri debet esse obiectum proprium solius intellectus nostri , quod distinguat illum ab intellectu angelico , ut constat ex eadem autoritate : sed ens in communi , ut finito modo attingibile est obiectum commune etiam intellectui angelico , qui etiam finito modo attingit quidquid attingit : ergo .

12 Dicendum est itaqùè , quòd obiectum specificativum intellectus nostri non est ens in tota sua latitudine , prout comprehendit naturalia , & supernaturalia , & ipsum Deum prout est obiectum beatitudinis ; sed solum est ens materiale : quidquid verò potest cognosci vt cunquè , & imperfectè ab intellectu nostro per speciem rei materialis , tive per ordinem ad illam , qualiter cognoscimus Deum , ut authorem naturæ , & substantias separatas ,

tas , reductivē pertinet ad obiectum specificativum intellectus nostri . Supernaturalia autem , & ipse Deus , vt obiectum beatitudinis , sive vt clare visus , non continentur intra obiectum specificativum intellectus nostri , nec sunt obiectum illius nisi , vt elevati per lumen supernaturale superadictum virtuti suæ propriæ , & naturali .

13 Hæc assertio , quoad ultimam partem probatur per primum argumentum factum pro ratione dubitandi , & ex discordis magis constabit . Quoad primam autem probatur , primo ex eō , quod aliter non videtur posse conciliari autoritates predictæ Div . Thomæ . Posito autem , vt à nobis ponitur , salvatur imprimis , quod intellectus respiciat suum obiectum secundum rationem communem entis , illius scilicet entis , quod potest fieri intelligibile per actionem intellectus agentis , vt non obscure indicant illa verba , quæ in prima autoritate pro ratione sui dicti affert Div . Thomas , scilicet quia intellectus possibilis est quo est omnia fieri . Et quia intellectus possibilis non potest omnia fieri nisi per actionem intellectus agentis hic autem non potest facere intelligibile aliquid , quod non

sit materiale ; quia abstractiones species à phantasmatibus , quæ solum sunt rerum materialium fit inde , quod intellectus non possit respicere pro obiecto specificativo nisi rationem communem entis materialis , & ex consequenti quidquid per ordinem ad illud intelligi potest .

14 Rursus salvatur dictum Div . Thomæ in secunda auctoritate : quia manifeste constat distinctio obiecti specificativi intellectus nostri ab obiecto intellectus angelici . Nam hic scilicet angelicus habet pro obiecto quidditates omnino separatas à materia , & per eas cognoscit materialia ; intellectus autem noster , è contra immaterialia , vt Deum , & Angelos , cognoscit imperfectè , & per comparationem ad res corporreas , vt expressè affermat idem Div . Thomas 1. part. quæst. 84. & art. citatis ad 3. dicens : *Ad tertium dicendum , quod incorporea , quorum non sunt phantasmatata , cognoscuntur à nobis per comparationem ad corpora sensibilia , quorum sunt phantasmatata : sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei , circa quam veritatem speculumur . Deum autem , vt Dyonisius dicit , cognoscimus , ut causam , & per excessum , & per remotionem . Alias etiam in*

incorporeas substantias, in statu presentis vita cognoscere non possumus nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia. Idem habet, quæst. 88. art. 2. in corp. & ad 1.

15 Deinde probatur assertio nostra ratione, quæ continentur in secunda autoritate supra adducta, adiuncta explicatio P.P. Complutensium. Quia animirum obiectum debet proportionari potentiae cognoscitivæ, cum sit specificativum eius, ad quod naturalem respectum, & ordinem dicit potentia: sed solum ens materiale proportionatur intellectui nostro: ergo solum illud est obiectum specificativum eius. Min. prob. Nam intellectus noster licet sit immaterialis sicut anima, cuius est proprietas, & ideo non sit in organo corporeo, nec eius operatio sit aliquomodo operatio corporis, sicut sunt operationes sensum; tamen non est omnino elongatus à materia; quia anima, cuius est potentia, est actus materiae seu corporis: vnde, & in accipiendo species intelligibiles dependet intellectus noster pro hoc statu à corpore, cum illas accipiat mediante phantasiam, quæ est quid corporeum. Ens autem materiale convenit cum intellectu nostro in eo, quod quodammodo est in materia,

& quodammodo est ab ea separatum. Est in materia, quia includit materiam communem, quæ est de quidditate, & essentia cuiuscunq; rei materialis, sine qua nulla res materialis potest quidditatè intelligi. Ex alia verò parte est separatum à materia singulari, quia ut sit actu intelligibile, debet abstrahi à tali materia per intellectum agentem: ergo solum ens materiale est obiectum proportionatum intellectus nostri.

16 Dices primò. Ex hac ratione ad summum probatur, quod ens materiale sit obiectum specificativum intellectus nostri pro hoc statu coniunctionis ad corpus, non verò pro statu separationis; quia anima separata non intelligit per species abstractas à phantasmatibus, nec per materialia intelligit res immateriales: sed potius per se primo intelligit seipsum, & per modum sui intelligit alia, ut docet D. Thomas I. part. quæst. 89. art. 2. Vnde redit difficultas supra posita, quod scilicet distinctum obiectum specificativum debeat assignari intellectui nostro pro hoc statu, & pro statu separationis. Secundo dices, quod secundum prædictam rationem nec Deus, nec substantia separata comprehenduntur aliquo.

P p modo

modo sub obiecto specificativo intellectus nostri, quia nec ullam habent materiam, nec ordinem ad illam: ergo falsa est assertio nostra.

17 Resp. ad 1. Quod anima rationalis non est omnino extra ordinem rerum materialium: quia licet sit entitativè immaterialis, dicit ordinem ad materiam, sè ad corpus sicut actus ad suam potentiam adhuc in statu separationis. Vnde anima rationalis cognoscens seipsum in statu separationis cognoscit ordinem, & habitudinem, quam dicit ad materiam: & sic intellectus separatus aliquomodo habet idem specificativum, ac habet in statu coniunctionis ad corpus.

18 Ad 2. resp. Quod aliquid contineri sub obiecto specificativo intellectus nostri stat dupliciter. Primo, ita ut id quod continetur, contineatur per modum inferioris logici sub ratione communi, sicut albedo continetur sub obiecto specificativo visus, scilicet sub colore, quia est quedam species coloris. Et hoc modo Deus, nec substantiae separatae, quales sunt angeli, non continentur sub ente materiali. Alio modo aliquid continetur sub obiecto specificativo intellectus nostri, quatenus habet aliquem ordinem ad illud, vel sicut

causæ ad effectum, vel aliquam similitudinem, aut compositionem. Et hoc modo Deus quatenus est causa entis materialis, continetur, vel potius reducitur ad obiectum specificativum intellectus nostri in ordine ad cognosci ab eo, licet imperfectè, vt colligitur ex prædictis verbis Div. Thomæ dicentis, quod Deum cognoscimus, vt causam. Substantiae verò separate continentur sub obiecto intellectus nostri, in quantum aliquam similitudinem habent non cum rebus materialibus, sed cum anima nostra.

19 Restat solvere argumenta facta pro ratione dubitandi. Constat autem ex dictis, quod primùm, tertium, & quartum, non sunt contra nos. Primum quidem, quia non ponimus, quod ens in tota sua latitudine, secundum quod per modum superioris logici comprehendit omnia entia tam naturalia, quam supernaturalia, sit obiectum specificativum intellectus nostri. Vnde non sequitur, quod Deus à nobis quiditative cognosci possit per proprias vires; sed solum posse cognosci abstractivè, & imperfectè in quantum entia materialia possunt aliqualiter ducere nos in cognitionem eius. Tertium non est contra nos, quia

Quia obiectum specificativum intellectus angelici est substantia immaterialis creata, & quidquid per ordinem ab illam cognosci potest; in intellectu autem nostro accedit è converso, ut dictum est. Solutio quarti, constat ex dictis solvendo primam replicam contra rationem probativam assertionis nostræ.

20 Secundum autem argumentum directè procedit contra secundam partem assertionis, & est satis difficile. Resp. tamen negando sequelam. Ad eius prob. nego mai. ad cuius probationem imbibitam desumptam ex potentia visiva, & vniuersaliter de quantumque alia potentia, qua non potest adhuc divinitùs elevari ad attingendum obiectum alterius potentiaz, concessò hoc, nego consequentiam propter manifestam disparitatem. Ea autem est, quod visus nec perfectè, nec imperfectè potest per propriam virtutem, & per speciem sui obiecti percipere sonum, nec obiecta aliorum sensuum, vt nullus negat; quod est sufficiens signum, non adesse in visu capacitatem, nec potentiam obedientiale, vt elevetur ad attingendum aliquid, quod non sit color. E contra verò accedit in intellectu nostro, qui per suum obiectum

specificativum, scilicet ens materiale potest per propriam virtutem aliqualiter ascendere in cognitionem Dei, licet imperfectam: ex quò tanquam ex signo sufficienti possumus colligere, quod in eò sit potentia obedientialis, vt per lumen gloriae elevetur ad videndum Deum intuitivè, & in se ipso.

21 Hanc solutionem colligo ex Div. Thoma I. part. quæst. 12. art. 4. vbi cum sibi obiecisset, quod sensus corporicus non potest elevari ad intelligendum substantiam incorpoream, quia est supra eius naturam: ergo similiter si videre Deum per Essentiam, sic supra naturam cuiuslibet intellectus creati. videtur quod nullus intellectus creatus pertingere possit ad videndum Dei Essentiam: respondet sic.

22 Ad tertium dicendum, quod sensus visus quia omnino materialis est, nulla modo elevari potest ad aliquid immateriale; sed intellectus noster, vel angelicus quia secundum naturam à materia aliquater elevatus est, potest ultra suam naturam per gratiam ad aliquid aliud elevari: Et huius signum est quia visus nullummodo potest in abstractione cognoscere id quod in concretione cognoscit: nullo enim modo po-

potest percipere naturam, nisi ut
hanc. Sed intellectus noster po-
test in abstractione considerare,
quod in concretione cognoscit;
et si enim cognoscat res haben-
tes formam in materia, tamen
resolvit compositum in utrum-
que, & considerat ipsam for-
mam per se. Et similiter intel-
lectus angeli licet connaturale
sit ei cognoscere esse concretum
in aliqua natura, tamen potest
ipsum esse secernere per intellec-
tum, dum cognoscit quod aliud
est ipse, & aliud est suum esse.
Et ideo cum intellectus creatus
per suam naturam natus sit ap-
prehendere formam concretam,
& esse concretum in abstrac-
tione per modum resolutionis cu-
iusdam, potest per gratiam ele-
vari, ut cognoscat substantiam
separatam subsistente, & esse
separatum subsistens. Hac D.
Thomas, in quibus, ut clare
vides, colligit elevabilitatem
intellectus creati ad videndum
Deum ex his, quae naturaliter
intelligere potest: è contra
vero impotentiam sensus ad
atttingendum immaterialia ex
his, quae naturaliter sensus at-
tingere nullomodo potest, &
hoc idem nos pro dispa-
ritate reddimus
argumento.

§. III.
Alia argumenta solvuntur.

23 **S**ed adhuc contra
istam solutionem,
& contra nostram assertionem
argum. 1. Si Deus, ut clare
visus non continetur sub obie-
cto specificativo intellectus no-
stri: ergo intellectus elevatus
lumine Gloriæ, & videns
Deum per Essentiam habet di-
stinctum obiectum specificati-
vum, ac habet dum non vider
Deum. Sed distincta specifi-
cativa constituant distinctas in
specie potentias: ergo intellec-
tus videns Deum non est ea-
dem in specie potentia, ac
erat quando non videbat
Deum, quod est erroneum. 2.
Nulla potentia potest cognos-
cere aliquid sub ratione com-
muniori, quam sit ratio sui ob-
iecti specificativi, alias obie-
ctum specificativum non esset
adæquatum; & præterea pa-
tet hoc in visu, qui non potest
aliquid attingere sub ratione
communiori, quam sit ratio
coloris, quæ est eius specifica-
tivum: sed intellectus cognos-
cit aliquid sub ratione com-
muniori, quam sit ratio entis
materialis, quia cognoscit ali-
quid sub ratione entis in
communi; alioquin metaphy-
sica nulla esset scientia in-

intellectu nostro : ergo ens materiale non est obiectum specificativum intellectus nostri , sed ens in tota sua latitudine.

24 Tertiò. Quidquid per se cognoscitur à potentia cognoscitiva , vel est eius obiectum specificativum , vel continetur sub eo : sed ens , vt communius ente materiali cognoscitur per se ab intellectu nostro ; alias metaphysica non esset magis scientia transcendens , quam physica : ergo ens in tota sua latitudine est obiectum specificativum intellectus nostri , non autem aliquid magis contratum , & determinatum.

25 Hæc sunt argumenta , quibus simul cum secundo adducto pro ratione dubitandi , & soluto Scotus in 1. dist. 3. quæst. 3. impugnat sententiam D. Thomæ afferentem , quod obiectum intellectus nostri est quidditas rei materialis ; quamvis ipse Scotus , non utatur nomine obiecti specificativi , vt nunc communiter utimur , sed utitur nomine obiecti primi , & adæquati. Cœterum , ea omnia tenetur ipse solvere , & instaurar in eius sententia. Nam postquam afferuit , ens communissime sumptum esse obiectum adæquatum , & primum intellectus nostri : postea tamen , vt occurrat difficultati suprà positâ primo loco pro ratione du-

bitandi suam sententiam temperat , & explicat dicendo , quod obiectum motivum adæquatum intellectus nostri pro hoc statu est quidditas rei materialis , seu sensibilis ; ens vero communissime sumptum est obiectum adæquatum eiusdem intellectus considerari , vt potentia est , & præscindendo ab statu.

26 Ex quibus instatur primum argumentum. Nam si aliquod obiectum diversificat potentias , maximè debet esse obiectum motivum adæquatum : sed intellectus intuitive videns Deum habet diversum motivum adæquatum , ac habet in hoc statu viæ : si quidem obiectum motivum intellectus videns Deum est sola Essentia divina , vt in se ipsa ; in statu vero præsenti obiectum motivum adæquatum intellectus est quidditas materialis , vt concedit Scotus : ergo diversus erit intellectus in statu beatitudinis à se ipso prout in hoc statu.

27 Secundum instatur , & retorquetur supponendo , quod intellectus noster pro hoc statu habet scientiam methaphysicæ : & tunc inquiritur , vtrum obiectum motivum adæquatum methaphysicæ sit solum ens materiale , vel ens communissime sumptum . Si dicatur primum , cessat argumentum , quia minor est falsa : si quidem adhuc per methaphy-
sicam

sicam intellectus non cognoscat aliquid nisi sub motivo entis materialis, quod idem est ac cognoscere sub ratione entis materialis, vel per ordinem ad illud. Si dicatur secundum, ecce instantiam. Intellectus pro hoc statu non potest cognoscere aliquid sub ratione communiori, quam sit ratio sui obiecti motivi adæquati, alias hoc non esset motivum adæquatum: & patet etiam in visu: sed intellectus pro hoc statu cognoscit per Scientiam methaphysicæ aliquid sub ratione communiori, quam sit ratio entis materialis, quia cognoscit aliquid sub ratione entis in communi, quod dicitur esse obiectum motivum methaphysicæ: ergo ens materiale non est obiectum motivum adæquatum intellectus nostri pro hoc statu; cuius contrarium asserit Scotus. Tertium, instatur eodem modo, ut facile est videre.

28 Resp. ergo ad 1. concedendo consequent. videlicet, quod intellectus videns Deum, habet distinctum specificativum, ac habet dum non videt Deum. Et hoc videtur à nemine negari posse: quia si idem esset obiectum specificativum intellectus videntis Deum, & non videntis, vel saltem Deus, ut est obiectum visionis beatificæ continetur sub obiecto speci-

fativo intellectus nostri secundum se sumptu, & præcisive ab elevatione: nec visio intuitiva Dei esset supernaturalis, nec ad eam indigeret intellectus elevatione aliqua. Ratio huius est, quia attingentia sui obiecti specificativi, & omnis eius quod sub tali obiecto continetur est naturalis cuicunque potentia; potentia enim naturaliter ordinatur ad suum obiectum specificativum: sed non ordinatur ad illud nisi, ut attingendum à se: ergo naturaliter ordinatur ad attingentiam sui obiecti specificativi. Sed potentia non indiget elevatione ad attingendum illud, ad cuius attingentiam naturaliter ordinatur: ergo si Deus, ut est obiectum visionis beatificæ, continetur sub obiecto specificativo intellectus nostri præscindens ab elevatione, non indigeret elevari ad videndum eum.

29 Concessa itaque consequentia, dist. min. subsumptam. Diversa specificativa diversificant potentiam, si utrumque sit specificativum potentia absolute sumpta, & secundum suam naturam considerat, concedo minorem: si unum eorum sit specificativum potentia, ut elevata, nego minorem, & conseq. Quia, ut dictum est, Deus, ut est in se, & intuitivè

visus

visus non est obiectum intellectus nostri absolute sumpti, sed illius, ut elevati lumine gloriæ. Ex hoc autem non sequitur distinctio intellectus videntis Deum à se ipso nonidente: sed solum sequitur melioratio illius, & elevatio ad attingendum altius obiectum, quam sit obiectum specificativum sibi correspondens secundum propriam naturam.

30 Ad 2. resp. Quod præter instantiam factam contra suum Autorem, omnes tenentur aliquomodo illud solvere. Quia si est inconveniens, quod potentia cognoscat aliquid sub ratione magis communis, quam sit ratio sui obiecti specificativi: pariter est inconveniens, quod ratio specificativa potentiae non sit magis communis, quam sit obiectum specificativum unius habitus particularis, qualis est metaphysica. Omnis enim potentia universalior est, quam quilibet habitus particularis in ea existens, & consequenter debet habere obiectum universalius: ergo vel obiectum metaphysicæ non erit ens secundum totam sui communitatem, vel intellectus non excedit suum habitum.

31 Dico itaque ad argumentum, maiorem esse veram intellectam de ratione sub qua potentia cognoscit, non autem

de ratione, quæ se habet ut obiectum cognitum; est dicere, quod potentia nihil potest cognoscere sub ratione communiori, quam sit ratio sui specificativi: bene tamen potest cognoscere aliquid communius, quam sit ratio specificativa: & sic contingit in proposito. Nam intellectus sub ratione entis materialis, quod est suum obiectum specificativum, extendet se ad cognoscendum rationem entis communem omnienti sive materiali, sive immateriali: sicut ex motivo eiusdem entis materialis procedit ad cognoscendum aliquid immateriale, scilicet Deum, & Angelos. Semel autem, quod intellectus per cognitionem sui specificativi assurgat ad cognoscendum res omnino separatas à materia, potest abstrahere ab illis, & ab ente materiali conceptum communem entis, & illud considerare, sicut facit metaphysica. Vnde in forma distinguenda est maior iuxta dicta.

32 Sed dices 1. metaphysica attingit rationem communissimam entis non solum, ut rationem *qua*, seu ut obiectum quod cognoscit, sed etiam, ut rationem *sub qua*, & ut motivum formale cognoscendi quidquid cognoscit: ergo adhuc manet *integra* difficultas. Ant. prob.

prob. Nam obiectum metaphysicæ abstractit ab omni materia non solum sensibili, sed etiam à materia intelligibili, ut sèpè docet D. Thomas, & est commune Philosophorum: ergo sub hac abstractione ab omni materia attingit quidquid attingit. Sed sola ratio communissima entis abstractit ab omni materia, non autem ratio entis materialis, vt de se patet: ergo sub ratione communissima entis attingit metaphysica quidquid attingit. Dices 2. Si ad minus ex parte rationis, quæ intellectus potest attingere rationem communissimam entis: hac erit proptium obiectum eius saltem terminativum: ergo aquè bene poterit terminari, & attingere quidquid continetur sub tali ratione communissima; & consequenter poterit naturaliter cognoscere Deum, & substantias separatas quiditative & perfecte, sicut cognoscit entia materialia. Vnde currit inconveniens primi argumenti facti pro ratione dubitandi.

33 Occasione primæ replicæ breviter explicandum est id, quod communiter dicitur de abstractionibus scientiarum. Et quidem illud satis difficile est, & de eo videndus est Div. Thomas Opusc. 70. Inter AA. verò, quos videre potui, non

inveni locum vbi hoc radicitus explicent. Dicitur ergo communiter, quod triplex est abstractio à materia, scilicet à materia singulari, à materia sensibili, & à materia intelligibili. Abstractio à materia singulari est ea, quam habent quidditates rerum materialium in intellectu nostro, vbi representantur ut universales, & sine conditionibus singularitatis. Et hæc abstractio est communis omnibus scientijs, quia scientia solum est de universalibus; est etiam conditio necessaria, vt res sint obiectum intellectus nostri, quia etiam intellectus noster non cognoscit directe nisi universalia secundum doctrinam Div. Thomæ. Appropriatur tamen hæc abstractio Philosophia naturali, & eius obiecto: quia cùm obiectum eius sit ens mobile, nec ipsa, nec eius obiectum abstractunt à materia sensibili communi, id est à materia subiecta qualitatibus sensibilibus, quia secundum qualitates sensibiles sunt plures motus. Vnde naturalis Philosophia solum abstractit à materia singulari.

34 Abstractio à materia sensibili convenit quantitati, quæ est obiectum Mathematicarum. Ideo autem quantitas abstractit à materia sensibili, quia licet non possit esse sine mate-

materia naturaliter loquendo, non tamen dependet per se à materia sensibili : cuius ratio est ex D. Thoma Opusc. citato, quia materia dicitur sensibilis, quatenus est affecta qualitatibus sensibilibus, quæ per sensus percipiuntur; quantitas autem convenit materiae pro priori , & antecedenter ad qualitates sensibles, & est primum accidentis rei materialis , mediante quo adveniunt ei qualitates sensibles.

35 Ceterum quantitas non abstrahit à materia intelligili, quia de ratione accidentis materialis est esse in substantia materiali; vnde nec quantitas abstrahere potest ab hoc quod sit in ea. Et quia substantia non comparatur ad quantitatem , vt est affecta qualitatibus sensibilibus , ut dictum est : & ab his accidentibus habet substantia materialis , quod sit sensibilis, eis autem remotis , manet solum intelligibilis: ideo quantitas concernit materiam intelligibilem , & solum abstrahit à materia sensibili , quam abstractionem habet etiam Mathematica. Et licet Mathematica non curet de subiecto quantitatis , nec de ordine , quem quantitas habet ad illud : sufficit tamen , quod quantitas inveniri non possit naturaliter nisi existens in materia , ad hoc ut

obiectum Mathematicæ non abstrahat à materia intelligibili, sed solum à sensibili.

36 Denique abstractio à materia intelligibili convenit ei, quod est omnino separatum à materia , vel saltem secundum propriam rationem , & conceptum potest esse sine materia : sicut Deus , qui omnino est immaterialis , & Angeli licet inferiori modo : & ideo respectu Dei potius dicitur separatio à materia , quam abstractio. Ens autem in quantum tale , quod est obiectum methaphysicæ abstrahit à materia etiam intelligibili , quia ex propria ratione , & conceptu non petit esse in materia , sed potest inveniri sine ea , vt patet in Deo , & Angelis. Et hæc abstractio est propria methaphysicæ.

37 His notatis dico ad primam replicam , quod obiectum methaphysicæ , scilicet ens in quantum tale abstractum à materia intelligibili potest comparari , & ad ipsum intellectum ; & ad ea , quæ in methaphysicæ demonstrantur de eodem ente per principia univeralia eiusdem methaphysicæ. Si comparatur ad intellectum , tunc habet solum rationem obiecti terminativi , & rationis quæ : quia ut dictum est supra , intellectus non facit talem abstractionem entis in communi , nisi post-

quam per res materiales devenerit in cognitionem rerum immaterialium per viam comparationis, vel similitudinis, aut alio modo. Vnde etiam in hac cognitione ratio *sub qua*, & obiectum motivum intellectus est ens materiale, in tantum ut etiam ipsa principia universallissima, quibus vtitur metaphysica, & ipsam rationem entis, in qua fundantur, accipiat intellectus ex rebus materialibus per ministerium intellectus agentis, ut docet Div. Thomas Opusc. citato, ex Philosopho in fine Posteriorum. Si vero ens sic abstractum comparetur ad passiones, & conclusiones, quae de eo demonstrantur in metaphysica, sic habet rationem obiecti motivi, & rationis *sub qua*: sicut in omni scientia definitio sui obiecti, & principia ex quibus deducit conclusiones, sunt motivum formale attingendi omnia.

38 Ceterum licet ens in communi modo dicto sit ratio *sub qua* intellectus per metaphysicam attingit ea, quae in ipsa traduntur: non ideo sequitur, quod in aliqua sui cognitione habeat pro obiecto, & ratione *sub qua* aliquid communius, quam sit ratio entis materialis, ita ut intellectus in cognitione metaphysica attingat aliquid quia contentum sub

ratione communi entis, sicut visus attingit albedinem; v. g. quia continetar sub ratione coloris, quae est ratio *sub qua* visus cognoscit suum obiectum. Non, inquam, hoc infertur, quia ens in quantum tale non comparatur ad suas passiones, & ad alia, quae de ipso demonstrantur, tanquam superius ad inferiora: sed tanquam causa virtualis, seu radixuarum passionum. Nec intellectus quia attingit ens in quantum tale, attingit omnia, quae naturaliter attingere potest; sed potius est contra prius debet attingere ens materiale, & per illud ens immateriale, & postea abstractum ab utroque rationem entis utriusque communem. Et per hoc patet quomodo ens abstractum ab omni materia, & commune omni enti est obiectum metaphysicæ, & tamen non est obiectum specificativum intellectus nostri. Patet etiam via ad defendendum, quod ens rationis non continetur sub obiecto specificativo intellectus nostri, & tamen sit obiectum specificativum logicæ.

39 Ad secundam replicam concessio, vel permesso antecedenti, nego consequentiam: potius enim sequitur oppositum. Quia si ens in communi solùm est obiectum terminati-

yum

Num intellectus, eo quod solum potest attingi dependenter ab ente materiali, & per speciem eius, implicitorum est, quod cognoscantur quidditativè omnia, quæ continentur sub eo. Nam cognoscere aliquid quidditativè, & perfectè est cognoscere illud per speciem propriam; species autem rerum materialium non sunt propriæ, sed valde deficientes respectu rerum immaterialium, maximè Dei.

40 Ad tertium argumentum Scotti negatur maior, quia ad cognoscendum aliquid per se sufficit quod illud habeat aliquem ordinem cognoscibilitatis ad obiectum specificativum intellectus nostri, vel per modum causæ, vel alio modo, ut dictum est. Et instatur in potentia visiva, quæ (ut ipsem Scotus, quæst. I. Prologi observavit) per se attingit sensibilia communia, v. g. magnitudinem, & numerum; quin tamen magnitudo, & numerus continentur sub colore, qui est specificativum visus.



QUÆSTIO IV.

QUOD NAM SIT PRIMUM
cognitum ab intellectu
nostro?

§. Unicus.

Defenditur sententia D. Tho-
mae.

I F Erè tanta difficultas est in præsentí quæstione, sicut in præcedenti. Pro qua distingui solet ab aliquibus inter cognitionem actualem, & cognitionem potentiale. Cognitio actualis appellatur cognitio totius actus. Est autem totum actuale illud, quod actu includit suas partes: sicut in artificialibus domus, quæ actu includit lapides, & ligna: & in naturalibus homo includens actum materiam, & formam, & partes integrantes: & in ordine metaphysico definitum; v. g. homo includit actu partes distinctionis, scilicet genus, & differentiam. Cognitio potentialis est cognitio totius potentialis. Totum autem potentiale est univ ersale, vel superius logicum respectu suorum inferiorum, quæ solum in potentia continet, v. g. animal suas species.

2 Rūrsus distinguunt utramque cognitionem tām actualem, quām potentialem in confusam, & distinctam. Cognitio confusa est qua cognoscitur aliquid totum non discernendo ex quibus partibus constet: sicut cum primo aspeetu videimus totam domum, non cognoscimus clarē, & distinctē eius partes, sed in confuso tantū. Cognitio distincta est, qua cognoscuntur partes in toto discernendo eas: sicut cum distinctē consideramus singulas partes domus, vel aliquius totius naturalis, vel etiam cum distinctē consideramus genus, & differentiam alicuius definiti.

3 Hanc divisionem cognitionis in confusam, & distinctam approbat, & tradit Div. Thomas 1. part. quæst. 85. art. 3. Vbi hanc quæstionem disputat; sed prior illa distinctio cognitionis in actualem, & potentialem in ipso non invenitur nec hic, nec in primo Physic. lect. 1. nec in Opusc. 70. in quibus omnibus locis eandem quæstionem pertractat. Sed nec Scotus meminit huius distinctionis: quia quamvis in 1. dist. 3. quæst. 2. loquatur de cognitione actuali, eam tamen non contradistinxit ad cognitionem potentialem, sed ad cognitionem, quam vocat habi-

tualem, seu virtualem, quārum cognitionum explicatio apud ipsum videri potest. Et revera non video, quare cognitio debeat dici actualis, quia est cognitio totius actualis, & potentialis, quia est cognitio totius potentialis, magis quām dicā debeat cognitio lapidea ea, quæ est cognitio lapidis:

4 Igitur sententia expressa Div. Thomæ locis citatis est, quod primum cognitum ab intellectu nostro est illud, quod est universalius, & magis communne; inter alia enim sic ait quæst. citata ex 1. part. in corp. Prior igitur occurrit intellectui nostro cognoscere animal, quam cognoscere hominem: Et eadem ratio est si comparetur quodcunque magis universale ad minus universale. Probatur autem hæc sententia ex eodem D. Thoma, primò per authoritatem Philosophi 1. Physic. decentis: Sunt primum nobis manifesta, Et certa confusa magis: sed universalia sunt magis confusa, quām minus universalia: ergo sunt primò à nobis cognita. Min. prob. Quia eo aliquid est magis confusum, quo plura continet indistinctè: sed universalе quo universalius est, plura continet indistinctè: ergo.

5 Secundò probatur ratio ne eiusdem S. Doct. ad hanc

formam redacta. Intellectus noster in cognoscendo procedit de potentia ad actum: sed omne, quod procedit de potentia ad actum, prius pervenit ad actum incompletum, & imperfectum, quam ad actum perfectum: quia actus imperfectus est medium inter potentiam, & actum perfectum: ergo intellectus noster prius est in actu incompleto cognoscendi, quam in actu completo. Sed actus incompletus est cognitio, qua cognoscuntur res indistincte, & sub quadam confusione, sicut actus perfectus est cognitio attingens res distincte, & determinate: ergo intellectus prius cognoscit res indistincte, & in confuso, quam distincte. Sed cognitio rerum confusa est cognitione rerum in universalis, quia universale continet indistincte singularia, vel minus universalia; v. gr. animal hominem, & equum: ergo intellectus noster prius cognoscit universalia, quam particularia, vel minus universalia.

6 Tertiò probatur. Quia in sensu ita evenit, ut prius secundum sensum cognoscamus magis commune, quam minus commune: ut quando à longe videmus aliquid, prius percipimus illud esse corpus, quam animal, & prius esse animal, quam quod sit homo: & prius esse ho-

minem, quam quod sit Petrus, vel Paulus. Similiter pueri à principio prius discernunt hominem à non homine, quam hunc hominem ab alio homine: & ideo in principio vocant omnes viros Patres, & omnes feminas Matres: ergo idem erit in intellectu.

7 Scotus autem tenet, quod primum cognitum ab intellectu nostro cognitione confusa est species specialissima, seu infima: & dicit cognitione confusa, quia non intendit, quod in prima cognitione cognoscantur species rerum distincte discernendo praedicata constitutiva earum, sed solum quod in confuso cognoscatur species illa determinata, cuius singulare occurrit sensui. Probatum autem haec sententia primo: Potentia naturalis non impedit, & circa obiectum debite applicatum elicit operationem perfectissimam, quam potest: sed cognitione confusa speciei infimae est perfectior cognitio, quam intellectus potest habere de re, quæ se offert sensui, statim dum se offert: ergo statim prodit intellectus in talem cognitionem confusam. Mai. patet, quia potentia naturaliter agens agit secundum ultimum potentiae, nisi impediatur. Min. autem prob. Quia si statim non potest intellectus habere cognitionem

confusam speciei , numquam poterit illam habere : si quidem supponimus , obiectum esse in principio debite applicatum.

8 Secundò. Illud vniuersale prius cognoscit intellectus noster , cuius singulare fortius movet sensum : sed singulare speciei specialissimæ fortius movet sensum , quam singulare aliquius gradus superioris : v. gr. dum Petrus se offert visui in debita distantia , fortius movet sensum singulare hominis , quam singulare animalis: ergo etiam intellectus primò cognoscit speciem infimam , quam aliquod prædicatum superius , seu magis commune. 3. Species intelligibilis , quam intellectus agens abstrahit à phantasmate rei materialis , repræsentat naturam specificam talis rei , & non aliquod prædicatum magis commune: ergo eadem natura specifica est quæ primò attingitur ab intellectu informato illa specie. Denique : Prædicata rei quo magis sunt vniuersalia , eò sunt difficilioris abstractionis , quia magis distant à sensu ; quod præcipue constat in ratione entis abstracta , quæ quia est difficilioris abstractionis , pertinet ad metaphysicam , quæ est ultima scientia in addiscendo: sed id quod est difficilioris abstractionis , non potest esse primum cognitionum ab intellectu

nostro , qui semper incipit à facilioribus : ergo primum cognitionum erit species infima , quæ ut potè magis propinqua sensui est facilis abstractionis.

9 Ad hæc omnia præter ultimum responderi potest ex Ioanne à S. Thoma , ea solum probare , quod species specialissima sit ut quod attacta per primam cognitionem intellectus nostri , non verò quod sit attacta sub aliqua ratione propria speciei. Ratio enim , sub qua attingitur in prima cognitione , semper est aliquid superius specie , ut ratio entis , vel corporis , &c. Sicut dum videmus aliquid à longe si illud revera est album , vel homo , certè videmus hominem , vel album ; sed non videmus illud in quantum homo , vel album est , quia hoc pro tunc non percipimus : sed solum percipimus illud sub ratione communi colorati , vel corporei. Et hoc modo conciliari potest utraque sententia : quia nec Scotus videtur posse velle , quod species infima cognoscatur in prima cognitione quantum ad aliquid , quod sit proprium illius speciei , quæ offertur sensui. Ratio est , quia cognitionis speciei secundum aliquid proprium , & peculiare sui est cognitionis speciei secundum quod discernitur ab alijs speciebus : sed cognitionis speciei ,

Ut distinctæ ab alijs est cognitio distincta, & non confusa talis speciei: ergo cum Scotus ponat, primam cognitionem esse cognitionem confusani speciei, talis cognitione debet esse cognitione speciei secundum aliquid, in quo ipsa, & alia species confunduntur, & conveniunt. Unde licet id, quod cognoscitur, sit species specialissima, illud tamen, quod de ea attingitur in prima cognitione, debet esse aliquid commune sibi, & alijs.

10 Quidquid tamen sit de hoc, existimo, quod predicta solutio explicatione eget: alioquin secundum mentem Div. Thomæ non est absolute concedendum, quod in prima cognitione cognoscatur aliquomodo species specialissima. Ratio est, quia aliud est id quod cognoscitur esse speciem specialissimam: aliud, speciem specialissimam cognosci, vel esse cognitionem; cuius differentia ratio summittur ex appellatione huius termini *cognosco*, vel *cognitum*, quod, ut dicitur in Dialectica, applicat suum significatum ad significatum formale obiecti: quod etiam commune est omnibus terminis significantibus actum animæ. Ut ergo verum esset, speciem specialissimam cognosci, necessarium erat quod id quod se habet de formalis in

specie specialissima, terminaret cognitionem. Illud autem, quod de formalis se habet in specie specialissima, non est id, quod est in tali specie, seu quod dicitur esse illius speciei: sed est ratio aliqua specialis & propria talis speciei; & ideo intellectus in prima cognitione non cognoscens rationem aliquam propriam, & peculiarem speciei specialissimæ non cognoscit speciem specialissimam, licet id quod cognoscit, sit in specie specialissima.

11 Quæ doctrina patet etiam ex ipso exemplo solutionis. Nam aliud est videre album; aliud, rem quæ videtur, esse albam: primum requirit, quod ipsa albedo videatur, & terminet visionem; & hoc non contingit, quando à longè videntur aliquod obiectum album, cuius albedinem propter distantiam non discernimus. Ad secundum vero, scilicet ad hoc ut res quæ videtur, sit alba, sufficit, quod visio terminetur utcunque ad eandem rem, & quod illa emittat speciem sui, licet non emittat speciem albedinis.

12 Quæ propter ad 1. arg. resp. negando minorem, quæ falsa est propter duo. Primo, quia ut dictum est, cognitione confusa speciei specialissimæ non potest esse cognitione illius, nisi

nisi secundum aliquid communem : & ideo primum cognitum est semper aliquid communius, & universalius specie specialissima. Secundo est falsa etiam propter dicta , quia licet illud, quod intellectus in prima cognitione cognoscit , sit species specialissima : non ideo sequitur , quod cognoscat speciem specialissimam , ut patet in exemplis adductis. Ad probat. min. resp. quod ratio quare intellectus statim dum occurrit sensui aliquod obiectum , non potest cognoscere in prima cognitione speciem , non est instantia obiecti à sensu : sed impropositio intellectus incipientis cognoscere , & progredientis de imperfecto ad perfectum. Et quia cognitio praedicatorum universaliorum est imperfectior , quam cognitio speciei infimae , ideo intellectus non ab hac , sed ab universalibus incipit.

13 Ad 2. neg. min. respectu primæ cognitionis , quia singulare praedicati universalioris frequentius occurrit sensui , vt potè quod in pluribus invenitur quam singulare speciei infimæ : habet etiam plura signa sensibilia , quibus dignosci potest : & ideo fortius imprimet speciem sui , quam singulare speciei infimæ ; ut patet in pueris , qui prius & facilius discer-

nunt hominem à non hominibus quam unum hominem ab aliis & eadem ratione prius discernunt animal à non animali , quam animal unius speciei ab animali alterius speciei.

14 Ad 3. neg. mai. quia species intelligibilis , quam intellectus agens abstrahit pro prima cognitione , licet sit abstracta à phantasmate representante singulare naturæ specificæ , non tamen representat eandem naturam specificam. Et ratio huius est debilitas intellectus agentis , dum incipit abstrahere species intelligibles ; in principio enim non potest eas tam perfectas abstrahere , sicut postea decursu temporis potest. Praterquam quod dici potest , quod à principio res non sunt in phantasmate secundum accidentia propria speciei , sed solum secundum accidentia magis communia. Quod etiam patet in pueris , qui de rebus , quas per sensus externos percipiunt , non statim phantasiantur , & imaginantur ea omnia , quæ decursu temporis imaginantur circa accidentia propria rerum. Ex quo sequitur , quod in phantasia possit esse à principio singulare animalis ; v.g. & non singulare hominis ; consequenterque intellectus agens tunc abstrahit speciem intelligibilem representantem animi

Animal; & non hominem.

15. Ad 4. resp. Quod abstractio, quam intellectus agens facit pro primis cognitionibus, & sub qua ab intellectu possibili attinguntur prædicata universaliora, non est abstractio positiva, ea scilicet qua cognoscantur prædicata universalia secundum quod continent in potentia sua inferiora; hæc enim abstractio pertinet ad logicam, vel ad metaphysicam. Sed est abstractio pure negativa, qua unum prædicatum cognoscitur sine alio: & hæc abstractio facilissima est, & naturalis homini, sicut naturale est illi præscindere unum ab alio. Nota tamen pro complemento huius difficultatis, quod univere-
salе primū cognitum ab intellectu nostro non est ens in rotā sua latitudine, prout comprehendit entia materialia, & immaterialia, sed ens materia-
le, vel corporeum confor-
miter ad dicta quæstione
antecedenti.



QUÆSTIO V.

QUID SIT INTELLECTIO;
& an distinguitur reali-
ter à verbo, & à
dictione?

§. I.

*Resolvitur prima pars quæstio-
nis.*

Supponimus intellectu-
nem esse actum secundum causatum in genere
causæ efficientis ab ipso intelli-
gente. Hæc suppositio funda-
tur in his, quæ sèpè diximus
de actionibus vitalibus, quæ ut
tales sint, debent efficienter
causari ab eodem principio, in
quo recipiuntur. Supponimus
etiam, verbum esse speciem ex-
pressam, imaginem, & simili-
tudinem formalem obiecti in-
tellecti, quæ ex hoc ipso quod
aliquis rem aliquam intelligit,
procedit intra ipsum. Et dici-
tur verbum interius, quia pro-
fertur, & dicitur ab ipso intel-
ligente intra seipsum, sicut ver-
bum exterius dicitur, & pro-
fertur ad extra. Dicitur etiam
species expressa contrapositive
ad impressam, quia hæc non
causatur ab intellectu possibi-
li, sed imprimitur ei ab intel-
lectu

R g lectu

lectu agente ; species verò expressa causatur ab intellectu possibili , qui eam exprimit de ipso obiecto , tanquam imaginem perfectam eius.

2 Imago autem dicitur, quia procedit ab obiecto ipso, cui assimilatur. Nam ut docet P. Aug. quem omnes sequuntur , ad rationem imaginis non sufficit similitudo etiam perfecta inter aliqua ; sed requiritur quod illud , quod est imago alterius , procedat ab eo : & ideo unum ovum licet sit perfectè simile alteri , non est imago illius. Verbum autem est imago obiecti , quia ab ipso procedit, in quantum obiectum concurredit ad intellectuonem mediante specie impressa , quam immittit. Hanc imaginem , seu verbum gigni intra intellectum nostrum , quando aliquid intelligimus , est communis Philosophorum , & Theologorum consensus , præsertim P. Augustini , & D. Thomæ : qui etiam ex hoc verbo , quod intra nos procedit , aliqualiter explicant processionem , & generationem Verbi Divini. Denique supponimus , quod dictio est ipsa interior prolation , seu productio verbi.

3 Igitur circa primam partem questionis , quod in ea inquirimus est , an intellectio sit actio de prædicamento

actionis , vel sit qualitas ? Et quidem si intellectio consideretur secundum id præcisè , quod hoc nomine intellectio significatur , scilicet esse tantummodo perceptionem rei intellectæ mihi videtur questionem esse magis de nomine , quam de re , parumque referre qualitas , vel actio , & utrumque posse ei aliquomodo convenire.

4 In quantum enim est actus secundus , & actualis operatio potentia , potest dici actio , & reductive pertinere ad prædicamentum actionis ; non tamen propriè collocatur in prædicamento , quia iuxta mentem Aristotelis , qui author fuit prædicamentorum , actio prædicamentum est idem cum passione , & motu strictè , & physicè sumpto , ut diximus lib. 3. Physic. Intellectio autem maximè in sensu prædicto considerata non est motus proprius , nec propria passio. Unde hoc ipsum , quod scilicet intellectio non sit directè in prædicamento actionis , expressè docetur à Div. Thoma Opusc. 47. dicente : *Hæc autem actio immanens non est directè in prædicamento actionis.* Et in 1. dist. 8. quest. 4. art. 3. ait : *Actio secundum quod est prædicamentum dicit aliquid fluens ab agente , & cum motu.*

5 Potest etiam intellectio dici

dici qualitas, in quantum sub praedicta consideratione non habet ordinem ad aliquid aliud producendum, sed ipsa per se ipsam est ultima perfectio potentiae intellectivae: sicut sensatio in sententia afferente, quod nihil intra sensum producitur distinctum ab ea, est ultima perfectio potentiae sensitivae; & in hoc deficit a propria ratione actionis, quae essentialiter ordinatur ad aliquid a se distinctum producendum. Vnde intellectio, & omnes aliæ actiones immanentes, in quantum præcisè sunt attingentiae, & perceptiones obiecti, propriè loquendo, nec sunt actiones de praedicamento actionis, nec sunt qualitates: sed sunt actuatinges ultimæ, & actus secundi potentiarum.

6 Nec inconveniens est, quod huiusmodi entia non pertineant proprie ad aliquod praedicamentum: quia nec etiam existentia propriè est substantia, quæ ponitur in praedicamento, nec ad illud reducitur tanquam pars substantiae compleæ, sicut reducuntur materia & forma; nec etiam est qualitas, quia existentia non est accidens praedicamentale. Est ergo esse substantiale rei, & ultimus actus eius. Item species, quæ appetit in speculo ex oppositione obiecti, non facile redu-

cetur ad aliquod praedicamentum, nec proprie dici potest qualitas; sed est imago, & similitudo intentionalis obiecti. Et idem est de speciebus tam sensus, quam intellectus. Vnde haec sententia videtur esse Aristotelis. Quod enim istæ operationes non sint propriæ actiones praedicamentales, patet ex doctrina Philosophi 3. Physic. Quod verò non sint qualitates, docet idem Philosophus 10. Ethic. cap. 3. dicens: *Nec enim virtutis operationes qualitates sunt, nec ipsa felicitas.*

7 Interpretatio autem, quæ adhibetur his verbis, scilicet quod Philosophus solum negat, operationes seu actus virtutum esse qualitates permanentes sicut habitus, non autem negat, esse qualitates transiuentes, voluntaria videtur, nec congruit intento, & textui eiusdem Philosophi. Nam ibi Philosophus solvit quoddam argumentum, quo intendebatur probare, delectationem non esse de genere bonorum: quia bonum videtur pertinere ad genus qualitatis: sed delectatio non est qualitas: ergo. Ad quod argumentum respondet Philosophus, quod non solum in genere qualitatis invenitur bonum: quia operationes virtutum, & ipsa felicitas non sunt qualitates, & tamen bona sunt. Vnde ta-

citè negat maiorem argumenti , & concedit vel permittit minorem. Si autem vellet dicere , quòd actus virtutum sunt qualitates transeuntes , non solveret argumentum : quia vel delectatio est qualitas transiens , vel non ? Si est qualitas transiens : non debuit Philosophus negare maiorem , & concedere minorem ; sed concedere maiorem , & distinguere minorem , quod non facit. Si autem delectatio non est qualitas adhuc transiens : nihil conduceret ad solutionem argumenti adducere in exemplum operaciones virtutum , quæ iuxta interpretationem sunt qualitates transeuntes ; semper enim maneret verum , quòd nihil sit bonum , nisi quod est in genere qualitatis : & sic delectatio , quæ in tali genere non est , non erit bona.

8 Accedit etiam pro hac assertione nostra , quòd cum D. Thomas afferat in locis citatis , operationes immanentes non pertinere directè ad prædicamentum actionis : nullus tamen locus adducitur , in quo doceat , eas pertinere ad prædicamentum qualitatis : ergo dici debet , eas ad nullum prædicamentum propriè pertinere.

9 Hæc dicta sunt de intellectione considerata secundum

quòd præcisè respicit obiectum intellectum , & prout quantum ad hoc convenit cum sensacione , & alijs operationibus immanentibus , quæ nihil producunt. Cæterum quia in sententia Thomistarum , & etiam aliorum intellectio ex natura sua est productiva verbi realiter à se distincti : ideo est difficultas de re , an intellectio sit vera & propria actio , sumpta actione pro causalitate agentis , & pro fieri eius rei , quæ producitur. Et tunc non erit difficultas , an hæc actio pertineat ad prædicamentum actionis ; quia in hoc , vt diximus , magis videtur esse quæstio de nomine ; erit tamen dubium , an intellectio sit de prædicamento qualitatis ? Nam etiam probabile est , aliquas actiones instantaneas , v. gr. illuminacionem , non pertinere propriè ad prædicamentum actionis , quia non sunt motus strictè sumptus , cum quo iuxta Philosophum identificatur actio prædicamentalis : sed sunt mutationes tantum ; & tamen iuxta sententiam eorum , qui has mutationes distinguunt à termino producto , sunt veræ causalitates , & consequenter veræ actiones.

10 Ad hunc ergo modum si intellectio est vere productiva verbi , cum non possit esse pro-

productiva per modum virtutis, quia esse virtutem solum convenit intellectui: erit productiva per modum causalitatis, & fieri ipsius verbi: ergo erit vera actio, & non qualitas. Ex quo probatur etiam, quod non possit esse vera qualitas. Quia nulla vera qualitas est causalitas, & fieri alicuius rei, ut patet discurrendo per singulas species qualitatis, in quibus illæ, quæ sunt productivæ alicuius effectus, sunt productivæ per modum virtutis, seu alicuius se tenentis ex parte virtutis, & actus primi, non verò per modum causalitatis, & fieri alicuius termini: ergo si intellectio est productiva verbi, non erit qualitas, sed vera actio.

11 Propter hæc aliqui etiam ex Thomistis, ut refert Magist. à S. Thoma, tenent, intellectiōnem esse veram actionem de prædicamento actionis, causalitatēque productivam verbi. Alij autem apud eundem Authorem dicunt, intellectiōnem non esse actionem, sed veram qualitatem. Cœterūm hoc ideo afferunt, quia iudicant, intellectiōnem non distingui realiter à verbo: & ideo sicut verbum non est actio, ita nec intellectio: est tamen terminus productus per veram actionem.

12 Alij tandem, cum quibus ipse Magist. à S. Thoma, afferunt, intellectiōnem esse quidem realiter distinctam à verbo, vt tenent omnes, vel ferè omnes Thomistæ tanquam magis conforme Div. Thomæ; sed tamen non esse actionem, sed qualitatem. Dicunt etiam, eam esse virtualiter productivam verbi per modum actus secundi, & causalitatis, quin tamen per hoc sit formaliter actio: quia vt dicunt, est formaliter qualitas eminentiē continens perfectionem actionis. Cuius rationem assignant, quia intellectio non est per se ordinata ad productionem verbi, sed potius ipsum verbum productum ordinatur ad intellectiōnem, vt scilicet intellectus in verbo contempletur obiectum. Actio verò sive sit de prædicamento actionis, sive non, dummodo sit vera actio, ordinatur essentialiter ad terminum productum tanquam fieri, & via ad illum: vnde nec queritur propter se, sed propter terminum.

13 Cœterūm nulla ex his sententijs satisfacit difficultati. Et quidem prima videtur non posse defendi in via D. Thomæ, cum S. Doctor afferat, actiones immanentes non pertinere directe ad prædicamentum actionis. Solum ergo poterit defen-

di ad mentem D. Thomæ summando actionem pro vera, & rigorosa causalitatē verbi producti, licet non sit actio prædicamentalis, ut diximus de illuminatione. Sed notandum est iuxta dicta in tractatu de Generat. quæst. 2. & supra etiam in hac disput. quæst. 2. tetigimus de mutationibus instantaneis, quod si hæc sententia pro eodem accipiat intellectionem esse causalitatem productivam verbi, ac esse fieri ipsius verbi: tunc falsa est quantum ad hoc.

14. Ratio huius locis citatis tacta est, & nunc magis explicanda est. Nam in his, quæ fiunt in instanti, & sine motu præcedente, non datur proprium fieri distinctum à facto esse termini producti: v. gr. lux, que fit in instanti, & sine motu prævio alterationis, non habet nisi factum esse. Probatur hoc. Quia si haberet aliquod fieri realiter distinctum à facto esse sui ipsius, cum hoc fieri non præcedat ipsum factum esse, sed potius sit simul cum illo, quia non consistit in aliquo motu præcedente ipsum factum esse: iam lux esset simul in fieri, & in facto esse: sed hoc repugnat: ergo. Min. prob. Quia fieri realiter distinctum à facto esse est realis via, & tendentia ad esse: sed nihil potest esse reali-

ter in via, & tendentia ad esse, & simul in ipso esse, sicut non potest aliquid simul esse in via, & in termino: ergo repugnat, quod lux sit simul in fieri realiter distincto à facto esse, & in ipso facto esse.

15. Idem ergo est de verbo, quod quia fit in instanti simul cum ipsa intellectione, non habet aliud fieri præter factum esse: sed factum esse verbi non distinguitur realiter ab ipso verbo producto: ergo nec fieri verbi identificatum cum facto esse distinguitur realiter à verbo. Sed intellectio realiter distinguitur à verbo, vt ponit prima sententia: ergo intellectio non potest esse verum fieri ipsius verbi.

16. Nec valet si contra hanc doctrinam dicas, quod factum esse verbi est quædam mutatione passiva distincta realiter à verbo producto, sicut illuminatio passiva recepta in aere illuminato est realiter distincta à luce. Nam contra est, quod etiam si daremus, illuminationem esse aliquam mutationem passivam distinctam à luce: hoc tamen locum non habet in intellectu, in quo nihil poni potest præter intellectionem, & verbum; & contrarium asserere est multiplicare entites sine necessitate. Præterea falsum est dari tales mutationes passivas distin-
tas

Etas realiter à termino produc-
to, ut probavimus citato lo-
co de Generat. Quia mutatio
passiva, si est mutatio in facto
esse, seu ipsum mutatum esse
subiecti, nihil aliud est, quam
forma producta: v. g. in illu-
minatione lux est forma, per
quam aer constituitur mutatus
de privatione lucis ad lucem
modo ibidem explicato.

17 Ad summum autem
istæ mutationes possunt addere
supra formam, vel terminum
productum aliquam relationem
termini producti, vel subiecti
quod mutatur ad causam mu-
tantem, & producentem ter-
minum: sicut in sententia D.
Thomæ, creatio passiva addit
ad entitatem rei creatæ solam
relationem ad Deum creantem.
Et licet verum sit, quod crea-
tio non est realis mutatio, sed
tantum secundum modum in-
telligendi: hoc non ideo est,
quia mutatio passiva sit aliquid
receptum in eo quod mutatur
distinctum à termino, præ-
ter relationem iam dictam; sed
quia vera & realis mutatio re-
quirit subiectum, quod præ-
cesserit sub privatione formæ,
ad quam mutatur. Hoc autem
in creatione contingere non
potest, quia creatio non est ex
præsupposito subiecto, sed est
productio totius entis ex nihilo.

18 Si vero talis mutatio

passiva summatur prout est
idem quod moveri, seu mutari
realiter distinctum à mutato
esse: hoc non habet locum in
mutationibus instantaneis, &
contra illud militat argumen-
tum iam factum, quod scilicet
subiectum esset simul in mutari
realiter distincto à mutato es-
se, & in ipso mutato esse. Et
cum illud, quod est in mutato
esse, sit in termino mutationis,
sequitur quod aliquid simul es-
set in mutari, & in termino
mutationis; quod non minus
repugnat, quam moveri, &
esse in termino motus.

19 Restat ergo, quod pri-
ma sententia non possit pone-
re, intellectionem esse verum
fieri verbi, sed ad summum
quod sit causalitas purè se te-
nens ex parte intellectus pro-
ducentis tanquam facere acti-
vum, quo producit verbum.
Secunda vero sententia in quan-
tum asserit, intellectionem non
esse realiter distinctam à verbo,
postea rejicitur. In quantum
autem asserit, intellectionem
& verbum produci per aliam
actionem distinctam, habet
eadem difficultates, quæ tacte
sunt circa fieri verbi. Tertia
tandem sententia habet contra
se difficultatem supra positam
de eo, quod vera qualitas non
potest esse productiva per mo-
dum causalitatis.

20 Quare licet prima sententia mihi videatur probabilior ceteris, adhibita limitatione prædicta; tamen adhuc videtur dicendum, intellectu nem, ut est productiva verbi, nec propriè esse qualitatem, nec actionem, adhuc sumpta actione prout est pura causalitas, & facere activum. Quòd non sit vera qualitas, constat ex dictis; quòd autem non sit propria causalitas, probatur. Quia causalitas, & facere non potest stare sine aliquo facto, & causato: sed intellectio potest stare sine verbo producto, ut plurimum Theologorum tenet sententia de visione beata, per quam nullum verbum producitur à beatis: ergo.

21 Quomodo autem intellectio sit productiva verbi: dico, hoc esse ad eum modum, quo unus motus causat & producit alium, v. gr. motus manus motum baculi. Intellectio enim est quidam motus, licet non motus existentis in potentia, sed existentis in actu per speciem intelligibilem, ac proinde est motus perfecti; vndè Div. Thomas sèpè intellectu nem appellat motum, & in Opusc. 14. dicit: *Intellectu nem esse motum à rebus ad animam.* Hic ergo motus intellectuialis causat verbum: & dici etiam potest, quòd causat

alium motum; quia per verbum trahuntur res intra intellectum, & sunt quodammodo in esse intelligibili.

22 Sicut ergo motus, quo manus movetur, non est essentialiter causalitas activè causans motum baculi, quia idem numero motus manus potest dari, quin sit causativus motus baculi, in casu scilicet quòd manus non haberet sibi coniunctum baculum: ita intellectio causat verbum, & potest dari aliquando sine eo, in casu scilicet quòd obiectum sit ipsi intellectui intimè unitum in actu secundo, & habeat sufficientem immaterialitatem & actualitatem, per quam sit per seipsum intellectum in actu, & non per aliquid à se distinctum. Et ita contingit in visione beata, cuius obiectum scilicet Essentia Divina est infinitæ immaterialitatis, & actualitatis: & ideo non potest per aliquid à se distinctum constitui intellecta, nec intelligibilis in actu, sed per seipsum utrumque habet, & gerit munus speciei tam impressæ, quam expressæ respectu visionis, qua videtur a beatis. Et si dicas, verbum quando producitur, debere habere aliquod facere activum, seu causalitatem, quæ sit propriè & rigorosè talis. Resp. ita esset cœtetum causalitas hæc non est ipsa

Ipsa intellectio , sed causalitas , per quam producitur ipsa etiam intellectio : quæ causalitas est physica prædeterminatio iuxta dicta in Physica lib. 2. & 3. circa eandem physicam prædeterminationem.

ratio , sed potius quid opera- tum , & factum per intellectio- nem : ergo. Item verbum est obiectum intellectionis : ergo non est ipsa intellectio. Ante- cedens est D. Thomæ in locis , quæ allegat Arnu , quæst. 14. de Anima art. 2.

24 Sed dices contra hanc sententiam primò. Intellectio nihil aliud est quam notitia ob- jecti : sed verbum est notitia , ut inquit P. August. in libris de Trinitate , quod *verbum est no- tia cum amore* : ergo. 2. Quia si verbum esset distinctum ab intellectione per modum ob- jecti cogniti , experiremur in nobis talem cognitionem verbi : sed nullus experit se cog- noscere verbum sui intellectus ; sed solum obiectum : ergo. 3. Quia sequeretur cognitionem rerum non esse immediatam , si quidem nihil cognoscimus nisi mediante verbo cognito : vnde non cognoscere- mus res in se ipsis , quod est falsum. 4. Si intellectio di- stingueretur à verbo sicut cau- sa eius , esset prior verbo , si- cut causa est prior effectus : sed hoc est falsum. Potius enim verbum est priùs intellectione : ergo. Min. prob. Quia verbum est obiectum intellectionis , ut dictum est : sed obiectum est priùs intellectione ; ergo.

25 Ad 1. respondet Div. Thomas 1. part. quæst. 34. art. 1. ad 2. dicens: *Cum ergo dicatur quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu: sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo.* Ex quibus verbis constat quod alio modo dicitur notitia actus intellectus, seu intellectio: alio modo verbum. Ad 2. resp. ideo nos non experiri in nobis cognitionem verbi, quia verbum, & obiectum non sunt duo intellecta, sed unum; verbum enim non est medium, per quod cognoscimus, & ideo nec debet prius cognosci, quam obiectum: sed est medium *in quo* cognoscitur obiectum, & ideo utrumque simul cognoscitur. Præterquam quod potest negari minor. Quia dum intelligimus, experimur quod intra nos formamus aliquam conceptionem eius, quod intelligimus; hæc autem conceptio non potest esse ipse actus intelligendi, quia actum intelligendi non discernimus nisi per alium actum reflexum: restat ergo quod sit verbum realiter distinctum ab intellezione.

26 Ad 3. resp. quod cognoscere verbum non tollit immediationem cognitionis obiecti, cuius est verbum: quia

verbum non est aliquid prius cognitum, quod ducat in cognitionem obiecti: sed utrumque simul cognoscitur, vel potius in verbo cognito cognoscitur obiectum. Et si dicas, quod beati vident creaturas in Essentia Divina, & simul vident utrumque: & tamen cognitione creaturarum non est cognitione immediata, nec cognitione in se ipsis: ergo idem erit in cognitione naturali, si res cognoscuntur mediante verbo. Resp. esse disparitatem; quia Essentia Divina non representat primario creaturas, sed se ipsam: creaturas vero representat secundario, nec adæquatur cum eis in esse representativo, & intelligibili, sed in infinitum excedit eas; representat autem eas tanquam similitudines, & participationes deficientes à perfectione ipsius Dei. Ceterum verbum creatum adæquatur obiecto creato in representando, & in esse intelligibili, quia nec excedit obiectum, nec exceditur ab eo in esse intelligibili; sed potius est ipsa quidditas obiecti in esse intelligibili: & ideo non ponit in numero quoad intelligentiam cum ipso obiecto.

27 Ad 4. resp. illud non favere sententia oppositæ, quia si intellectio est causa verbi, non potest esse idem cum illo.

Quo-

Quomodo autem intellectio sit prior verbo , & verbum prius intellectione , quod videtur asserere D. Thomas Opusc. 14. fateor mihi difficile esse. Idem D. Thomas eodem loco videtur asserere , quod intelligere sumptum radicaliter est prius verbo , & verbum est prius intellectione sicut obiectum actus. Alij dicunt , intellectiōnēm esse priorem verbo in genere causæ efficientis : verbum autem prius intellectione in genere causæ formalis extrinsecæ , quia obiectum est causa formalis extrinseca actus. Et hæc mutua prioritas fortasse sustineri potest si ne præiudicio eorum , quæ diximus 2. Physic. circa mutuas causalitates , vbi negavimus , causam efficientem posse esse posteriorem suo effectu in aliquo genere causæ. Causa enim formalis extrinseca solum impropriæ , & metaphorice videtur esse causa : consequenterque prioritas illius per ordinem ad causam efficientem solum erit impropriæ.

28 Alij dicunt , intellectiōnēm habere duplēm formalitatem , scilicet dictionis , per quam est productiva verbi , & contemplationis quatenus in verbo producto contemplatur obiectum. Et sub priori formalitate esse priorem obiecto , sicut causam effectu ; sub mune-

re verò contemplationis esse posteriorem , quia contemplatio supponit obiectum , quod contemplari debet. Cœterū , hæc prioritas verbi ad intellectiōnēm non est prioritas causalitatis : sed est ad eum modum quo inter formalitates , & gradus animæ datur ordo , & prioritas in communicando se ad materiam ; prius enim anima informat corpus sub gradu vegetativo , quam sensitivo , quia sensitivum essentialiter supponit vegetativum. Vnde hæc prioritas videtur esse solū rationis : vel si est realis , non est tamen causalitatis.

29 Quantum ad distinctiōnēm intellectiōnis à dictione breviter dico cum communī Thomistarum , eas esse unam & eandem realiter operationem , cum diversis tamen respectibus. Nam dicere importat respectum ad verbum productum , quem respectum non importat intellectio , prout hoc nomine significatur : etenim sub hoc nomine solū dicit respectum ad rem intellectam , ut ad obiectum. Ita D. Thomas 1. part. quæst. 34. art. 1. ad 3. vbi ait : *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam , in qua nulla ratio originis importatur :: Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum.*

30 Et si dicas : datur aliqua intellectio , quæ non sit dictio , vt dictum est de visione beata non producente verbum: ergo intellectio non est idem realiter quòd dictio. Resp. ex eo quòd aliqua intellectio , quia est intellectio obiecti perfectissimi , quod seipso est intra potentiam intellectivam per modum actualiter intellecti , non sit dictio , non sequi quod intellectio , quæ coniungitur cum dictione non identificetur cum ea : sicut ex eo quòd aliquod animal non sit rationale , non sequitur quod in homine ubi coniunguntur animal , & rationale , non sint idem realiter.

QUÆSTIO VI.

DE MEMORIA ET VOLUNTATE QUID SINT?

DE memoria , quæ est altera potentia animæ rationalis , duo asserit D. Thomas 1. part. quæst. 79. art. 6. & 7. Primum est , quòd in parte intellectiva ponenda est memoria , prout memoria est vis conservativa specierum ; quod probat ex eo quòd intellectus non est minus efficax ad conservandum species intelligibiles , quas recipit,

quàm materia corporalis formas , quibus informatur : sed materia corporalis formas , quas semel recipit , conservat & retinet : ergo multo melius hoc poterit intellectus.

2 In quo discursu per materiam corporalem potest intelligi ipsa materia prima , quæ recipit & conservat formas naturales : & potest etiam intelligentiæ memoria partis sensitivæ , quæ dici potest materia corporalis , quia est in materia , & organo corporeo , & respectu specierum sensibilium se habet ut materia , vel subiectum. Et hoc secundo modo intellecta materia corporali , congruentior est argumentatio facta , & summittur à proximiori , & similiori. Nam si in parte sensitiva ponitur aliqua potentia , quæ cum sit in materia , & organo corporali , est potens conservare species sensibiles , quas semel recipit : multo magis hoc eveniet in parte intellectiva respectu specierum intelligibilium. Vnde ponenda est in parte intellectiva potentia conservativa talium specierum , etiam dum intellectus actu non intelligit : & hæc est memoria intellectiva.

3 Secundum , quòd asserit S. Doctor est , hanc memoriam intellectivam non esse realiter distinctam ab intellectu possibili,

bili. Huius ratio videtur in eo consistere, quod memoria intellectiva non potest distingui ab intellectu possibili secundum rationem potentiae activæ, & passivæ, quia utraquæ est potentia passiva; intellectus quidem, quia recipit species intelligibiles: memoria autem, quia eas conservat, & conservare est etiam munus potentiae passivæ. Nec etiam potest distingui penes diversitatem obiecti: quia obiectum intellectus est ens in communi, cuius species abstrahi potest per actionem intellectus agentis; memoria autem intellectiva etiam conservat, vel conservare potest species cuiuscunque intelligibilis, quod potest intellectus attingere: unde æquè universale obiectum habet, ac intellectus.

4 Quod si dicas: in parte sensitiva ponitur distincta potentia pro recipiendis speciebus sensibilibus, & pro eis conservandis, ut supra dictum est dum de sensibus internis ageremus: ergo eadem ratione memoria intellectiva, cuius munus est conservare species intelligibiles, distingui debet ab intellectu possibili, ad quem pertinet eas recipere. Resp. negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia potentiae sensitivæ sunt materiales, &

sunt actus organi corporei: & ideo ad suas operationes, & exercitia indigent diversis organis diverso modo dispositis. Et quia quod est aptum ad recipiendum, non est aptum ad conservandum, eo quod diversæ dispositiones materiales, & inter se contrariae requiruntur ad unum, quam ad aliud, ut etiam ibidem dictum est de humido, quod est bene receptivum, & male conservativum; & de sicco, in quo è converso se habet: ideo in corporalibus una potentia assignatur ad recipiendum, & alia ad conservandum; sicut diversis materialibus debent correspondere diversi actus. Intellectus autem non est actus organi corporei, nec pro recipiendis, vel conservandis speciebus intelligibilibus petit aliquam dispositionem materiæ corporalis: & ideo simul potest eas recipere & conservare.


5 Tandem de voluntate plura non minus difficultia, quam scitu digna disputanda essent; sed quia ea omnia brevi sermone comprehendere fas non est, & multa eorum, praesertim quæ ad libertatem, & varios actus voluntatis pertinent, disputantur à Theologis: nosquæ etiam circa libertatem voluntatis, ut subjicitur motioni Dei prius moventis non pauca

pauca diximus in Physica lib. 2. ideo ad præsens sufficiat sci-
re, voluntatem esse appetitum rationalem, cuius obiectum est bonum apprehensum per rationem. Dicitur autem bonum ap-
prehensum per rationem, non quia voluntas non seratur ad ea bona, quæ sensus percipit; sed quia sub altiori ratione,
quam sensus, in ea fertur. Sicut intellectus licet cognoscat ea,
quæ sensus cognoscit, alio ta-
men modo, & sub ratione uni-
versaliore ea attingit. Insuper
etiam per voluntatem, seu ap-
petitum rationalem appetimus immaterialia bona, quæ sensus non apprehendit, sicut scientiam, virtutes, & alia huius-
modi, ut observavit D. Thom-
mas I. part. quæst. 8o. art. 2.

6 Habet etiam voluntas dupicum conceptum, scilicet nature, & libertatis, seu potentiae naturalis, & liberae. Vol-
untas, ut natura respicit tan-
quam obiectum finem ultimum,
scilicet beatitudinem sub qua-
dam generali, & confusa ra-

tione. Et ad beatitudinem hoc modo sumptam habet voluntas habitudinem necessariam, ita ut ex necessitate illam appetat: non quidem quoad exercitum, quia non semper debet esse in actu appetendi: sed solum est necessitata quoad specifica-
tionem, ita ut non possit opposi-
tum beatitudinis appetere, quia nemo potest velle se non esse beatum, vel felicem. Vnde P. August. lib. 14. de Trinit. apud D. Thomam I. part. quæst. 8o. art. 1. ait: Beatitudinem omnes una voluntate appetunt. Habet itaque se voluntas ad beatitu-
dinem sub hac generali ratio-
ne, sicut intellectus circa pri-
ma principia, quibus dissen-
tire non potest. Circa alia vero bona particularia voluntas li-
bera est. Et haec sufficient de isto tractatu, quæ cedant in laudem Omnipotentis Dei, B. V. Dei Genitricis Mariæ, S. P. N. Augustini, Div. Thomæ Aquinatis, & omni-
niuum Sanctorum.





TRACTATUS APPENDIX DE MUNDO ET COELO.

AUTHORE SAPIENTISSIMO QUODAM
Magistro Augustiniano.

QUÆST. I.

An Mundus fuerit ab Æterno?

§. I.

Unica Conclusione deciditur quæstio.

Erravit Arist. cum Epicureis, putantibus mundum fuisse ab aeterno. In hoc tamen discrimina-

bantur Epicurei à Philos. & etus sectatoribus; quod illi asserebant nendum mundum esse ab aeterno, sed etiam improductum; hic secundus error satis reiectus manet ex dictis in Phys. lib. 8.

T_t in

superest modò ; vt primum etiam Aristotelicis , & Epicureis communem confutemus. Omnes DD. Catholici docent esse de fide mundum non fuisse ab æterno creatum sic B. Aegid. in 2. dist. 1. part. 1. quæst. 4. art. 1. & alibi , cum quibus sit.

2 Unica Conclusio. *Mundus non fuit à Deo creatus ab æterno.* Probat. I. ex illo Gen. 1. In principio creavit Deus Cœlum , & Terram ; & deinde dicitur creasse omnia , quæ intra Cœlum , & Terram continentur. Ly in principio pro eodem sumitur , ac in principio durationis , seu temporis , vt videtur in SS. PP. & præsertim in P. August. lib. 1. de Gen. ad lit. Sed Mundus nihil aliud est , quam Cœlum , & Terra , & omnes creature in eis contentæ ; ergo Mundus fuit creatus in principio durationis. Sed quod habet suæ durationis principium , non est ab æterno productum ; quia æternitas caret principio , & fine suæ durationis , in quo differt à tempore , quod finem , & principium habet : ergo mundus non fuit ab æterno productus. Hæc conclusio est de fide , tūm , quia est expressa in pluribus Sac. Script. locis ; tūm etiam , quia decisa manet in Concilijs Gen. & præcipue Conc. Lat. sub Leone X. sess. 8. vbi damnatur sen-

tentia Arist. affirmantis mundi æternitatem , & præcipitur DD. Catholicis , vt solvant eius Sophismata , quod faciemus §. sequenti.

3 Cæterū quamvis naturali ratione non possimus veritatem hanc demonstrare ; non tamen desunt gravissimæ congruentia quibus ea possit satis efficaciter ostendi. I. ostenditur sic. Nam ex productione rerum in tempore clarius diagnoscitur libertas Divina circa talēm productionem. In tantum enim Aristotle erravit dicens Deum agere ex necessitate naturæ , quia putavit , mundum produxisse ab æterno : ergo productio in tempore argumentum evidentius præbet Divinæ libertatis. Sed Deus debuit nobis ostendere id , quo clarius nosceremus , creature fuisse ab ipso liberè productas ; vt ex hac cognitione creature magis humiliaretur Divinæ Majestati , & in ipsius laudem , & obsequium erigeretur : ergo congruentius fuit Deum produxisse mundum in tempore quam ab æterno.

2. Epicurei negarunt Deum esse primum rerum omnium Motorem , quia existimat mundum fuisse ab æterno , & sic à se ipso moveri : ergo ex productione mundi in tempore clarius ostenditur Deum

Déum esse primum rerum omnium Motorem. Sed Deus debuit ostendere creaturis rationalibus , se esse primum omnium Motorem : ergo debuit, &c. 3. Magis cognoscitur infinitas Divinæ Potentiae ex productione mundi facta in tempore , nam si mundus fuisset ab æterno factus facile quis dubitare posset , an esset factus ex nihilo ; quia nihil non præcessisset mundum , si hic æternus foret ; & ob id negant aliqui Deum non potuisse de facto mundum ab æterno producere : Sed Deus debuit in productione creaturarum ostendere infinitatem suæ potentiae : ergo idem. 4. Si mundus fuisset ab æterno , posset quis dicere , Deum egere consortio creaturarum , & sine illis non posse bene , & beatè vivere : sed ab opposito arguitur oppositum : ergo debuit Deus mundum , non ab æterno , sed in tempore producere. Denique ex effectu cognoscitur causa : Sed hoc magis verificatur ex productione rerum in tempore , quia magis ducimur in cognitionem primæ causæ ; ergo.

§. II.

Solvuntar argumenta.

4 A Rg. i. cum Phil. Si Mundus non fuisset ab æterno productus , valeret dicere :

Nunc est mundus , & antea non erat : Sed nunc , & antea sunt differentiae temporis : ergo vel antea fuisset tempus ; vel mundus est æternus ; quia mundus cum tempore erat. 2. Motus non habuit initium ; quia motus præsupponit mobile , in quo recipitur , & hoc mobile factum est per motum : ergo ne detur processus in infinitum , dicendum est motum non habere initium : ergo nec mundus , qui incepit cum motu. At quod caret initio est æternum : ergo , &c. 3. Posita causa se sola sufficiente cum omnibus requisitiis ad agendum , necessario sequitur effectus ; ut posito sole statim consequitur illuminatio : Sed Deus est causa se sola sufficiens ad productionem mundi , & ab æterno habuit omnia requisita ad talem productionem ; non enim acquirit requisita ad causandum de cursu temporis : ergo , &c.

4. Tunc ponitur effectus , quando ponitur actio ; nam effectus , & actio sunt correlativa , quæ sunt simul natura : Sed actio productiva mundi fuit ab æterno , quia est Divina voluntio , quæ nequit esse in tempore : ergo & mundus , qui fuit cum ipsa actione. 5. Ab actione indivisibili , quæ est tota simul , procedit effectus , quo primum ponitur illa actio :

ideo enim posita actione calefactiva non ponitur combustio, quia talis actio est divisiibilis, & non est tota simul: Sed actio productiva mundi est indivisiibilis, & tota simul, & fuit ab æterno: ergo & mundus, qui est effectus eius. 6. Cum Ioan. 1. dicitur: *In principio erat Verbum*; nequit intelligi in principio temporis; quia Verbum fuit ab æterno: ergo neque cum dicitur: *In principio creavit Deus Cælum, & Terram.* 7. Si Deus produxisse mundum in tempore, produxisse prius tempus, quā mundum: Sed hoc est falsum: ergo produxit mundum ante omne tempus. Denique omnes SS. PP. Græci, quorum sententiam non reprobant S. P. Aug. docent Deum fecisse mundum ante omnem diem: ergo ante omne tempus, & sic ab æterno.

5. Ad 1. argum. resp. dist. 2. partem maioris, antea non erat, si ly *antea* designet partem temporis, neg. mai. Si designet æternitatem, quæ est ante omnia tempora, conc. In hoc secundo sensu illa particula *antea*, non est differentia temporis, sed importat solum præcedentiam æternitatis; Unde 1. propositio facit hunc sensum; Nunc est mundus, & antequam crearetur non erat, quod est verissimum. Ad 2. neg. ant. Nec

probatio inserta vrget; nam motus præsupponit mobile præcedentia naturæ, non præcedentia temporis. Nec mobile præsupponit motum, nisi dum producitur ab agente creato, secus dum fit à Divino, qui mundum produxit in instanti, ut dicemus. Ad 3. dist. mai. posita causa agente ex necessitate naturæ, ut sol, conc. mai. posita causa libera, neg. & eodem modo, dist. min. neg. consequent. Turpissimè erravit Aristoteles dicens Deum agere ad extra ex necessitate naturæ, qui error satis reprobatur ex Psalm. 133. vbi dicitur: *Omnia quacumque voluit fecit*, quare argumentum, nil convincit. Ad 4. dist. mai. eodem modo; quando ponitur actio necessaria, concedo; quando ponitur actio libera, neg. mai. & dist. eodem modo mai. neg. conseq. Ad id quod subditur actionem esse correlativam ad effectum, dic verum esse de actione externa; non de interna.

Ad 5. resp. similiter, dist. mai. ab actione necessaria, conced. libera, nego. Vel sic, si illa actio sit transiens, conc. si immanens, neg. Ad 6. concessio antec. neg. conseq. Ratio disparitatis est, nam per ly *in principio* in anteced. purè designatur principium generationis Verbi, non autem dura-

tionis illius : quapropter non dixit Evangelista : *In principio Pater creavit Verbum* : Sic enim innuisset factum fuisse in principio temporis ; sed dixit : *In principio erat Verbum* ; quo designatur Verbum semper existuisse , & ideò ab æterno fuisse. At cum dicitur : *In principio fecit Deus Cælum , & Terram* ; designatur principium durationis Cæli , & Terræ ; quia nomen *in principio* refertur ad factiōnem Cæli , & Terræ ; quo significatur Cælum , & Terram principium durationis in tempore habuisse.

Ad 7. neg. seq. sicut, cum dicitur Deum produxisse hominem in ætate perfecta , non est sensus , quod prius fecerit ætatem perfectam , & posteā hominem, sed utrumque simul ; sic Mundum fecisse in tempore, facit hanc sensum, nempè, quod simul fecerit Mundum , & tempus ita , vt Mundus sit in primo instanti temporis. Ad vltim. neg. conseq. Nam ante omnem diem designat primum instans temporis , quod non est dies, neque tempus; sicut punctus, qui est initium linea , non est linea. Fecit ergo Deus Mundum ante omnem diem , quia eum fecit in primo instanti temporis ; & sic Mundum ab æterno non fecit.

(S)

QUÆST. II.

AN MUNDUS FUERIT IN
instanti productus?

§. I.

Ponitur resolutio quest. Quid
quibusdam repliis respon-
detur.

I **S**ensus quest. est , an omnia illa, quæ enumerat Moyses creata sex primis diebus , fuerint unico temporis momento producta ; & distincta solum in dies , ut eorum ordinatio cognosceretur ? P. August. lib. 1. retract. cap. 9. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 14. & alibi, & cum eo alij SS. PP. docet sex primos dies , quibus Moyses Mundum à Deo productum fuisse describit , esse dies spirituales , eosque propriè litteraliè vocari dies. Huic sententiæ subscribimus. Sed observamus hic tantum loqui de actione Dei productiva ex nihilo; nam certum est , quod ea , quæ modo producuntur à Deo per propagationem naturæ , iuxta illud Ioan. 14. *Pater meus usque dunc operatur , & ego operor* ; non fuerunt simul creata cum iis , quæ fuerunt producta ex nihilo in ipso Mundi principio. Hoc notato sit.

Vnica

2. Vnica Conclusio. Omnia, que fuerunt à Deo creata, sex primis diebus, fuerunt à Deo producta, unico temporis momento; & illi sex dies fuerunt veri dies spirituales propriè, ac literaliter; non autem corporales. Probatur 1. pars ex P. August. lib. de Gen. ad lit. cap. 17. Nam cum Moyses descripsit creationem primi diei, non dixit: Factum est vespere, & mane dies primus; sed dies unus. Sed unus non refertur ad secundum; quia Deus est unus, & non refertur ad secundum Deum; sicuti dum dicitur primus, & causa prima, dicitur talis per ordinem ad secundum: ergo Moyses fatis innuit illos primos dies fuisse unum diem; & ideo fuisse dies spirituales, qui unico temporis momento claudi possunt.

2. Dies constituuntur temporis intervallis; sine tempore enim non habetur, nisi instans: sed tempus dicitur productum quarta die: ergo primi tres dies fuerunt unicum instans. Sed Scriptura loquitur eodem modo de sex diebus: ergo sex dies fuerunt unicum instans; & ideo fuerunt dies spirituales, qui posse sunt in unico instanti distingui.

3. Moyses loquens de Universis operibus à Deo productis sex diebus, clarissimè dicit, quod ea fecerit prima die; ergo Deus

non produxit ea sex diebus corporalibus. ant. probatur. nam Gen. cap. 2. ait: Ista sunt generationes Cœli, & Terra, quando creata sunt in die, qua fecit Dominus Deus Cœlum, & Terram; & omne virgultum agri, &c. Sed dies, qua Deus fecit Cœlum, & Terram, fuit prima dies: ergo Deus in productione creaturarum non consumpsit sex dies materiales, & corporeos.

3. Probatur 2. pars Conclusionis nostræ. Nam sex cognitiones, quibus Angeli clare, & distinctè viderunt productionem omnium rerum ex nihilo, sunt dies intellectuales, qui vere, & propriè dicuntur dies. Ratio huius desumitur ex P. August. in libris de Gen. ad lit. pluribus in locis; præsertim lib. 2. cap. 8. & lib. 4. cap. 3. i. sic. Nam dies propriè, & literaliter dicitur à Verbo Græco dian, quod Latinè significat lucem; Lux autem proprius dicitur de luce spirituali reperta in cognitionibus Angelorum, quam de corporeo; eo quod iux spiritualis abs dubio perfectior est, & purior omni luce materiali. Ista autem lux existens in cognitionibus Angelorum, habuit suum mane, quia ostendit creature exentes à Deo, tanquam à suo principio; à quo incepit cognitio creature; & habuit suam ves-

vesperam ; quia terminata est ad ipsas creaturas , quæ sunt terminus actionis creativæ; qua propter dixit *Moyſes* , factum est vespere , & mane dies unus; ergo sex cognitiones , quibus Angeli viderunt productionem omnium rerum , quas Deus creavit ex nihilo, sunt verissimi dies , propriè , & literaliter.

Sed istæ sex cognitiones sunt sex priores dies creationis à *Moyſe* enumerati : ergo , &c. Probat. min. ex eodem S. P. August. lib. 4. cap. 33. Vbi assignat rationem , quare *Moyſes* sex dies distinctos adduxerit; vt scilicet , omnia , quæ vno temporis momento Deus produxit ex nihilo , distinctè enarraret , ad instruendum Populum rudem Hebræorum ; qui rudissimus erat ; quia nondum advenierat Sapientia Verbi incarna ta. Atqui solæ cognitiones , quibus Angeli clare viderunt productionem omnium rerum , sunt exemplum cognitionis , qua clare , & distinctè cognita fuerunt ea omnia , quæ Deus produxit in prima rerum creatione: ergo priores sex dies sunt sex cognitiones , quibus Angeli viderunt productionem omnium rerum .

Ordo autem harum cognitionum traditur à S. P. Aug. lib. 5. cap. 5. Quoniam 1. cognitione rerum in vniuersali præce-

dit cognitionem in speciali; ideo proponendæ fuerunt creature in vniuersali. Sub nomine *Cæli* creature spirituales ; quia Cœlum dicitur à cœlando , & natura spiritualis magis cœlatur nobis , quam natura corporea. Sub nomine *Terræ* creature omnes corporeas. 2. Quia Firmamentum est id , à quo incipit Mundus corporeus; ideo secunda die proponitur. 3. Quia anima vegetativa est vniuersalior , quam sensitiva ; ideo herbae , & plantæ præcognosci debuerunt. Quartò , luminaria magna , & sydera explicanda fuerunt , tanquam ornamenta Cœlorum , quæ sunt superior pars Vniversi. Quintò , quia inter Cœlos , & Terram medianter aër , & aqua ; consequenter narranda erant natatilia , & volatilia animalia. Sextò , propoundeda erant animalia terrestria , inter quæ homo habet primum ; quia Terra infimum est elementum.

5 Sed dices 1. Narratio creationis Mundi fuit facta Populo omnino rudi *Iudeorum* : ergo non debuit habere alium sensum , quam literalem ; aliter dedisset illis occasionem erroris; cogitassem enim *Iudei* illos dies fuisse corporales. 2. Qui asserit omnia fuisse simul creata , debet asserere in primo instanti Angelos bonos fuisse segregatos

à malis; nam nomine *lucis* significantur Angeli boni, & mali nomine *tenebrarum*; & sic cogitur dicere, Deum Angelos creasse malos; ac propterea esse Authorem peccati. 3. Si ordo causalitatis servatus fuisset in distributione sex dierum, debuissest Moyses præmittere creationem luminarium, & syderum productioni herbarum, & plantarum; constat enim Solem, Lunam, & Stellas esse causas omnium vegetantium in Terra; causa autem præcedit effectum ordine causalitatis: ergo præpostero ordine processisset. Denique Ecclesia in hymnis vesperrarum ferialium dierum laudat Deum in operibus, quæ fecit illis diebus: ergo communis sensus Ecclesiae est illos dies esse distinctos.

6 Ad 1. resp. quod narratio creationis Mundi fuit facta Populo rudi *Iudeorum*, & tradita etiam contemplanda sapientibus, qui processu temporis nasci debeant; ideo sicut debuit accommodari illorum ruditati; ita & istorum subtilitatem debuit satiare. Nec illis periculum obtulit erroris; quia solum credere debebant Deum hæc omnia fecisse; non autem inquirere modum, quo omnia fecit, quia credere Mysterium ad Fidem pertinet; Ecce autem ad Sapientiam;

vt patet de Incarnatione, Trinitate, &c. Fuit autem literæ lis; non tamen corporalis, sed spiriitualis. Ad 2. neg. assumptum; quia nomine *divisionis luctis à tenebris* significatur separatio naturæ formatæ ab informi, vt docet S. P. Aug. non quod pro aliquo instanti natura informis extiterit; sed quia Moyses naturam informē prius narrare voluerit; vt exinde significaret segregationem Angelorum bonorum, qui dicuntur Angeli lucis, ab Angelis malis, seu tenebrarum, pro tempore sequenti faciendam.

Ad 3. neg. ant. Nam lumaria, & stellæ non sunt causæ herbarum, & plantarum in suis causis seminaliter; sed potius cum sint causæ universales, supponunt in causis sibi subordinatis virtutem seminalem, vt cum ipsis agant; & ideo præmittenda erat herbarum, plantarumque descriptio; & narranda postea creatio luminarium, & syderum. Ad ultimum dic, Ecclesiam in illis hymnis laudare opera Dei tantum in eo sensu, in quo Moyses ea narravit; nec assertit dies illos esse corporales explicitè; sed tantum illos recitat iuxta sensum SS. PP. In sensu à nobis dato in probat. Conc. illos sex primos dies explicat P. Aug. locis iam datiss; nec non D. Ambros. in Hexam.

lib. 1. cap. 3. S. Greg. lib. 32.
Mor. cap. 10. S. Clem. Alex.
lib. 6. Stromatum, & alij.
Sed de hoc S. P. Aug. lib. 5.
de Gen. ad lit. cap. 3. & sapè
alibi monet Studentes, vt si ad
tam sublimis intelligentiae alti-
tudinem eorum ingenium ele-
vari non possit, credant à Deo
facta esse omnia; quomodò au-
tem sint facta, relinquant cons-
picienda valentibus.

§. II.

Quædam quæstasolvuntur.

7 **C**irca Mundi crea-
tionem plura du-
bia proponi solent. Que sunt
propria Philosophis hic tantum
afferemus, Theologis alia re-
linquentes. Quæres 1. quomodo
Deus die septimo requievit
ab omni opere, quod patraret?
Resp. S. P. Aug. lib. 5. de Gen.
ad lit. cap. 2. quod requievit à
condendis nobis generibus, &
speciebus creaturarum; quia
ultra species enumeratas illis
sex diebus nullam aliam secun-
dum ordinem huius providen-
tiæ voluit producere; non ta-
men cessavit ab administratio-
ne creaturarum iam productar-
um; quia multiplicando indi-
vidua corruptibilia illas conser-
vat; aliter his pereuntibus totæ
species considerent.

8 Quæres 2. cùt diei sep-
timi vespera non nominetur,
sicut nominatur in alijs diebus?
Resp. S. P. Aug. lib. 4. de Gen.
ad lit. cap. 18. Quia dies sep-
tima significat quietem, quam
post huius vitæ labores creatu-
ra rationalis per bona opera
potest mereri; ideo non ponit
vespera, quæ est finis dieis
nam finis æternitati repug-
nat.

9 Quæres 3. an Deus in
creatione rerum locutus fuerit
spiritualiter, vel corporaliter?
Resp. ibid. lib. 8. cap. 27. Lo-
cutum fuisse spiritualiter per
suam substantiam; quia locu-
lus in Verbo, pr quod facta
sunt omnia nec fuit necessaria
locutio corporalis.

Quæres 4. an Anima *Eva*
fuerit ex Anima *Adæ*, tanquam
ex traduce; sicut caro ex carne
traducitur? Resp. lib. 10. per
totum; ubi examinat, & sol-
vit rationes *Traducianorum*
opinantium Animam filij tra-
duci ex Anima Patris: & cap. 1.
eorum sententiam reprobat ex
verbis *Adæ*; qui experrectus
videns *Evam* ex propria costa
efformatam dixit: *Hoc nunc
os ex ossibus meis, & caro de
Carne mea.* Non autem dixit:
Hæc anima de anima mea; quod
(inquit S. P. Aug.) quantò cha-
riùs, amantiùsque dixisset, si
anima *Eva* ex anima sua fuisset.

traducta; hæc enim amantium est phrasis; & cap. 24. monet Traducianos, vt considerent se ipsos, & sapient corpora non esse Animas. Ex quibus claret, quantum hallucinentur, qui hanc ei sententiam affiunt.

10 Quæres 5. quo anni tempore fuerit Mundus productus? Resp. aliquos sentire fuisse in Autumno productum; quod colligunt ex fructuum copia, & ex pomo vetito. Sed hæc congruentia levissima est; nam sicut creavit Adam non quidem in ætate infantili, sed virili; sic potuit plantas producere simul cum fructibus etiam in Vere; non enim illi fructus tempore producti fuerunt, sed in instanti. Dicitur ergo creatum fuisse die Dominico in Equinoctio Veris eodem die, quo Mundum recreavit; vt pluribus in locis docet S. P. Aug.

Hic queri solet an Mundus potuerit ab æterno creari? Sed de hoc vide dicta lib. 8. Philic. quæst. vnica.

11 Quæres denique, an Mundus sit perpetuò duraturus? Respondeo Mundum perpetuò duraturum, durante solo ordinario concursu, quo Deus conservat creaturem, ne in nihilum redeant; post diem tamen iudicij esse valde innovandum, & immutandum. Ratio est, nam

Psalm. 151. dicitur de Cœlis; velut opertiorum mutabis eos, & mutabuntur; & Apoc. 10. Post hæc erit Cœlum novum, & Terra nova; & Isaiae 3. Erit lux Lunæ, sicut lux Solis; & lux Solis erit splendidior; elementa purgabuntur per ignem, & perficiuntur; & S. P. August. lib. 20. de Civit. Dei, cap. 14. inquit: Peracto quippe iudicio tunc desinet esse hoc Cœlum, & hæc Terra; quando inciperet esse Cœlum novum, & Terra nova; mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transbit hic Mundus; unde & Apost. ait: Præterit figura huius Mundi: figura ergo præterit, non natura. Ratio autem congruentia esse potest. Nam mutato principali conveniens est mutari accessorum, quod ad illud sequitur: Sed post diem iudicij mutabitur homo, & renovabitur: ergo & hic Mundus, qui factus est propter hominem: ergo licet Mundus perpetuò sit duraturus, vt dicitur Psal. 148. Statuit ea in æternum, & in saeculum saeculi, est tamen valde innovandus, & immutandus, vt patet ex dictis.

12 Sed dices: Mundus factus est propter hominem: sed post diem iudicij homo non erit in Terra, nec ipsa indigebit ad vivendum: ergo Mundus non innovabitur, sed cessabit. 2. Isaiae

Isaiae 34. habetur, quod Stellæ cadent de Cælo; quod Cæli, sicut fumus liquefiant; & Terra sicut vestimentum arescat; & Eccles. 17. quod; Sol deficiet; & alia huiusmodi in Script. quæ potius destructionem Mundi, quam eius innovationem indicant.

13. Resp. ad 1. distinguendo mai. Factus est propter hominem, primariò, neg. mai. secundariò, sub dist. factus est propter hominem, ut eius vsu vivat in Terris, & eius visione accidentaliter gaudeat in Cælis, conc. mai. aliter, neg. nam gaudium erit accidentale in Beatis videre loca, in quibus talem beatitudinem meruerunt; & pena erit damnatis videre loca, in quibus talia delicta patrarent, quibus talis pena infligitur. Ad 2. dic in primo textu nomine *Stellarum* intelligi iustos, qui descendant è Cælis ad iudicium; ut dicitur Dan. 12. *Fulgebunt iusti, sicut Stellæ in perpetuas aternitates.* Ad aliud textum dicitur, nihil aliud significare, nisi terrorem diei iudicij, & innovationem Terræ, & Cœlorum. Ad ultimum; quod vel nomine *Solis* significatur Christus Dominus; quem non videbunt reprobis; vel significatur; quod Sol deficiet hominibus, non Mondo; quia homines, vel erunt in Cœ-

lis, vbi non egebunt lumine Solis; vel in inferno, vbi erit horror, & nox sempiterna.

QUÆST. III.

DE PROPRIETATIBUS Mundi.

S. I.

Circa proprietates Mundi quædam dubia examinantur.

I. **S**upposito tanquam de fide non esse, nisi unicum Mundum, etiam si Deus possit plures Mundos in infinitum producere. Quæres 1. quomodo Mundus, qui de facto datur, sit unus?

Resp. 1. Mundi unitatem desumi ex ordine creaturarum ad Creatorem. Nam sicut multi milites constituant unicum exercitum per ordinem ad unum Ducem; sic omnes creaturæ constituant unum Mundum per ordinem ad primam causam creatricem. Resp. 2. unitatem Mundi etiam esse desumendam ex colligatione partium Universi inter se. Ratio est, quia in tantum partes corporis humani unum constituant, in quantum vniuntur inter se, & ex tali vniione resultat

vnum ex illis cōpositum : Sed partes Mundi sunt vnitæ inter se ; si enim vna esset ab alia discontinuata , non posset agere in aliam ; quia sic influxus intercederet ; vt dicitur cum de *v-a-*
suo agitur : ergo Mundi vnitas ex vnione partium etiam desumitur.

2 Dices : Mundus non est vnum genere ; quia constat ex generibus primò diversis , quæ nequeunt constituere vnum genus; neque est vnum specie propter eandem rationem ; neque vnum numero ; quia Mundus constat ex pluribus individuis : ergo nullo modo est vnum. Resp. negando conseq. quia præter has vnitates datur vnitatis totius integralis eterogenei, quod constat ex partibus diversè rationis ; & hoc modo Mundus est vnum.

3 Quæres 2. an Mundus sit perfectus ? Resp. in suo genere esse perfectum ; imò , & perfectissimum. Nam gen. 1. dicitur : *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona :* Super quod S. P. Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 24. inquit : *Non enim frustrè est additum valde ; quia & corporis membra , etiam si singula pulchra sunt ; multè sunt tamen in universi corporis compage omnia pulchiora ; quia oculum v. gr. placitum , atque laudatum , tamēp. si separatum à corpore vi-*

deremus , non dicerimus , tam pulcrum , quām in illa connexione membrorum , cum suo loco postus in universo corpore cerneretur. Sed omnes partes Vniversi sunt rectè dispositæ , & sapientissimè ordinatae : ergo Mundus , qui ex suis partibus sic ordinatis coalescit , est in suo genere perfectus. 2. Illud totum , cui nihil deest ad conservationem suarum partium , est in suo genere vndequeaque perfectum ; definitur enim perfectum , cui nihil deest ; id est in suo genere , si sit perfectum in genere ; & in omni genere , si sit perfectum simpliciter : Sed Mundo nihil deest ad conservationem suarum partium exactum ; quia determinatis temporibus producit omnia , quæ sunt necessaria ad conservandum hominem , qui est potior pars huius orbis inferioris : ergo idem.

4 Sed dices 1. Illud est perfectum , cui nequit fieri additione : Sed Deus speciebus Mundi potest addere novas species , quas potest producere : ergo Mundus non est perfectus. 2. Illud est imperfectum , cui aliiquid deest : Sed Mundo de sunt plures perfectiones : ergo idem. 3. Defectus naturæ est maxima imperfectio , sicut productio est perfectio : Sed in Mundo est defectus naturæ , quæ con-

continuo deficit in individuis corruptibilibus: ergo &c. 4. In Mundo plura sunt Monstra deformia, plura horrenda, plura animalia nociva: Sed hæc pugnant cum pulcritudine, quæ dicitur ad convertentiam cum perfectione: ergo idem. 5. Ubi non est ordo, non est perfectio: Sed in Mundo non est ordo; quia ordo concordiam importat; in Mundo autem est summa discordia elementorum, quæ pugnant ad invicem: ergo idem. 6. In Mundo sunt multa peccata, horrenda flagitia, crudelitates, & alia huiusmodi, quibus maximè offenditur, & inhonoratur Deus: Sed istæ sunt essentialiter imperfectiones: ergo idem.

5 Ad 1. resp. dist. mai. cui nequit fieri additio illius, quod non spectat ad perfectionem in suo genere, neg. illius, quod spectat ad perfectionem sui generis, conc. mai. sed in hoc sensu, neg. min. quia species, quæ adderentur, variarent ordinem, quem habet Mundus de facto. Ad 2. eodem modo, dist. mai. Desunt perfectiones spectantes ad ordinem, quo Mundus fuit dispositus, neg. non spectantes, conc. Ad 3. dist. mai. Si defectus naturæ sit per se intentus, conc. si sit intentus ratione profectus, neg. nam corruptio individuorum

non est per se intenta à natura; intenditur ratione novæ generationis, qua natura renovatur; & ideo per se perfectionem importat. Ad 4. neg. min. Monstra enim faciunt ad ornamentum naturæ; quatenus, quæ sunt pulchra inconspectu illorum magis resplendent; & animalia nociva faciunt homines timores, vel puniunt homines ob peccata patrata; vel habent virtutes mirabiles, quibus potest hominis vita servari; ut patet de vi peris; hæc autem sunt nobis ignota in pœnam originalis peccati, ob quod ignorantiae vulnus incurrimus. Et ideo dantur tales deformitates, animaliaque nociva, vel ut homo puniatur, vel ut convertatur; quod Mundi potius pulcritudinem auget, quam tollat.

Ad 5. neg. min. nam in pugna magis ordo resplendet, quam in pace; milites enim, qui ordinem non servant, statim intereunt, ut constat; ideo si elementa inter se non pugnarent, natura marcesceret, & interiret. Ad 6. resp. S. P. Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 21. quod mali non efficiunt malitia sua, ut decus, & ordo universitatis aliqua ex parte turbetur, sive turpetur; cum suis quibusque voluntatibus etiam malis tribuantur certi, & congrui limites potestatum, & pondera

meritorum , ut etiam cum ipsis
convenienter , iustèque ordinatis
univeritas pulchra sit. Ergo
mala , & peccata , quæ vel à
Deo ordinantur in pñnam; vel
ut splendor virtutis in conspe-
ctu eorum magis emineat ; vel
ut homines corrigantr , & pñ-
nanteant ; & ut eorum meritum
augeatur , Mundi augent pul-
chritudinem , & perfectionem.

6. Quæres 3. An Mundus
potuerit esse perfectior ? Resp.
potuisse esse perfectiorem , quan-
tum ad partes , quas Deus non
creavit , & poterat creare , sive
creando species nobiliores , si-
ve augendo individua ; & quoad
prædicata accidentalia : Cæte-
rū non potuit esse perfectior
quantum ad ordinem , quem di-
cunt partes Mundi inter se , &
ad finem , propter quem factus
est Mundus. Quia talis ordo ,
& dispositio fuit à Sapientia in-
finita , & per ordinem ad ip-
sum Deum tanquam finem vlti-
mum : ergo Mundus quantum
ad ordinem partium inter se , &
per ordinem ad finem primari-
um non potuit esse perfectior.

7. Quæres denique cuius
figuræ sit Mundus ? Sed notan-
dum prius aliquos ex antiquis
exultimasse Terram esse planam ,
nec ullo modo in medio aëris
suspensam ; & super Terram
Cœlum non elevari æqualiter
ex omni parte ; propterea que-

negarunt Antipodas ; hanc sen-
tentiam aliqui minus versati in
sententia S. P. Aug. ipsi impin-
gere ausi sunt ; quam tamen fal-
sitatem egregie ostendit in
Theologia Sap. P. M. Gavardi.
Hoc notato. Resp. cum com-
muni sententia Cœlum , & Ter-
ram esse figuræ sphæricaæ ; & lo-
quendo de Cœlo patet ; quia
Eccl. 25. dicitur : Girum Cœli
circuivi sola ; & cap. I. Oritur
Sol , & occidit , & ad locum
suum revertitur ; ibique renas-
cens girat per meridiem ; ex qui-
bus sic. Motus circularis non
competit , nisi corporibus figu-
ræ sphæricaæ ; ut constat ex Ma-
thematica ; Sed Cœlo compa-
tit motus circularis ex omni
parte ; videmus enim Solem ,
Lunam , & Stellas , etiam cum
declinant circulariter moveri ;
quod fieri non posset , nisi Cœli
eorum moverentur circulari-
ter ; ergo Cœlum est figuræ sphæ-
ricaæ.

2. Quod etiam eiusdem
figuræ sit Terra , patet ex his ,
qui plurimas regiones peragra-
runt , & observarunt , Terram in omnibus illis regionibus , imò
& subtùs hæmisphærium no-
strum , æqualiter distare à Cœ-
lo : Sed solum corpus figuræ
sphæricaæ conclusum iuxta aliud
sphæricum æqualiter distat ab
omnibus partibus corporis in-
cludentis , ut est per se notam :

ergo

Ergo etiam Terra est figuræ sphæricaæ. Ex hoc sequitur etiam ignem elementarem, aërem, & aquam esse figuræ sphæricaæ. De igne patet; quia cum ambit Cœlum Lunæ, si hoc est sphæricum, etiam ignem sphæricum esse necesse est. Idem dicendum de aëre, quem ambit elementum ignis. De aqua ex Oceano, à quo ad alia maria, & flumina dilabi aliqui dixerunt; potest deducit; rotundum autem esse Oceanum plures Geographi dixerunt.

At quia figura sphærica potest esse perfectè, vel imperfectè rotunda inquirendum restat; an Cœlum, & Terra sint perfectè rotunda? Resp. de Cœlo nullum esse dubium, ut ex eius motu circulari probavimus; de Terra autem aliqui dicunt simul cum aqua efficere unum globum perfectè rotundum; Sed altitudo montium, profunditas vallium probat oppositum;

vnde imperfectè rotunda eius figura sphærica dicenda est. Tandem aliqui, quos referunt, & sequuntur Conimbr. lib. 2. de Cœl. cap. 5. quest. 1. art. 2. asserunt Cœlum Empyreum esse figuræ quadratæ; quod probant ex illo Apoc. 21. *Civitas in quadro posita.* Sed oppositum traditur ab alijs; quia figura quadrata est imperfectior inter omnes figuræ: ergo nequit Empyreum competere, quod perfectius est inter omnes Cœlos; est enim sedes Dei, & Beatorum. Rursus. Empyreum debet concludere primum mobile, ut dicemus infra: Sed primum mobile est figuræ sphæricaæ perfectè rotundæ: ergo & Cœlum Empyreum. Illud autem Apoc. communiter exponitur; quod illa Cœlestis Civitas sit in quadro posita propter æternam stabilitatem, quam figura quadrata significat,



DE

DE COELO

QUOAD EIUS SUBSTANTIATEM COMPOSITIONEM.

Q U A E S T . I.

'An Cœlum sit quintum corpus simplex?

§. I.

Ponitur resolutio quest. & ab objectionibus vindicatur.

Nomine Cœlū in presenti intellegimus corpora cœlestia, quæ supra Terram sunt elevata. Dum quæritur, an corpora cœlestia sint simplicia, non loquimur de eis per ordinem ad exclusionem compositionis substantialis ex materia, & forma, de qua *infra*; sed per ordinem ad corpora mixta, ita, ut sensus sit; an Cœlum sit simplex, sicut simplex est quodlibet ex quatuor elementis; an verò sit corpus mixtum ex quatuor ele-

mentis, sicut alia corpora terrena. Supponimus autem elementa esse corpora simplicia, non mixta; non quidem secundum omnem sui partem, sed solum secundum partes remotiores ab alijs elementis, à quibus transmutantur; v. g. Terra secundum partes remotas ab aqua, & ab aëre; aqua secundum partes remotas à terra, & ab aëre; aër secundum partes remotas ab aqua, & ab igne; & ignis secundum partes Cœlo contiguas. Nomine autem mixti intelligitur aliqua tertia

natura ex corruptione plurium elementorum producta. Hoc notato.

2 Dicimus cum communis sententia *Cœlum non esse corpus mixtam ex quatuor, vel ex aliquibus elementis, sed esse quintum corpus simplex ab elementis distinctum.* Probatur assertio ista ex P. Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 1. afferente: *Non tantum locis, sed etiam qualitatibus proprijs elementa distinguuntur; vt pro qualitatibus proprijs etiam loca propria sortirentur.* Quam doctrinam sic explicat N. Fund. D. B. Aegid. Rom. in Hexam. part. I. cap. 5. & 1. de Cœlo, cap. 2. & 3. Illud quod non habet contrarium, nec est elementum, neque mixtum ex elementis; & sic est quintum corpus simplex distinctum ab elementis: Sed Cœlum non habet contrarium: ergo neque est elementum, neque mixtum ex elementis; sed est quintum corpus simplex distinctum genere ab elementis. Consequentia est bona, mai. & min. sunt veræ; quia habere contrarium est proprietas elementorum, & mixtorum, quæ ex elementis gignantur: ergo cum Cœlum non sit elementum, nec ex elementis compositum, vt per se patet, nequit habere contrarium, & sic erit quintum corpus simplex ab ele-

mentis distinctum. Rursus. Omne corpus naturale naturaliter sibi vindicat locum, sibi naturaliter debitum: Sed Cœlum habet locum, sibi naturaliter debitum, diversum à loco elementorum, & mixtorum; est enim super omnia elementa, & super mixta ex elementis composita; vt patet: ergo idem.

3 Se dices 1. Illud, quod est calidum, vel est elementum ignis, vel constat ex elemento ignis; Sed Cœlum est calidum; de Sole enim, qui est pars Cœli, dicitur Psal. 18. *Nec est, qui se abscondat à calore eius;* ergo Cœlum, vel est ignis, vel mixtum ex elemento ignis. 2. Accidentia Cœli sunt eiusdem speciei cum accidentibus corporum mixtorum; vt patet de quantitate, raritate, & motu locali: ergo idem dicendum de substantia Cœli. 3. SS. PP. docent Cœlos ex materia aquæ esse compositos; Solem verò, & Lunam esse naturæ ignæ; ergo sunt mixta. 4. Si pars Cœli poneretur in Terra, vel moveretur sursum, & sic esset ignis, aëris, vel aqua; vel quieteret, & sic esset Terra; ergo idem.

4 Resp. ad 1. dist. mai. quod est calidum formaliter, conc. virtutaliter, neg. mai. & min. quamvis enim sensu non possumus cognoscere, Solem esse

esse tantum virtualiter calidum; possumus tamen hoc ratione deducere; quia in hyeme, cum est nobis vicinior, minus calefacit, quod de igne verificari non potest. Ad 2. dist. ant. Accidentia generica, conc. specifica, & propria, neg. Ad 3. respondent aliqui apud S.P. Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 4. nomine Cœlorum, supra quos in Scriptura dicitur esse aquam, intelligi aërem; in quo sunt nubes, quæ continent aquam propter pluviam, quam sententiam dignissimam iudicat idem S.P. Aug. Vel nomine aquarum intelligi virtutem productivam humiditatis, & frigiditatis. Ad 4. dicitur, quod sicuti si ascenderet super aquam, non esset aqua; ita si ascenderet super aërem, & ignem, iam non esset nec aëris, nec ignis. Si autem quiesceret, esset ex defectu motoris, & defectu figuræ, non autem defectu, naturalis aptitudinis.

S. II.

Quædam quæsita examinantur.

5 **Q**uæres 1. an Cœli componantur physicè ex materia, & forma? Resp. cum communi sententia Cœlum ex materia, & forma physica verè,

& realiter componi. Probatur ex P. Aug. qui lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 14. supra illa verba Sap. 25. qui fecisti Mundum ex materia informi; inquit de hac informi materia, dando ei speciem visibilem Cœlum, & Terram à Deo factam fuisse: ergo Cœlum, physicè ex materia, & forma componitur. Rursus. Nulla substantia potest dici corpus nisi materia, vel forma, vel compositum ex materia, & forma: Sed Cœlum non est materia; quia ab adversarijs excluditur; neque forma; quia alias foret spirituale; forma enim separata à materia spiritualis est: ergo si Cœlum est corpus, restat quod sit compositum ex materia, & forma.

6 Sed dices, quod constat ex materia, & forma, est corruptibile; nam materia, ut dicitur 7. met. est id, per quod res potest esse, & non esse; id est generari, & corrumpi; Sed Cœlum non est corruptibile: ergo non constat ex materia, & forma. 2. Si Cœlum constaret materia, & forma, non indigeret ab intelligentia moveri; quia eius forma esset principium motus; esset enim natura, quæ principium motus definitur; Sed cons. est falsum: ergo & ant. Resp. ad 1. dist. mai. quod constat ex materia habente annexas qualitates contrarias,

Ex quibus resultat privatio, conc. materia enim hoc modo sumpta, est id, per quod res potest esse, & non esse; non habente annexas qualitates contrarias, neg. Ad 2. neg. seq. nam forma aliquandò est principium passivum sui motus; idest principium aptum ad recipiendum illum motum; v.g. talis sonus dicitur naturalis tali chordæ, quæ tamen indiget à manu moveri, ut talem sonum producat.

7 Quæres 2. an Cælum sit incorruptibile? Resp. affirmativè; quia Psalm. 148. de Cœlis dicitur: *Statuit ea in aeternum, & in seculum seculi.* Gen. 1. Cælum vocavit Deus firmamentum; quod sic vocabulum fuit, inquit S. P. Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 10. *Non propter stationem, sed propter stabilitatem suam.* Sed si Cælum fuisset corruptibile, non esset stabile: ergo &c. Rursus. Cælum nequit suscipere peregrinas qualitatum impressiones; idest qualitates contrarias: ergo nec est corruptibile. Ant. probatur ab AA. ex eo, quod solum illud, cui competit motus contrarius, potest suscipere impressionem contriarum qualitatum. Ideo namque elementa, & ex elementis mixta possunt affici contrarijs qualitatibus, quia ipsis competit mo-

tus sursum, vel deorsum, qui sunt contrarij. Sed Cælo competit motus circularis, cui nullus motus contrariatur: ergo non potest suscipere peregrinas qualitatum contriarum impressiones, & sic non est corruptibile.

8 Sed dices 1. quod mensuratur tempore quoad substantiam, est corruptibile; quia tempus est mensura corruptibilium: Sed Cœlum mensuratur tempore; quia quidquid movetur tempore mensuratur, Cœlum autem movetur, ut constat; ergo Cœlum est corruptibile. 2. Habens virtutem finitam nequit durare tempore infinito: Sed Cœlum habet virtutem finitam: ergo nequit durare tempore infinito; & sic est corrumpendum. 3. Habens contrarium est corruptibile: Sed Cœlum habet contrarium; quia movetur duobus motivis contrarijs, scilicet ab Oriente in Occidente, & ab Occidente in Orientem: ergo idem. 4. Cœlum constat ex materia eiusdem speciei cum materia sublunarum: ergo etiam ex quantitate eiusdem speciei cum quantitate sublunarum: Sed quantitas sublunarum recipit qualitates contrarias; ergo & quantitas Cœli.

9 Resp. ad 1. neg. min. nam motus primi mobilis est

mensura omnium aliorum motuum, non tamen mensuratur esse aliorum orbium inferiorem; quia hoc est aviternum; motus autem, & substantiam rerum sublunarium mensurat. Ad insertam prob. dist. quidquid movetur ad esse, mensuratur tempore quoad esse, sicut quidquid movetur ad ubi, mensuratur quoad ubi, conc. quidquid movetur ad ubi, mensuratur tempore quoad esse, neg. Ad 2. neg. mai. quia virtus ad durandum tempore infinito est sive categorematicè infinita, quæ non repugnat creaturæ.

Ad 3. dist. mai. Habens contrarium ad esse simul, & ad ubi est corruptibile, conc. tantum ad ubi, non ad esse, neg. ad prob. min. dist. Cœlum movetur duobus motibus contrarijs, & uterque est naturalis, neg. & unus est naturalis, alter vero violentus, conc. Igitur motus violentus, cum sit ab extrinseco non supponit qualitates in materia, disponentes illam ad expulsionem formæ præcedentis, & ad introductionem alterius: ergo ex talibus motibus contrarijs corruptio Cœlorum non potest inferri. Ad 4. Resp. quod si autem materia Cœli, et si sit eiusdem speciei cum materia sublunarum non potest recipere qualitates contrarias, quia at-

ficitur forma Cœli levante qualitates non habentes contrarium, sic etiam si habeat quantitatem eiusdem speciei cum quantitate corporum sublunarum, quod ut falsum admittimus, adhuc Cœlum esset incorruptibile propter eandem rationem. Plura Scriptura loca, quæ contra istam assertionem opponi possunt, soluta manent supra, quæst. 2. §. 2. in fine.

10. Quæres 3. an Cœlum sit animatum? Resp. cum communis Catholicorum sententia contra Platonicos existimantes Universum Mundum esse maximum animal, & per consequens orbes coelestes, Cœlum nulla penitus anima, sive vegetativa, sive sensitiva, sive rationali esse animatum. Probatur ex P. Aug. pluribus in locis, & præcipue tom. 6. lib. de dibus animabus contra Manichæos; ubi ait, muscam esse Sole præstantiorem, quia animam habet. Ergo sentit de Sole animam non habere. Sed idem sentiendum de alijs Cœlis, cum isti non sint Sole præstantiores: ergo nullum Cœlum animatum est. 2. Sententiam oppositam fuisse damnatam habetur in Summa Conciliorum.

3. Cœlum est quintum corpus simplex distinctum genere ab elementis, & à mixtis ex ele-

Elementis: ergo nulla anima est animatum. Ant. constat ex dictis suprà §. 1. huius quest. conseq. pocr. distinctum à genere animatorum nulla anima informari potest: sed Cœlum si est quintus corpus distinctum genere à mixtis ex elementis, distinguitur à genere animatorum: Ergo, &c. Mai. est certa, nam quia lapis distinguitur genere ab animatis, nulla prorsus anima informari potest, mihi etiam constat, quia omnia corpora animata, sunt mixta. 4. Cœlum caret organis ad animatum officia inservientibus; est enim corpus diaphanum homogeneum, constans ex partibus eiusdem rationis, & sic nullas potens elicere operationes vitales: Ergo nisi frustra ponatur anima in Cœlo, nullo modo potest Cœlum esse animatum.

11 Sed obicies 1. ex Scriptura, nam Psalm. 113. habetur: *Qui facit Cœlos in intellectu.* 2. Psalm. 18. legitur: *Cœli enarrant Gloriam Dei:* & Psalm. 148. *Laudate eum Sol, & Luna;* & Psalm. 32. *Audite Cœli, quæ loquor;* & Job 38. *Cum laudarent me Astra matutina;* sed hæc non competit nisi entibus animatis anima intellectiva: Ergo Cœli sunt animati. 3. Corpus nobilior debet constare ex forma nobiliore, quæ

abs dubio est vitalis: sed Cœlum est corpus nobilior quolibet corpore sublunari cum influat in omnia sublunaria: ergo debet habere formam nobiliorrem, & vitalem, & sic erit animatum. 4. Cœlum est causa aliquorum animatum: ergo est animatum. Conseq. pat. quia solum, quod est animatum, potest continere, & producere aliud animatum. ant. Etiam est certum; nam iuxta Phil. Sol, & homo generant hominem; & per se solum producit viventia, quæ ex putri materia generantur. 5. Inanimata in suo centro, seu in sua sphæra semper quiescunt; vt constat de elementis, quæ non moventur nisi extram suam sphæram: Sed Cœli nunquam quiescunt, sed moventur semper in suo centro: Ergo sunt animati, & viventes.

12 Resp. ad 1. Quod vel nomine *intellectus* intelligitur sapientia, qua Deus condidit Cœlos; vel ipsi Angeli assistentes, & motores Cœlorum: Vel vt docet P. August. lib. 20. de Civit. Dei, cap. 24. nomine Cœlorum intelliguntur Apostoli, vel Doctores, vel Homines Iuxti. Ad 2. dicitur nomine Cœlorum significari Angelos, & Animas Beatas; vel Homines Sanctos. Vel dicitur Cœlos, Solem, Lunam, & Astra enarrare

rare Gloriam Dei , quatenus excitant nos in laudem Dei. Vel, dicitur, quod sicut in eodem Psalm. invitantur ad laudandum Deum, *Abyssi, Ignis, Grando, Nix, Glacies, Montes, &c omnes, Colles, &c.* quin ex hoc inferatur esse animata ; sic a pari de Cœlis. Ad 3. omissa mai. dist. min. Cœlum est corpus nobilium quoad modum habendi formam, quām habet incorruptibiliter, conc. min. quoad formam absolute , neg. min. diximus enim ex P. Aug. muscam quoad formam esse nobiliorem Cœlo. Ad prob. insert. dist. influit in sublunaria aliquas qualitates, quas continet, & quibus Cœlum est nobilior, conc. influit tanquam causa principalis ipsas formas animatas, neg.

Ad 4. eodem modo dist. ant. est causa principalis per se productiva animatorum nego; instrumentalis , quæ virtute intelligentiæ ipsum moventis producit animata conc. sicut enim semen animalis , quia tantum producit animal , vt instrumentum, non est animatum , nec nobilior animali producto ; ita à pari. Ad 5. dist. mai. inanimata , quæ moventur à centro, & ad centrum, in sua sphera quiescent , conc. sunt enim in termino sui motus , in quo motus debet cessare ; inanimata,

quæ moventur circa centrum, vt sunt Cœli, nego ; nam terminus motus circularis , qui Cœlis competit, non attenditur à sphera , sicut attenditur in motu à centro , & ad centrum, sed attenditur à sectione circuli , vel à cessatione moventis, vt per se patet.

QUÆST. II.

QUINAM SIT NUMERUS Cœlorum?

§. I.

Ponitur resolutio questionis.

I N hac quæst. non est una Philosophorum opinio ; quidam enim volunt, vnum tantum esse Cœlum, in quo omnia sydera continentur. Alij , vt Basilidiani teste S. P. Aug. lib. de Hæres. num. 3. dixerunt Cœlos esse trecentos sexaginta quinque , quo dierum numero annus componitur. Alij tres tantum Cœlos admittunt , firmamentum scilicet , in quo sunt Stellæ fixæ ; Cœlum Lunæ , & Solis. Alij demum octo , septem pro septem Planetis , quorum primum , & nobis proximum est Cœlum Lunæ , secundum Mercurij , tertium Veneris , quartum Solis, quin-

quintum Martis , sextum Iovis , septimum Saturni , & ultimum Firmamentum , quod apud illos primū mobile dicitur , eō quod suo motu cæteros omnes rapit ab ortu ad occasum . Ideo talem numerū Cœlorum statuerunt , quia octo diversos motus in eis agnoverunt , septem nimisrum proprios Planetis , & octavum proprium firmamento . Adverterant enim Planetas non servare eundem motum , nec eodem modo disiare , tum inter se , tum à Stellis fixis .

2 Communior tamen sententia docēt dari vndecim Cœlos , octo videlicet iam enumeratos , & nonum Cœlum , quod dicitur *Cristallinum* , vel *Aqueum* , quodque motu proprio movetur ab Occidente in Orientem , super Polos proprios ; tota huius Cœli revolutio completur quadraginta novem millibus annis ; quāpropter *magnus annus Platonis* appellata est . Decimum Cœlum vocatur primum mobile , quod motu naturali movetur ab Oriente in Occidentem , & ab Occidente redit ad Orientem spacio viginti quatuor horarum , & hoc motu secum trahit omnes alias Cœlos inferiores , sitque hic motus super Polos Mundi . In hac motu cum sit semper uniformis , & regu-

laris consistit tempus sumptum pro mensura tam motuum , quam rerum mobilium , ut dictum est in Phis . lib . 4 . quæst . 5 . num . 12 . Sunt ergo Cœli mobiles decem , propter decem diversos motus , quos in eis communior sententia agnoscit , quibus si addatur Empyreum , vndecim inveniuntur .

Hoc vndecimum Cœlum , quod est sedes Dei , & Beatorum , dicitur Empyreum à miro , quo fulgem splendore ; dicitur immobile , & stabile , propter Beatitudinem , qua in eo fruuntur Beati ; amplissimum , quia continet innumerabiles Spiritus , & post resurrectionem continuebit multitudinem Corporum Beatorum ; & tandem est supremum omnium , quia superat omnes dignitate , & perfectione . Licet existentia huius Cœli ratione naturali probari non possit , nec ullus sit Sacrae Scripturæ , locus qui aperte declareret , tamen negare Cœlum Empyreum maximè temerarium eset , eo quod omnes Theologi cum Magistro 2 . sent . dist . 2 . nec non omnes Catholici illud admittant .

3 Sed objicies 1 . D . Christ . hom . ad Populum Antiochenum , docēt Cœlum esse immobile , & fixum ; Solem vero , & Astra continuò moveri : Er-

go sentit vñstini tantum esse Cælum. 2. Apost. 1. Corinth. 12. dicit se raptum fuisse usque ad tertium Cælum , seu in Paradysum : Ergo ex Apost. non sunt; nisi tres Cæli. 3. Motus correspondentes Cælis superioribus sydereo , in quibus nullæ Stellaræ , vel Astra inveniuntur, nulli naturæ usui desserviunt: Ergo tales Cæli non sunt admittendi.

4. Si Planetæ haberent proprium Cælum , deberet illud Cælum moveri , ut Planeta ille moveretur ; & sic tam ingens machina septimi Cæli deberet moveri , ut moveretur Saturnus , qui in quantitate molis magis exceditur à sua sphæra, quam gutta maris excedatur ab Occeano : Sed est incongruum Divinæ Sapientiæ , quod ordinasset totum Oceanum movendum esse ad movendam unam aquæ guttulam : Ergo, &c.

4. Resp. ad 1. D. Christ. nomine Cæli intelligere Cælum Empyreum , quod immobile , & fixum est. Vel dic Cælum esse immobile , & fixum per ordinem ad centrum ; ita ut dum movetur , pars superior Cæli non magis appropinquet Terræ , quam pars inferior. Ad 2. dic. nomine primi Cæli intelligi spatiū illud , quod mediat inter Terram , & Cælum Lunæ ; pro secundo vero totam

illam machinam globosam comprehendentem omnes spheras Cælestes ; pro tertio denique Cælum Empyreum , ad quod raptus fuit D. Paulus : ita docet D. Thom. 2. 2. quæst. 185. ad 3. & 4. Vbi ait Cælum Empyreum dici tertium Cælum respectu Cæli aërei , & syderei. Ad 3. dic eodem modo necessarios tales motus ad generationes rerum , sicut necessarij sunt motus proprij correspondentes Orbibus ipsi Firmamento inferioribus. Ad 4. dist. mi. si illa guttula deberet influere in totam hanc molem sublunarem , sicut debet influere Saturni Stella , neg. nam sapientia infinita debuit providere quibuscumque huius Mundi elementaris necessitatibus ; secus conc.

§. II.

Quedam dubia breviter dissolvuntur.

5. **Q**uæres 1. an Cæli specie inter se distinguuntur ? Resp. quod corpora cælestia specificè inter se distinguntur ; quod etiam dicendum est de Stellis, quæ sunt in diversis Cælis; Stellaræ autem fixæ , quæ sunt in eodem Cælo differunt inter se specificè accidentaliter. Proba-

tur

est prima pars. Nam diversitas specifica corporum cœlestium oritur à diversitate specifica formarum: Sed Cœli constant formis specificè diversis: Ergo, &c. Probatur min. Nam Cœli constant virtutibus sibi proprijs, quibus constituantur causantes effectus specie diversos, ita ut effectus ille, qui causatur à Cœlo Lunæ non possit causari a Cœlo Solis: Sed diversitas specifica effectuum sic sumpta arguit diversitatem specificam virtutum, aut proprietatum, quæ non minus arguunt distinctionem specificam formarum: Ergo Cœli constant formis specie diversis.

Ma. quæ sola indiget probatione, est communis inter Astronomos, & Astrologos; nam ut ipsi docent Cœlum Saturni generat p'umbum, Cœlum Martis ferrum, Cœlum Iovis stannum, Cœlum Solis Aurum, Cœlum Veneris Cuprum, seu æs, Cœlum Mercurij Argentum vivum, Cœlum Lunæ Argentum. Rursus Cœlum stellarum ob diversarum constellationum imagines, quas habet, causat ea, quæ habent diversas figuræ; Cœlum Crystallinum causat motum materiæ ad formam, & formæ ad materiam; primum mobile causat esse in omnibus; hi duo Cœ-

li semper uniformiter causant, qui Stellas, à quibus difformitas sunitur, non habent, vt aient Astrologi communiter. Deinde Cœlum Empyreum causat summum splendorem, & dicitur Cœlum igneum, & ardens non quidem à calore, & ardore, sed ab excessu splendoris, id notat Noster Beatus Egid. in Hexam, part. I. cap. 10. & 11. Sed hæc omnia sunt effectus specie diversa inter se: Ergo corpora Cœlestia ex se causant effectus specificè diversos; ac proinde specificè inter se distinguuntur.

6 Secunda pars conclusa probatur; nam quando duplex totum specificè distinguuntur, pars integralis vnius distinguitur specificè à parte integrali alterius; hoc patet in pede hominis, qui specificè differt à pede Leonis, quia Homo, & Leo specificè differunt: Sed Cœli sunt corpora specie diverse: Ergo, & Stella, quæ ut pars integralis est in uno Cœlo, distinguitur specificè ab Stellis, quæ sunt in alijs. 3. Pars probatur. Nam Stellaræ fixæ, quæ sunt in Firmamento tantum differunt penes maiorem, vel minorem spissitudinem, & densitatem, quod sit, ut aliae sint alijs densiores, aliæ alijs ratiiores, habentque

diversas figuraciones ; informantur tamen vna , & eadem forma substantiali à quā sumitur unitas specifica : Ergo solum differunt specificè accidentaliter.

7 Quæres 2. an Cæli different in perfectione , ita ut superius sit perfectius inferioris ? Resp. affirmativè , & probatur ; nam res quò superior est , eò magis participat de spiritualitate , eiquè magis appropinquat : Ergo est essentialiter perfectior : quā propter Cælum crystallinum , quia habet partes rariores , quām octava sphæra à nobis non videtur ; vndē est spiritualius , & perfectius alijs orbibus sibi inferioribus .

8 Dices. Sol est perfectior cæteris Astris ; est enim princeps lucis , fons vitæ , moderator orbis , habetque influxus efficaciores in hæc inferiora : & tamen Cælum Solis non est superius omnibus Cælis : Ergo Cælum superius non est perfectius inferiori . 2. Cælum Saturni , est superius Cælis aliorum Planetarum ; & tamen eius influxus est summæ malignitatis ; quā propter ab Astrologis vocatur *infortunio maior* ; sed Cælum perfectius debet habere benigniores , & perfectiores influxus : Ergo idem .

9 Resp. ad 1. Solem perfectiorem esse cæteris Astris

quoad eos , quia eius influxus est magis proporcionatus ad conservationem nostræ vitæ . Dicitar autem princeps lucis , fons vitæ , moderator Orbis , ac efficaciores influxus habere in hæc inferiora ; quia eius lux est crassior , spissior , & densior , quæ ideo magis congruit vitæ nostræ , quæ magnam habet annexam crassitatem , & spissitudinem . At verò lux aliorum Astrorum est rarius , & immaterialior , ac proinde perfectior , quia minus habet de materialitate , & magis appropinquat spiritualitati , quæ minus congruit nostræ vitæ , cui unus cibus potest esse magis proporcionatus , quam alter cibus , quamvis iste secundum se sit perfectior . Ad 2. dist. quoad 2. part. Cælum Saturni habet influxus malignos , secundum se , neg . prout male afficiuntur ab aspectibus contrarijs aliorum Planetarum , conc . Sicuti unus cibus secundum se est salubris , affectus tamen aliquo humore contrariae qualitatis fit nobis malignus , vel in pñnam , vel in aliud bonum , quod nostra hebetudo , & tenacitas percipere non valet ; sic contingit in influxu Saturni .

10 Quæres 3. an Cæli sint solidi , vel fluidi ? Resp. Cælos solidissimos esse ; habetur enim

Enim Job 37. *Tu forsan cum eò fabricatus es Cælos, qui solidissimi, quasi ære fusi, sunt.* Rursus: Cæli nullas omnino pati possunt peregrinas impresiones secundum Phil. non enim possunt alterari, & corrupti, nec per consequens partes eorum dissiungi: Sed omni fluido possunt hæc omnia evenire: Ergo Cæli non sunt fluidi, sed solidissimi.

11 Sed objicies 1. Si Cæli essent solidi, sequeretur, quod Astra moverentur simul cum suis Orbibus: sed hoc est inconveniens, quod tam magnum corpus moveatur ob tam parvam partem: Ergo Cæli non sunt solidi. 2. Visi fuerunt plures Cometæ in Cælo sydereo supra omnes Planetas: Ergo Cælum sydereum est fluidum; quia debet locum cedere his novis corporibus, que in ipso generantur: Immò debet esse corruptibile; alias in ipso non posset fieri nova generatio. Resp. ad 1. neg. min. moventur enim, nedum, ut moveant Astrum, quod est eis affixum, sed etiam ad bonum uniuscuius conservatio ex illorum motibus pendet. Ad 2. neg. ant. Cometæ enim generantur in aëris Regione, etiam si appareant esse in Cælo sydereo, ut dicemus infrà. Nec mirum est, quod videantur exi-

stere in Cælo sydereo; nam sicut edificia magno etiam intervallo disiuncta, ob distantiam videntur coniuncta; sic Cometæ ob nitiam distantiam videntur esse in uno loco, in quo non existunt.

QUÆST. III.

UTRUM COELUM
moveatur ab intelligentia?

§. I.

Sententia communis eligatur.
& probatur.

1 P Ostquām egimus de numero, & de quidditate Cælorum, nec non de quibusdam eorum proprietatibus; nunc agimus de eorum motu, qui etiam si sit circularis; dubium tamen est à quo Cæli circulariter moveantur. Circa quod quidam senserunt, Cælos à se ipsis moveri, non ab alio. Alij asseruerunt, non ab Angelis Sanctis, sed à solo Deo moveri. Communis tamen Sententia, cui subscribimus, docet Cælos moveri ab intelligentia assistente.

2 Probatur 1. ex illo Job 9. Sub quo curvantur, qui portant Orbem; id est Angeli qui

Yy 2 mo-

movent Orbēs Cælorū , vt exponunt plures Interpretēs. Et Luc. 21. dicitur , quod pōst diem Iudicij virtutes Cælorū movebuntur ; id est Angelī deſi-ſent movente Cælos. 2. S. P. Aug. lib.8. de Gen. ad lit. cap. 24. docēt , quōd naturā ordo ſic pōſſit , vt Angelis ſubditā ſit omnis natura corporea , &c. moventur autem eius (nempē Dei) imperio Deo non temporaliter moto ; nec ita vt ab eius contemplatione refliant , aut defluant , ſed ſimil eum ſine loco & tempore contemplantur ; & eius in inferioribus iuſſa perſiſtunt moventes ſe per tempus , corpus autem per tempus . & locum , quantum eorum congruit actioni. Ex quibus ſic : ordo partium vniuersi exigit , vt pars superior moveat inferiorē : Sed Angelus , cum ſit ſpiritualis eſt Cælo superior : Ergo Angelus movet Cælum. 3. Nullum corpus inanime in ſua ſphēra potest ſe ipsum mo- vere ; nam quilibet res in ſuo Centro , vbi habet terminum ſui motus , quieteſcit : Sed Cælum eſt corpus inanime ; & eſt in ſua ſphēra , quia eſt in loco ſibi na- turaliter debito : Ergo Cælum nequit ſe ipsum movente. Sed nec Deus ſolus immediate mo- vert ; quia iuxta P. Aug. ordo na- turę poſcit , vt Angelis Sanctis ſubditā ſit omnis natura

corporea : Ergo Cæli moventur ab intelligentia.

3. Sed objicēs 1. Psal. 18. de Sole dicitur ; quōd exulta- vit , vt Gigas ad currēndam viam : Sed currere importat motum ab intrinſico factum : Eg- go Cælum moventur motu ab intrinſeco. 2. Potuifſet Deus ab initio , quando creavit Cæ- lūm , ipſi imprimere impulſum ad motum , qui durasset uſquē ad Mundi finem : Ergo ex eō quod Cælum nequeat ſe ipsum movente , non recte infertur , quod ab intelligentia moveatur.

3. Assignare Angelum Cælo eſt ipſum ita alligare , vt non poſſit , nec deſcendere in ter- ram , nec Empyreum ascende- re ; ſed hoc nimis præindicat excellentiæ , & beatitudini An- gelorum : Ergo Cælum non mo- vetur ab Angelo. 4. Si Angelus Cælum moveret , libere illud moveret , & ideō poſlet deſi- ſtere à movento , vel velocius , vel tardius movente ; quod per- turbaret ordinem vniuersi : Eg- go , &c.

4. Resp. ad 1. cum P. Aug. ſuper eundem Psalm. quod omnia , qua ibidem narrantur , fi- guratē dicuntur de Domino Noſtro Iesu Christo. Ad 2. diſt. ant. Potuifſet iuxta ordi- nem alterius providentiæ , qua- partes vniuersi aliter diſpoſi- fet , ita ut inferior non iubde- retur

retur superiori in movendo, conc. iuxta ordinem huius prouidentiae, neg. Ad 3. dist. ma. Ut non possit mente descendere terras, & ascendere Empyreum, neg. nam ut docet P. Aug. vbi suprà, non desistit à contemplatione Dei, & à cognitione intuitiva omnium creaturarum existentium. Ita, vt non possit descendere secundum substantiam, transeat; hoc enim non præindicat eius beatitudine, & felicitati; quia non impedit Dei visionem. Ad 4. neg. assumptum; nam Angelii movent Cælos ex Imperio Dei, cuius iusta intrangibiliiter implent; sunt enim in Ministerium misi, quod significat hoc nomen Angelus.

q. II.

Quibusdam quæstis sit satis.

5 **Q**uæres t. an motus circularis sit Cælo naturalis?
Resp. motum circularem esse Cælo naturalem, tum ratione ipsius motoris; tum etiam ratione ipsius mobilis. Probatum; nam motus, qui competit corpori per ordinem ad proprium illius motorem, est illi corpori naturalis; sicut motus

qui competit corpori animato per ordinem ab ipsam animam est ei naturalis: Sed motus circularis competit Cælo per ordinem ad proprium illius motorem; causatur enim ab Angelo, qui est proprius motor, & quasi anima ipsius: Ergo motus circularis est Cælo naturalis ratione ipsius motoris. 2. Pars probatur. Cælis non convenit levitas, ratione cuius convenit corpori motus à centro: Nec convenit eis gravitas, quia non moventur ad centrum: Ergo solum potest eis competere motus circa centrum: sed hic est circularis: Ergo Solus motus circularis est Cælo naturalis ratione ipsius mobilis, quod propter eius rotunditatem, & figuram sphæricam magis aptum est ad talem motum.

6 Sed objicies 1. Motus dicitur naturalis alicui subiecto, vel quia procedit à principio intrinseco efficienti; vel quia est conformis inclinationi naturali ipsius subiecti; sed nullo ex his modis competit Cælis motus circularis: Ergo, &c.
2. Ex eo quod virtus activa ponatur in Angelis, sequitur quod inclinatio passiva sit superflua in Cælo: Ex eo enim quod Angelus habeat virtutem activam, potest Cælum movere, etiam si Cælum non habeat inclinationem passivam:
Ergo

Ergo idem. 3. Si præter inclinationem passivam non admitteretur virtus activa , nunquam sequeretur effectus : sed in Cælo non est virtus activa motus circularis : Ergo nequè virtus passiva. 4. Ex motibus quibus terra à fossoribus elevatur , sequitur bonum vniuersi , & quam plurimæ generationes ; & tamen nemo diceret , quod talis motus sit terræ naturalis: Ergo quamvis ex motu Cæli sequatur bonum vniuersi , non exinde infertur , quod sit Cælo naturalis.

7 Resp. ad 1. neg. minor. quoad 2. part. Nam sicut Angeli dicuntur naturaliter move-re Cælos , quia habent virtutem proximam activam illos movendi ; ita Cæli dicuntur naturaliter moveri , seu habere inclinationem ad motum circu-larem ; quia habent aptitudinem proximam ad recipien-dum in se ipsis talem motum, ob figuram orbicularem , quæ, vt notum est , ad talem motum inclinat. Ad 2. neg. ant. Nam suavitas ordinis vniuersi postu-lat , vt principio activo corres-pondeat potentia passiva. Si-cut enim motus generationis in sublunaribus petit virtutem activam in agente , & inclinationem passivam in passo ; mul-tò magis motus circularis in Cælo , quod est primum natu-

ræ opus ; aliás non ita elucidet suavitas ordinis vniuersi in Cælis , ac in sublunaribus. Ad 3. dist. mai. si non admitteretur virtus activa , vel in re mota , vel in movente , nunquam se-queretur effectus , conc. tan-tum in re mota , neg. Ad 4. neg. conseq. Nec ratio cur mo-tus Cæli sit naturalis est , quia ex illo sequitur bonum vniuersi , vt falsò quidam imaginan-tur ; sed quia in eis adest ob fi-guram orbicularem capacitas , & aptitudo proxima ad motu-m circularem ; terra non ha-bet capacitatem proximam ad motum sursum ; vndē licet mo-tus sursum non sit terræ natu-ralis ; benè verò motus circu-laris Cælis.

8 Quæres 2. An cessante motu Cæli cessaret motus su-blunarium ? Resp. cum com-muni Thomistarum sententia, quod cessante motu Cæli cessa-rent etiam omnes motus ma-teriales horum inferiorum. Hec conclusio expreßè defenditur à N. B. Aëgid. & probatur. Nam agentia subordinata alicui agenti superiori , nequeunt age-re , nisi vt mota ab agente , cai subordinantur : sed omnia su-blunaria in suis motibus mate-rialibus motui Cæli subordi-nantur : Ergo cessante motu Cæli nequeunt su-blunaria mo-vere. Mai. nulla indiget proba-tione.

tione. Min. etiam est certa; quia alias non salvaretur perfectio vñiversi , quæ ex ordine , & subordinatione partium desfunditur. Rursus ex B. Aegid. in Epist. ad Rom. lect. 26. in tantum post diem Iudicij cessabit alteratio elementorum , & omnis mutatio sublunarum ; in quantum Cælum quiesceret , & cessabit motus primi mobilis , & non erit amplius tempus , quod in motu primi mobilis fundatur ; ac perconsequens non poterit dari mutatio temporalis , quæ necessario tempus exigit : Sed sublunaria sunt temporalia : Ergo cessante motu primi mobilis , motus sublunarum cessabit.

9 Sed objicies 1. Cæli possunt concurrere ad actiones horum inferiorum absque motu: Ergo cessante motu Cæli , possunt hæc inferiora moveri. Probatur ant. In Cælis dantur aliæ qualitates præter motum , quibus influunt in hæc inferiora: Ergo cessante motu Cælorum per illas qualitates influerent. 2. Nihil magis ridiculum videtur , quod si Sole stante ignis stupæ applicatus non combureret: Ergo idem. 3. Ad hoc , vt aliquod corpus influat in aliud aliquam qualitatem , non oportet , quod moveatur localiter ; vt patet in Magnete , qui immotus trahit ferrum localiter: Ergo Cælum

quod est corpus magis perfectum , vt influat in sublunaria non indiget moveri localiter.

10 Ad 1. Resp. neg. ant. Ad eius probationem dist. ant. quibus influunt in hæc inferiora per motum primi mobilis , conc. secluso tali motu. neg. Igitur cessante motu primi mobilis , virtutes Cælorum inferiorum non possunt in sublunaria deferri. Ad 2. dic , quod si Sole stante , quiesceret etiam primum mobile , tunc ignis applicatus non combureret; quia omnes motus horum inferiorum iuxta cursum naturæ regulantur , & causantur à motu primi mobilis , quo cessante rationabilius dicitur , quod ignis non combureret ; sicut si Deus suspenderet suum cursum nulla combustio fieret. Ad 3. dist. ant. Si illud corpus sit primum movens simpliciter , à cuius motu omnes alij motus dependent , neg. Si non sit primum movens , conc. Motus localis ferri non dependet à motu locali magnetis ; & ideo magnete immoto potest ferrum moveri localiter.

11 Quæres 3. An Cælum per lucem , vel per motum producat calorem in sublunaribus? Resp. Cælum nedum per lucem , sed etiam per motum causare calorem. Probatur 1.

pars huius asserti ; quia experientia docet lucem Solis calefacere ; immo lucis , aut radiorum reflexione ignem generare aliquando. Rursus Phil. observavit noctem plenilunij tepidiorem esse , ob maiorem lucem Lunæ , quæ ideo magis calefacit ; ergo Cœlum per lucem producit calorem. 2. Pars probatur ex Mag. P. August. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 5. docente : *stella tantò ardenter effe deberet , quantò sublimiori Cœlo rapitur , &c. Quæ autem celerius , utique ferventius , &c. calorem maiorem debet Cœlo concitatiore concipere.* Quibus verbis clare edocemur motu calorem produci. Quod etiam co ligitur ex percussione duorum corporum. Insuper ex motu animalium , quò maiorem calorem concipiunt ; sicut ex longa quiete intrigidantur. Ergo Cœlum per motum producit calorem.

12 Sed objicies contra vtramque partem. Si lux sua virtute calorem produceret , sequeretur , quod omnia corpora lucida calefacerent ; sed hoc est falsum ; quia aliquibus Astris , licet lucidis tribuitur vis frigidandi ; vt constat de Stella Saturni , quæ in omnium sententia frigidissima dicitur , vt testatur S. P. Aug. ubi supra : Ergo Cœlum per lucem

non causat calorem. 2. Nullus diceret , quod motus ad locum , quò lignum movetur ad ignem , sit causa ignefactionis , sed quod tantum sit conditio : sed motus primi mobilis est motus ad locum : Ergo non est causa caloris. 3. Ferrum motum fortiter super lignum calefacit per impulsu[m] vehementem : Ergo non per motum.

13 Resp. ad 1. dist. mai. Omnia corpora lucida calefacient , si non afficerentur qualitatibus potentiotibus infrigidandi , conc. securi , neq. Igitur quamvis Stellæ habeant virtutem calefaciendi per lucem ; attamen , quia aliquibus adiacent qualitates potentiores causativæ frigiditatis ; ideo ab illis impediuntur , ne calorem producant. Ad 2. dist. min. Est motus ad locum influens omnem motum in omnia corpora mobilia , conc. non influens , neg. Licet motus localis sublunarum , cum non sit causa universalis omnium motuum , non influat in omnes motus eorum ; attamen motus localis primi mobilis , est causa universalis omnium motum sublunarium ; & ideo in illos influat. Ad 3. neg. conseq. Quia ille impulsus vehemens , nihil aliud est , quam motus.

§. III.

De naturis, motibus, & numero Stellarum ; ubi de eorum magnitudine, & de Galaxia, & Ecclipsi.

14 **H**ucusq[ue] egi-
mus de natura,
motu, & numero Cœlorum,
nunc agendum restat de his,
qua[rum] in titulo continentur. Di-
ximus in superioribus Stellas
omnes esse eiusdem naturæ cum
suis Orbibus ; & solum differre
ab alijs partibus suorum Or-
bium, in quantum istæ sunt rario-
res, Stellæ verò densiores;
& ideo magis retentivæ, & re-
ceptivæ luminis Solis ; quæ
propter à nobis videntur. Aliæ
autem partes quia sunt rario-
res non incorporant, nec re-
berberant lucem, & ideo non
videntur. Sic docet N.B. Aegid.
cum Astronomis. Ratio autem
eius Stellæ sint eiusdem speciei
cum suis Orbibus, est, quia Ste-
llæ sunt fixæ in illis ; & fixum in
aliquo, est eiusdem naturæ cum
illo.

15 Moventur Stellæ cir-
culariter ad motum sui Orbis;
sicut pars movetur ad motum
totius ; Orbis autem moven-
tur ab intelligentijs assistenti-
bus, ut supra dictum est. Stel-

las errantes esse septem iuxta
septem Planetas , secundum
quos dessumuntur , manifestum
est apud omnes. Numerus au-
tem Stellarum fixarum Soli Deo
est notus , iuxta illud Psal. 146.
*Qui numerat multitudinem
Stellarum, & omnibus eis no-
mina vocat ; non autem est no-
tus homini ; quapropter dixit
Deus Abrahæ, Gen. 15. Num-
ra Stellas si potes.*

16 Astronomi tamen mil-
le, & viginti duas Stellas no-
taverunt, & in eis sex diversas
magnitudines observarunt. Ste-
llæ primæ , & maioris magni-
tudinis sunt quindecim , qua-
rum quælibet continet terram
centies septies , & ferè sextam
eius partem. Stellæ secundæ
magnitudinis sunt quadraginta
quinque; quarum quælibet con-
tinet terram nonaginta vici-
bus, & vnam eius Octavam.
Stellæ tertiaræ magnitudinis sunt
ducentum , & octo; quarum
quælibet continet terram sep-
tuaginta vicibus, & quasi vnam
quintam partem illius. Stellæ
quartæ magnitudinis sunt qua-
tuorcentum septuaginta no-
vem; quarum quælibet quin-
quaginta quatuor vicibus con-
tinet terram. Stellæ quintæ
magnitudinis sunt ducentum
decem , & septem ; quarum
quælibet continet terram tri-
ginta quinque vicibus. Stellæ

sextæ magnitudinis sunt quadriginta, & novem; quarum quælibet continet terram decem, & octo vicibus.

17 Præter has Stellas observarunt Astronomi alias quinque obscuras, quas *nebulas* vocaverunt; & alias novem obscuriores, quas *tenebras* appellaverunt. Post hæc agunt Astronomi de imaginibus, seu constellationibus de quibus, quia nimis nebulosis, & tenebris manum suspendimus; Agunt etiam de crassitudine vnius cuiusque Cœli; ex quæ facile coniectari licet quanta sit distantia terræ à Firmamento; imò & à Cœlo Empyreo. Cæterum ab his omnibus abstinentium censeo, tum, quia ferè omnes Authores Philosophi nil de tali distantia curant, tum etiam quia certitudo huius distantiae à principio nimis dubio dependet, vt videri potest apud AA. & si à principio aliquantulum defectuoso, distantia terræ à Cœlo Empyreo computetur, error circa talem distantiam absdubio erit maximus; quare dicta curiositatii sufficiant.

18 At vt promissis stemus sciendum est, quid sit Galaxia. *Galaxia* igitur, quam latini viam lacteam vocant; *Gala* enim Græce significat *lac*, non est naturæ elementaris, & va-

porosæ, vt quidam putarent, sed est naturæ Cœlestis, quia est pars densior alijs partibus Cœli, constat enim ex minutis, & innumerabilibus Stellis, idèo noctu à nobis videtur. Die autem, nec istæ, nec alia Stellæ maiores videntur; quia earum lumen vincitur, & contegitur à maiori lumine, quod est lumen Solis; sicut carbo ignitus ad Solis radios possitus non vivet.

19 Eclypsis Lunæ aliquando evenit, sicut in Stellis fixis, quæ vt constat die obscurantur, & non videntur propter præsentiam luminis Solis, quod est maius; sic etiam Luna die obscuratur; sed in hoc sensu non loquimur. Aliquando in Astris contingit propter diametralem corporis Solaris, aut Lunaris interpositionem inter Alstrum, & visum nostrum; & præter hoc, quia terra nobis semper Cœli medietatem oculat. In Luna verò accidit Eclypsis propter diametralem interpositionem terræ inter Solem, & Lunam; tunc enim umbra pyramidalis terræ transiens sphærā Lunę usque ad sphærā Mercurij pertingit; & tunc Luna privatur lumine Solis, non autem privantur Stellæ, quæ sunt supra sphærā Mercurij, quia ad illas umbra terre non pervenit. Accidit autem Eclypsis

Eclipsis Lunæ , cum Luna opponitur Soli , sed non semper , quia non semper terra interponitur diametraliter .

20 Eclipsis autem Solis est interpositio diametralis Lunæ inter Solem , & visum nostrum , quod tantum in novilunio , nec tamen in omni potest contingere . Hinc arguit S. P. Aug. lib. 3. de Civit. Dei , cap. 5. Eclipsim Solis , quæ in morte Christi Domini contigit , non evenisse vi syderum , quia non fuit facta in fine Lunæ , sed in plenilunio ; & facta fuit in omni terra , quapropter fuit miraculosa .

QUÆST. IV.

DE INFLUXU CÆLORUM.

An , & quomodo Cœli influant in hæc inferiora inanimata ?

§. I.

Tota quæstio deciditur .

I T ameti agentes de motu Cœlorum , quædam de eorum influxu dixerimus , tamen quæstionem hanc instituimus , ut notitia influxus Cœlestis distinctior habeatur . Circa quæstum præsens voluerunt quidam , Cœlum so-

lum per lucem in hæc inferiora influere . Alij docent nedum per lucem , sed etiam per alias qualitates Cœlum influere in hæc inferiora inanimata . Qualitates istæ vocantur à N. B. Aëgid. rationes *seminales* , secundum quas subdividit Deus Cœlo omnes sublunares creaturas . Hæc sententia est expressa in P. Aug. cum quo dicimus quod .

2 Cœlum influit in hæc inferiora inanimata , non solum per lucem , sed etiam per rationes *seminales* , seu *causales* . Probatur : . ex eodem S. P. qui lib. 3. de Trinit. cap. 4. docet , quod , corpora *crasiora* , & *inferiora* (idest sublunaria) per *subtiliora* , & *potentiora* (idest Cœlestia) quædam ordine reguntur . Rationem autem affert lib. 6. de Gen. ad lit. cap. 14. Vbi expressè statuit rationes *seminales* , seu *causales* , tanquam virtutes , quibus corpora superiora influunt in inferiora . Atqui *rationum causalium* , seu *seminarium nomine* , nequit significari sola lux ; quia rationes *seminales* pluralitatem , lux autem singularitatem important : Ergo Cœlum non influit in hæc sublunaria per solam lucem , sed etiam per alias rationes *causales* , seu *seminales* . 2. Eatenus causa æquivoca potest producere effectus diversæ speciei ,

quatenus habet virtutes specie diversas; ut patet in homine, qui in tantum potest intelligere, velle, sentire, ambulare, &c. in quantum habet potentiam intellectivam, volutivam, sensitivam, ambulativam, &c. Sed Cœlum est causa æquivoca, & producit effectus specie diversos: Ergo ultra lucem habet alias rationes semifinales, seu virtutes activas, quibus influit in hæc inferiora.

3. Sed objicies 1. Philos. nullam aliam qualitatem præter lucem concessit corporibus cœlestibus: Ergo Cœlum non influit per alias qualitates. 2. Multi SS. PP. negaverunt Cœlos influere in hæc inferiora: Ergo, &c. 3. Omne agens intendit sibi assimilare passum ex Phil. Sed Cœlum nequit sibi assimilare sublunaria: Ergo idem. 4. Omne agens agendo repatur: Sed Cœlum non potest pati, quia nequit recipere peregrinas impressiones: Ergo idem.

4. Resp. ad 1. Phil. saltem implicitè docuisse sententiam nostram: præsertim lib. 1. methor. cap. 2. & lib. 2. de Gen. & alibi. Vbi docuit, oportere hunc mundum inferiorem esse *contiguum latioribus superioribus*, ut indè eorum virtus in hæc inferiora descendat. Vel dic, quod Philosophi authoris

tas non est tanti facienda, vt SS. PP. doctrine, & rationi sit preferenda. Ad 2. dic SS. PP. Vel negasse Cœlo influxum à Deo independentem, non autem dependentem; vel negasse influxum in liberum arbitrium. Ad 3. dist. mai. Omne agens univocum, conc. æquivocum, ut est Cœlum, neg. Ad 4. dist. etiam mai. Omne agens sublunare, quod est corruptibile, conc. Cœleste, quod est incorruptibile, neg.

§. II.

Quædam dubia breviter exponantur.

¶ **Q**uaritur 1. an, & quomodo viventia generentur ex putri materia ab influxu Cœlesti? Circa hoc quæsumus, certum est apud omnes, Cœlum influere in generationem omnium viventium materialium disponendo materiam, ex quâ vel educatur forma, ut in generatione plantarum, & animalium irrationalium; vel in quam inducatur forma per creationem producta, ut in generatione hominis. Tota difficultas est, an influat immediaite in ipsam animam. Et quamvis omnes convenient in eō, quod non influat in animam rationa-

tionalem, quæ quia est spiritua-
lis, & superioris ordinis, à so-
lo Deo creatur; nec in animas
animalium perfectorum, quæ
ex semine generantur; quia ea-
rum generatio refundit in
causam efficientem, que semen
producit: attamen est maxima
difficultas de animabus, quæ ex
putri materia generantur, &
causam efficientem sublunarem
non habent. An scilicet gene-
ratio earum refundatur in Cœ-
lum tanquam in causam effi-
cientem principalem, vel instru-
mentalem?

6 Circa quam, quidam do-
cent Cœlum nullo modo attin-
gere productionem animalium,
quæ ex putri materia generan-
tur; nequæ vt causa principalis,
nec vt instrumentalis. Huic sen-
tentiae favent Scotus apud Pon-
cium, Fonseca, Suarius, &
alij. Ceteri omnes docent Cœlum
instrumentaliter producere
animalia ex putri materia, non
autem principaliter. Ceterū
ex his quidam volunt, Cœlum
tanquam instrumentum intelli-
gentiæ motricis illa producere.
Tribuitur D. Thom. qui tamen
I. part. quest. 100. expressè
probat Angelos non posse esse
causas principales talium ani-
malium, quia illa non conti-
nent, nec formaliter, nec emi-
nenter, nec virtualiter, id ip-
sum docet N. B. Aegid. in 2.

dist. 7. quest. 3. art. 1. & alij
communius, cum quibus.

7 Dicimus Cœlum tantum,
vt instrumentum Det influere
in animas animalium, quæ ex
putri materia generantur; non
vero vt instrumentum intelli-
gentiæ moventis, & assidentis.
Prima pars probatur. Suppo-
nendo quod Cœlum influit in
omnia animalia disponendo
materiam ad generationem eo-
rum; vnde ad minus, vt in-
strumentum influit; quo sup-
posito probatur, quod solum
vt instrumentum, & non vt
causa principalis influit in talia
animata. Nam implicat, quod
causa directè producat effectum
perfectiorem se ipsa: Sed quæ-
vis anima quantumvis imper-
fectissima, est Cœlo perfectior.
Ergo Cœlum nequit influere;
vt causa principalis in animas;
quæ ex putri materia generan-
tur. Mai. pater. Quia si causa
posset producere effectum se ip-
sa perfectiorem, daret illi esse,
quod ipsa non haberet, quod
est implicitorum. Min. verò
quæ satis constat ex antecedentib-
us, probatur; nam forma
illa, quæ habet esse aliquomodo
elevatum suprà materiam, est
perfectior illa, quæ totaliter est
immersa materiæ; sed forma
Cœli, cum sit non vitalis, ha-
bet esse totaliter immersum
materiæ; forma verò anima-

lum, quæ ex putri materia generantur, cum sit vitalis, habet esse elevatum supra materiam, cum aliquomodo operetur supra eam, ut patet ex libris de anima: Ergo forma horum viventium est Cœlo perfectior; & consequenter Cœlum nequit directè influere in animas, quæ ex putri materia generantur. Diximus directè; quia de operatione indirecta iam diximus posse operari disponendo materiam, ex qua tales animæ generantur.

8. Probatur 2. pars ex P. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 16. Vbi docet, quod Angeli tanquam Agricola Deo creanti inserviunt: Sed Agricola non sunt causa principales respectu generationis segetum, vel arborum: Ergo nec Angeli respectu talium animarum. Rursus, Agricola non aliter influit in generationes segetum nisi movendo localiter terram, & applicando semina ad hunc locum, vel ad aliud: Sed Angelus non aliter influit in generationes animarum, quæ ex putri materia generantur, nisi movendo Cœlum localiter: Ergo, &c. 2. In tantum Deus potest producere quamlibet creaturam, in quantum eminentissimo modo illam continet: Sed Angelus nec eminenter, nec formaliter continet tales ani-

mas; ergo ut causa principalis nequit in eas influere. Probatur min. Non continet eminenter, quia cum essentia Angeli sit finita, & limitata, nequit continere ultimas differentias, quibus viventia sublanaria specificè constituuntur; nec formaliter, quia illas non continet simul cum illis imperfectionibus, quas animæ in ipsis viventibus habent: Ergo nullo modo potest Angelus, ut causa principalis in tales animas influere; & consequenter Cœlum non ut instrumentum intelligentiae assidentis, sed ut instrumentum Dei Authoris naturæ influit in animas, quæ ex putri generantur.

9. Sed objicies 1. Quia Cœlum continet virtualiter calorem, & alias qualitates elementorum, ideo potest producere mixta, ut sunt metalla, gemmæ, &c. Sed continet etiam virtualiter animas, quæ ex putri materia generantur: Ergo min. patet: nam quæ disperguntur in inferioribus, congregantur in superioribus; ut docet D. Dion. 2. iuxta Philosophum, Sol, & homo generant hominem: Ergo idem. 3. Experientia docet, quod aliquis partus productus sub tali constellazione, distinctas inclinationes habet, quam aliud productus sub alia: Ergo quia Cœlum

Ium habet influere in generationem animarum. 4. Causa instrumentalis necessario requirit concursum causæ principalis: Ergo Cœlum, ut instrumentum Dei necessario requirit concursum Dei: Sed concursus Dei sufficit ad productionem ipsorum animarum absq[ue] concurso instrumentario ipsius Cœli: Ergo omnino superfluit concursum instrumentarius Cœli.

10. Resp. ad 1. dist. mai. quia continet qualitates secundum ultimas differentias, quas actu continet, conc. quia continet qualitates tantum secundum esse potentiale, neg. Sicut homo non continet actu differentias ultimas constitutivas canis, plantæ, &c. quo sit, ut non possit nec plantam, nec canem generare; quamvis animam vegetativam, & sensitivam tantum potentialiter, id est secundum gradus universales, & potentiales contineat. Inde sit, quod Cœlum cum actu non contineat ultimas differentias animarum, quæ ex putri materia generantur, non possit directe influere in generationes earum. Quare, dist. min. Cœlum continet virtualiter differentias ultimas animæ sensitivæ, & vegetativæ, neg. min. prædicata generica, & potentitalia, conc. sed neg. cons,

Ad 2. dic, quod Sol, & homo generant hominem diversimode; quia Sol generat disponendo materiam, in qua introducitur anima hominis; homo verò emittingendo semen, ex quo generatur fœtus, qui paulatim organizatur, & ultimatè disponitur ad receptionem animæ rationalis, quæ à solo Deo creatur. Ad 3. dist. ant. distinctas inclinationes habet provenientes ex diversa dispositione qualitatum, quas Cœlum influit in materiam, conc. quas Cœlum influit informam, neg. Ad 4. conc. totum, sed neg. ultimam conseq. quia quamvis Deus potuerit se solo omnia producere; attamen ex sua providentia sic disponente voluit, simul cum creaturis materiam administrare, ut docet P. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 10. & ideo ex influxu causæ principalis non arguitur superfluitas causæ instrumentalis.

§. III.

Duplici quæsto fit satis:

II. **Q**uæres 1. an animalia genita ex putri, & genita ex semine sint eiusdem speciei? Resp. Esse diversæ speciei. Hæc assertio est expressa in N. Fund.

D.

D. Ægid. in 2. dist. 16. quæst. 1. art. 1. dub. 1. laterali. Vbi assentit animalia genita ex putri carere potentia generativa: Sed ex diversitate specifica proprietatum arguitur diversitas specifica essentiarum: Ergo animalia genita ex putri differunt specie ab animalibus, quæ per semen generantur. Rursus species, quæ per semen generantur tantum petunt ad sui conservationem unicam productionem, scilicet per semen, quia natura abhorret superflua: Sed animalia, quæ ex putri generantur non petunt productionem per semen: Ergo quia distinguuntur specificè ab animalibus, quæ ex semine generantur.

12 Sed objicies Aristotelem 7. meth. tract. 23. docentem: *In his, quæ à natura fiunt, eadem esse, quæ ex semine, & absquè semine fiunt.* 2. Habent eadem accidentia, eundem colorem, &c. 3. Quod producantur à causis diversæ speciei, non sufficit ad diversitatem specificam eorum; alias non posset Deus se solo producere effectus causarum secundarum. 4. Apud historicos habetur mulas steriles sàpè generasse; & tamen partus eorum sunt eiusdem speciei cum his, qui ex semine generantur: Ergo. 5. Hoc habetur etiam ex S. P. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4. & ex D. Am-

brosio, lib. de Incarnatione Verbi.

13 Resp. ad 1. Aristotels intelligendum esse, quod sint eadem genere, non specie; alter sibi contradiceret, lib. de hist. Animal. cap. 1. Vbi docet animalia, quæ ex putri fiunt, carere potentia generandi; adeoque esse diversæ speciei, quia fiunt diversæ proprietatis. Ad 2. dist. habent eadem accidentia, &c. propria, neg. communia, conc. non enim habent eandem potentiam generativam. Ad 3. neg. assump. & ad probationem insertam, dicit quod, quia Deus continet eminentissimo, & perfectissimo modo omnes species, & individua, ideo potest omnia, & singula producere; hoc autem non valet de creaturis, vt per se patet. Ad 4. dic, quod monstruosa producio non arguit potentiam generativam naturaliter convenientem; alias non esset monstruosa, quod autem sterilia aliquando pepererint, monstruolum fuit, vt docet N. B. Ægid. vbi suprà. Rursus licet sterilitas reperta in mulibus, oriatur ex aliquo accidenti; v. g. ex frigiditate, vt volunt contrarij; hoc tamen non valet de sterilitate, quæ competit animalibus, quæ generantur ex putri, quia provenit ex defectu potentiae generandi.

Ad

Ad 5. dic, quod allati SS. PP.
nihil habent de hac re.

14. Quæres 2. An Cœlum
influat in liberum hominis ar-
bitrium? Resp. Cum communis
Catholicorum sententia, Cœlum
non influere directè in li-
berum hominis arbitrium; nec
indirectè cogendo, sed tantum
indirectè inclinando manente
semper illæsa libertate ad resi-
stendum motioni, & inclinationi
Cœli. Hæc sententia est
de fide, & expressa in P. Aug.
lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 17.
ex cuius verbis ibi adductis
probatur sic: Nam si Cœlum
directè influeret in liberum ho-
minis arbitrium, sequeretur,
quod duo gemelli ex eodem
vtero, & eodem temporis mo-
mento nati, easdem haberent
operationes: Sed hoc est fal-
sum, & contra Scripturam di-
centem, quod opera *Iacob*, ea-
dem exortus nativitate cum
Esaï, fuerunt opera bona, &
hominis à Deo dilecti; opera
autem *Esaï*, fuerunt mala, &
hominis à Deo odio habiti: Er-
go quia Cœlum directè non in-
fluit in liberum hominis arbi-
trium.

2. Probatur ex eodem S.
P. lib. 5. de Civit. Dei, cap.
10. docente; quod iuxta pre-
mia bonis factis, & peccatis
supplicia sunt constituta; sed si
Cœlum directè influeret in li-

berum arbitriuni, frustra hæc
omnia constituerentur: Ergo
prob. min. Si Cœlum influeret
in liberum arbitrium non pos-
set homo per illud, aliter ope-
rari, ac operatur, vt patet in
corporibus à Cœlo motis, quæ
non possunt aliter operari, &
moveri, ac ab ipso moventur;
sed præmium statuit ei, quæ
potuit facere mala, & non fe-
cit; vt habetur Eccl. 31. sicut
supplicium potenti facere bo-
na, & non facienti: Ergo, &c. 3.
Quod est corporale, & inferius;
nequit agere in illud, quod
est spirituale, & superius: Sed
Cœlum est corporale, & infe-
rius libero arbitrio, quod est
spirituale, & superius: Ergo
idem.

15. Sed objicies 1. Motor
Cœlestis, qui est Cœlum, agit
in motorem sublunarem: sed
talis est anima rationalis, quæ
moyet corpus per voluntatem:
Ergo motor Cœlestis directè
agit in animam, & eius volun-
tatem. 2. Quædam verba, la-
pides, & animalia agunt in Dæ-
mones; illos enim allicitur ad
veniendum, vel cogunt ad di-
scendendum; sed Cœlum haberet
maiorem virtutem, quam hæc
sublunaria: Ergo à fortiori agit
in animam, & eius voluntatem.
3. Experientia docet, quod ali-
qui homines nati sub talibus
planetis, & constellationibus;

inclinantur ad aliquod vitium, vel virtutem, ad quam movere ille planeta, vel constellatio: Ergo planetæ, & constellatio: nes, &c. 4. Astrologi, qui ve: rè callent scientiam, vera præ: dicunt de actibus liberis, qui à voluntate humana dependent: Sed hos non cognoscunt, nisi ex motibus Astrorum: Ergo idem.

16 Resp. ad 1. dist. mai. Cœlum agit in motorem sublunarem, si talis motor sit educitus, & omnino dependens à materia, vt est anima brutorum, conc. si talis motor sit immediatè à Deo creatus, & omnino independens à materia, vt est anima rationalis, neg. Igitur anima rationalis, sicut est motor à solo Deo creatus; ideo à solo Deo tanquam à primo moyente dependet. Ad 2. neg. mai. non enim verba, lapides, &c. agunt in Dæmones illos movendo; sed sunt mera signa, quibus cognoscunt quando debeant homines vereare, vel illos derelinquere. Ad 3. dist. ant. inclinantur per aliquam qualitatem impressam in organis corporeis, & ideo indirectè, conc. per aliquam qualitatem directè, & immediate impressam in voluntate, neg. Ad 4. dist. mai. prædicunt certò, & infallibiliter, neg. divinativè, & fallibiliter, conc.

cognoscunt enim qualitatem impressam in sensibus, qua alliciuntur ad tales actus; & quia homines magis sequuntur sensum, quam rationem ex sua infirmitate naturæ; ideo aliquando divinantur, sed sèpè sepiùs decipiuntur; vndè manavit adagium, mendax, vt Astrologus.

17 Pro complemento hu: ius libri quæres an Cœlum in: fluat in generationes sublimes, seu metheora? Resp. certissi-: mum esse, nam vapores, & exhalationes, quæ sunt metheo-: ra primæ compositionis vir-: tute Solis, & aliorum Astro-: rum, ex terra, vel aqua, aut aëre generantur. Ceterum sciendum restat quid sint me-: theora. Pro quorum notitia se-: quentem §. instituimus.

§. IV.

De Metheoris, seu generationib: sublimibus.

19 **M**etheora dicun-: tur à *Meta*, quæ significat idem ac *in*, vel *sursum*; & à verbo *aeros*, quod significat idem ac *tollo*; vndè metheora idem significant, ac *sursum lata*, seu *sublimia*. Sed pro maiori metheorum intelli-: gentia, breviter notandum est quid sint elementa; hæc enim sunt

Tunc materia saltem remota, ex quâ gignuntur metheora. Elementa igitur sunt quatuor; scilicet, ignis, aëris, aqua, & terra. Ignis elementaris est substantia pura compissa, ex materia, & forma calida, & secca, clara, & subtili; ita ut non possit nostrum terminare visum. Quām intensionem habeant elementa in siccitate, & calore; humiditate, & frigiditate vide tractatu de mixtis, & elementis. Sphera ignis est sub superficie concava Lunæ supra superficiem convexam aëris; moueturque circulariter, motu violento, & rapto ad motum Cœli Lunæ.

20 Elementum aeris, quod sub superficie concava ignis elementaris locatur, est substantia pura, & clara; calida quidem, ut cum igne coniugatur; & humida, ut siccitatē ignis resistat. Dividitur aëris in tria interstitia, quæ vocantur etiam Regiones, seu Zonae. Interstitium supernum est illud, quod sphæræ ignis immediatè coniungitur; & ab igne circumrotatur, & magis, quam alia duo interstitia calefit, & accenditur; & in illo impressiones ignitæ generantur. Interstitium medium est illud aëris spacium, in quo propter frigiditatem generantur impressiones aquosæ, ut grando, nix, pluvia, venti,

procelle, turbines, & alia metheora. Infimum interstitium est illud spacium, quod extenditur à superficie concava interstitij medij, usquæ ad aquam, vel terram. In hoc intersticio, quod magis calidum est, quam medium, propter reflexionem radiorum Solis, generantur, ros, & præsina; & etiam quædam impressiones ignitæ ex percussione radiorum Solis accensæ; infimum interstitium solūmodo asserunt Philosophi, ut refert S. P. Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 2. aptum esse respirationi animalium. Olympus, qui in Tessalia mons altissimus est, hunc aërem infimum transcendent, ut aiunt Poëtæ; inquit enim Lucan. lib. 2. Pharsalia: Nubes transcendit Olympus; pacem summa teneant.

21 Elementum aquæ, quod simul cum terra unum globum facit, est frigidum, & humidum, limpidum, & clarum, sed ex vaporibus terræ redditur turbidum. Dividitur aqua in aquam maris, quæ per tot maria difficit; ut sunt Oceanus, mare Balticum, Mediterraneum, & alia maria, quæ per Europam diffunduntur; sicut mare Arabicum, Hircanum, Ponticum, Indicum; quod pariter in plura maria dividitur, & in aquam Fontium, & Flu-

viorum, qui ex terræ cavernis erumpunt. Vnde autem Fontes, & Flumina aquam hauriant. Resp. S. P. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 10. ex uno abyssi capite per innumerabiles antrorum, atque rimarum vias ascendere, & terram irrigare; ideo aqua maris, vel per terræ cavernas pergit ad Fontes; vel alternis æstibus elevatur ad nubes, quæ postea illam in cavernas montium demittunt. Flumina autem aliquando exiccantur, quia ex deiectione terræ clauduntur cavernæ, per quas aqua maris ad fontes revertitur. Elementum terræ est siccum, & frigidum, & veluti centrum in medio Mundi consistit; vel eius centrum est centrum Mundi. Dividitur terra in quatuor partes, scilicet in Europam, Africam, Asiam, & Americam. His breviter de elementis, notatis, quæ sunt materia, ex quâ metheora generantur, nunc ad divisionem metheorum accedimus.

22 Metheora igitur alia sunt primæ compositionis, ut sunt vapores, & exhalationes, quæ virtute Solis, & aliorum Astrorum ex terra, vel aqua aut aere generantur. Metheora secundæ compositionis sunt, quæ componuntur ex metheoris iam actu existentibus. Dicitur angem vapor ab exhalatio-

ne; quia vapor est calidus, & humidus; exhalatio vero est calida, & sicca, & aliquando vinctuosa humiditate imbuta. Metheora primæ compositionis dividuntur in impressiones ignitas, aquosas, & medio modo se habentes. Impressiones ignitæ generantur ex terrestribus exhalationibus, è terra, aliisque terrenis corporibus, ob earum calorem intensum ad superium aeris interstitium sublevatis; quarum aliqua ad instar perpendiculi apparet, & vocatur *ignis perpendicularis*. Alia ad modum candelæ elevatur cuius pars summa flamman videtur emittere; & dicitur *candela accensa*. Alia ad modum lanceæ in summitate flamman emitentes; & dicitur *lancea ardens*. Alia in plures partes igneas ascendit ad modum scintillarum, è fornace ascendentium; & dicuntur *scintillæ evolantes*. Alia ad modum ignis pyramidaliter ascendentis; & vocatur à subascendens, & istæ sunt impressiones, quæ generantur in tertia aëris Regione.

23 Aliæ sunt exhalationes, quæ non sunt adeo calidæ; & ideo nequeunt elevari usque ad supremam aëris Regionem, sed tantum ad secundam, seu medianam pervenient; ex quibus, alia eis ad modum ignis pyra-

midaliter descendens scintillis circundati , cuspide deorsum inversa , & dicitur à subdescendens ; quoniam à nube frigida delicitur , & ideo videtur descendere. Aliæ sunt debiliter calidæ , quæ propterea non elevantur , nisi ad insimam aeris Regionem propè terram ; quarum aliqua magna est , & frigore nocturno dispergitur in plures partes , & cum deicatur , magis inflammatur , & sursum salit ; & eius partes divisæ vocantur capræ saltantes , quia ad modum duarum caprarum manibus se contingentium elevantur. Alia non multa est , sed continua ad instar Stellæ accensa ; & dicitur stella cadens , seu *Affub* , vt notat N. B. Aegid. Alia multa est , & hominem transeuntem , & aerem impellantem , vel præcedit , vel sequitur ; & dicitur ignis fatuus , qui solet apparere circa cimiteria , & sepulcra. Alia multa est habens extremitates subtiles , quarum vna elevatur ad modum caudæ ; alia verò crassior non adeò elevatur , corpus autem illius est densum , & dicitur *Draco volans*. Plures aliæ sunt , quarum figuræ non fuerunt descriptæ.

24 Cometas gigni ex terrestribus exhalationibus in regionibus sublunaribus , tenent omnes Philosophi , qui Aristot-

telem sequuntur. Nam lux cometarum est palida languens , & suboscura , sicut lux aliarum impressionum ignitarum : Ergo dicendum est gigni , sicut istas ex terreis exhalationibus in regione aeris igni propinqua. Rursùs cometæ non possunt fieri ex materia Cœlesti , quæ nulli mutationi est subiecta , cum Cœli sint incorruptibiles , & solidi ; nec ex terreis exhalationibus ad Cœlum elevatis , quia istæ deberent pertransire sphæram ignis , à quo , cum sit quamquam exhalatione activior , abstulbio consumerentur , & destruerentur: Ergo vnicè componuntur ex terrestribus exhalationibus in regionibus sublunaribus.

25 Dices exhalationes terrestres non elevantur à terra , nisi ad quinquaginta duo miliajaria , vt docet Vitellio cum alijs ; nec ascendere possunt ad tertiam aeris regionem , nam hæc propter ignis viciniam calidissima est , & ideo cometæ non possent diù durare. 2. Aristot. 1. metheor. cap. 4. ait cometas alios esse elementares , & alios Cœlestes : Ergo admittendi sunt etiam cometæ intra Cœlos producti. Resp. ad 1. ferrè omnes Philosophos docuisse , exhalationes ascendere usque ad tertiam aeris regionem , vt diximus de igne perpendiculari ,

candela accensa, lancea ardentes, &c. Et eo magis, quo maior est vis attractiva Astri, à quo sublevantur; nec tantus est calor supremæ regionis aeris, ut statim resolvatur cometa; nam hęc componitur ex exhalationibus, quę talem habent pinguedinem, ut veluti picem vniuantur, & conglutinentur, vnde non ita facile possunt resolvi. Ad 2. Resp. Arist. nihil aliud docere, nisi quod cometæ alij habent comam, vel caudam appensam alicui Astro; & illos vocavit Cœlestes, & quod alij non sint ita supoti, & hos vocavit elementares. Cometæ, (qui ab dubio accensi, & inflammati sunt; quia eorum materia, cum sit calida, & secca, est valde ad ignem disposita) toto anno generantur, quia semper exhalationes exurgunt; autumnus tamen est accommodatior, quia tantus non viget calor in aere, ut possit illos detruere; nec tale est frigus, ut eos possit impedire, ne ascendant.

26 Tonitru est sonus factus in nubibus ex violenta percussione exhalationis calidæ, & sicce cum ipsis nubibus, à quibus circundatur; vel ex collisione ipsarum nubium ad invicem. Cum enim ad medium aetis regionem elevatur vapor, & simul cum eo exhalatio; tunc

vapor exhalationem circundat, & inspissatur in nubein; cuius frigiditatem non ferens inclusa exhalatio, quę calida, & secca est, contra latera nubis impellitur exitum quærens; & causat fragorem, quovisque nubem discindat, & ex illa exeat. Ex tali motu inflammatur exhalatio, & coruscationem, seu fulgur producit. Et quamvis tonitru, & fulgur, seu coruscatio sicut simul; prius tamen coruscationem videmus, quam sonum audiamus; quia visus subtilior est, quam auditus, & aliquando ignem videmus, & sonum non audimus; quia sonus debilis est, & nisi sit fortis non auditur, vt in estate.

27 Fulmen est exhalatio ignita condensata, è nube discisa magno impetu excussa. Eadem est materia fulminis, & fulgoris cum hoc discriminē, quod fulmen est exhalatio condensata, solida, & consistens; fulgor vero materia magis rara, & minus consistens, adeoque per aerem dissipatur. Effectus fulminis adeoque varij sunt, & mirabiles, ut præter naturæ ordinem esse videantur; ut aurum in crumenā, ensem in vagina, pedem in calceo destruere, illæsis crumenā, vagina, & calceo; hominem, & animalia redigere in cineres, illæsa superficie; veneno inficere, & venenata

henata purgare , dolium consumere , & vinum , quasi pellicula incosum relinquere ; retia in aqua consumere , quæ verò sunt extra aquam non lædere , arborum medullas sugere , intactis arboribus ; & plura similia , quæ ex diversa exhalationum compositione necesse est evenire.

28 Iris est , arcus tricolor in nube rorida , & concava ex reflexione riorum solis apparenſ. Vbi nubes est densior , fit reflexio fortior radiorum Solis , & videtur color puniceus ; vbi autem nubes est rara , fit reflexio debilis , & videtur color viridis ; & vbi nubes est rarioſ , fit reflexio debilior , & videtur color alurgus , ſeu ad instar lapidis lazuli . Ex colore autem puniceo , & viridi generatur color glaucus ; vnde Iride definente , color puniceus tranſit in glaucum .

29 Halo , ſeu corona , vel area , eſt circulus circa Lunam , aut aliud Aſtrum apparenſ ; & fit cum vapor in densitate , & raritate mediocri inter Lunam , vel Aſtrum , & noſtrum viſum diametraliter interponitur , ſuper quem vaporem lumen Lunæ , vel Aſtri incident , iſpum vaporem diſiungit in medio ; in extremitatibus autem halonis radij refranguntur propter denſitatem vaporis , & iſpi colo-

res , quamvis debiles , etiam apparent . Apparet autem halo circa Lunam , vel aliud Aſtrum , potius , quam circa Solem ; quia Sol vi ſui caloris diſſipat halitus , ex quibus formatur .

30 Parelius eſt imago Solis expreſſa in nube collaterali ad Aſtrum , vel Aquilonem .

31 Virgæ ſunt radij ſolares penetrantes nubem diſſimiliter densam , & raram ad modum baculorum versus terram protenſorum .

32 Hiatus eſt vapor in me- dio ater , & obscurus , & in cir- cunferentia magis clarus , & albicans ita tamen , ut eius pro- funditas magna nonappa- reat .

33 Tandem vorago eſt biatus , cuius profunditas magna apparet ob magnam quanti- tatem nubis , vel exhalatio- nis .

34 Imprefſiones aqueæ ſunt nubes , nebulæ , grando , granula , nix , pluvia , pruina , ros , fontes , & flumina . Gene- rantur ex vaporibus virtute So- lis , & Aſtrorum extractis ex aquis marinis , & fluvialibus . Tempus , in quo magis gene- rantur imprefſiones aqueæ , eſt hyems , ſi tamen frigus conſtric- tivum in ea non abundaverit ; tunc enim impedit , ne vapores ascendant . Locus in quo gene- rantur , eſt regio media , & in-

fima aeris, & venter terræ, in quo sunt varia cavernæ, & meatus, in quibus inclusi vapores causant fontes, & flumina.

35 Nubes est vapor contractus, & condensatus à frigiditate aerea, & à virtute Astrorum in extremitate secundæ aeris regionis. Si vapor, ex quo nubes componitur, sit subtilior, & minus humidus, nubes convertitur in aerem; si vero sit crassior, & humidior, resolvitur in pluviam.

36 Nebula, seu caligo differt à nube, quia nubes in aere existit; nebula verò circa terram; partes enim crassiores nubium à frigore noctis constipatae, & constrictæ descendunt, & nebulam seu caliginem causant, si autem accedente Sole dissipentur, succedit serenitas; si verò subleventur, pluviam minantur. Generantur nebulae in locis aquosis, & paludosis, ex quibus vi Solis extrahuntur vapores.

37 Grando est vapor sublevatus ad infimam partem secundæ regionis aeris; quam tamen non penetrat, quia frigus circumstans penetrat vaporem, & expulso eius calore ipsum vertit in aquam, quam postea urgente frigiditate, congelat, & vertit in grandinem. Aliquando etiam vapor in secunda

aeris regione cotversus in guttas decidit in terram; sed cum guttae sunt in infima regione, per antiparistasim congelantur. Quavis aliqui afferant infimam aeris regionem, ob ventos frigidos, aliquando esse frigidorem, quam secunda regio; & tunc guttas pluviales condensari in grandines vi frigoris, non per antiparistasim. Quando generatur grando in infima aeris regione, vocatur grando angularis, qui ex multis guttulis compacta cernitur, & ideo plures angulos videtur habere. Si quæ autem figuræ in grandine conspiciantur, in influentias Stellarum solent refundi. Grando frequentius in vere, quam alijs anni temporibus generatur; quia ver calidum, & humidum est, atque adeò generationi vaporum, ex quibus fit grando, accommodatissimum: æstas verò, quia calida, & secca est, ideo vapores exiccat; hyems autem est frigida, & autumnus partim ob siccitatem æstatis, quam servat, & partim ob frigus, hyemis, quod participat, vapores impediunt.

38 Granula, que sèpè cadunt mense Martio, & Aprili, ex iisdem vaporibus, ex quibus generatur grando, componuntur, minus tamen calidis ad medium aeris interstitium sublevatis, in loco tamen inferiori, à loco,

loco, in quo sit grando. Vapores ergo elavati propè locum, in quo sit grando, vi frigoris convertuntur in guttas, quæ antequam cadant, extrinsecus ad modum grandinis congelantur; intrinsecus autem defectu frigoris molles ad modum nivis permanent.

39 Glacies est similis grandini, cum hoc tamen discrimine, quod grando est aqua in aere congelata; glacies vero est *aqua in stagnis, paludibus, flavijs, & etiam in mari congelata*; ut in mari glaciali. Congelatio autem vaporum in grandinem, vel granula; & aquæ in glaciem sit nedum vi frigoris, sed etiam virtute exhalationis terrestris, a qua habetur soliditas.

40 Nix *ex vapore calido, & humido ad infimam secundæ regionis partem elevato generatur.* Vapor enim resolvitur vi frigoris in aquam, & postea ad modum lanæ condensatur, quia minor est frigiditas; sàpè accidit, quod dum nix ad terram decidit, à calore aeris existente in regione infima in aquam resolvitur; vndè sit, quod in planicie pluvia, & super iuga montium nix eodem tempore videatur decidere. Est albi coloris; dicitur tamen vestitatem rubescere, quia consumuntur partes aereæ, & rema-

nent partes terreæ; & fertur in Armenia nives rubeas decidere; quia vapores ex terra rubea extrahuntur.

41 Plavia *ex vapore calido, humido, fumoso, & crasso ad supremam partem infime regionis, vel ad infimam partem secundæ regionis elevato generatur.* Etenim vapor sublevatus à frigore vertitur in nubem, & nubes in aquam resolvitur; & in terram guttatum decidit. Cum autem magno impetu cadit, imber dicitur.

42 Ros *generatur ex vaseo calido, humido, & crasso in infima aeris regione non multum procul à terra elevato, per frigus nocturnum condensato, & poste in aquam resoluto.* Cadit autem frequentius circa crepusculum; tunc enim infima aeris regio est frigidior, hinc est quod in montibus altis ros fertur non cadere; quia superant locum, in quo generatur. Ex rore multa mixta generantur; ut mel, & manna, decidit enim super flores, & apes illo pastæ mel producunt, & super arborum folia in manna convertitur.

43 Pruina est eiusdem ferme rationis, ac ros; & eodem ferè modo generatur, excepto, quod in generatione pruina requiritur frigus intensius, quia debet illam congelare, quam in

generatione rotis, qui non congelatur.

44 Fontes generantur ex vaporibus elevatis à terra; sunt enim in ventre terræ plures concavitates, & meatus, quasi viscera ipsius, in quibus sunt vapores, qui cum in lateribus cavernarum resolvuntur in aquam, guttatum distillant, rivulos formant, & tandem erumpentes fontem efficiunt. Si fontes transeant per quædam mineralia, induunt diversam eorum qualitatem, ut colorem, saporem, & etiam calorem, quando est sulphur admixtum. Hinc narrat S. P. Aug. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 5. Quod apud Garamantas est fons in die adeò frigidus, ut eius aquam nemo bibere queat; & in nocte adeò calidus, ut tangi non possit; & alij referunt in Epyro esse alium fontem, in cuius aquis fax accensa immersa extinguitur; & extincta accenditur.

45 Flumina ex concursu plurium fontium componuntur; ut constat, & omnia intrant in mare, & mare non redundant. Ratio autem huius est; quia virtute Solis, & Astrorum aqua vertitur in vapores, & decidit in fontes, qui ad flumina confluent.

46 Maris salsedo causatur ex terrestribus exhalationibus siccis, & adustis, quæ à terra

in mare elevantur; ut docet Phil. 2. metheor. cap. 3. & B. Ægid. ibid. Ratio est nam ab aqua maris terræ superflua virtute Solis extrahitur sal, qui est materia sicca, & adusta; aqua enim sursum elevatur in vapores, & remanet sal terræ adhærens; & ideo salsedo non est, nisi exhalatio sicca, adusta, & terrestris. Recipit autem mare has exhalationes terreas ex eo, quod lambit viscera terræ, montium, & cavernarum, ubi sunt diversorum salium mineralia. Circa fluxum, & refluxum maris, dicendum existimo, quod ad illum multæ cause concurrunt, scilicet Sol, & Astra calida convertendo aquam in aerem; & tunc mare minuitur, & Luna, ac Astra borealia frigida convertendo aerem in aquam; & tunc aqua maris augetur.

47 Impressiones terreæ vocantur medio modo se habentes, quia nec sunt ita calidæ, & siccæ, ut possint ignefieri, nec sunt ita humidæ, & frigidæ, ut possint congelati.

48 Terremotus numeratur inter impressiones terreas, qui nihil aliud est, quam tremor terra causatus ab exhalationibus in visceribus terre existentibus; cum enim ingens copia exhalationum terrestrium repetitum inclusa in cavernis, & visceri-

scribus terræ ; & die à radijs solaribus calefit , & subtiliatur; noctu autem per frigus inspissatur , hoc duplii motu agitatur, & exitum quærens latera terræ, & cavernarum concutit , & aliquando illa frangit ; & vtroquæ modo terræ causat tremorem. Quantò maior est halituum copia , tanto maior est terremotus ; & tunc terram disrumpit, & magnas voragini aperit , si clausum exitum inveniat ; si vero apertam exeundi viam haberit , concusso terræ parva est , vel nulla. Possunt autem isti halitus etiam ab igne subterraneo accendi ; & tunc non continentis se intra tale spaciū , vi erumpunt , ut pluries visum est in Vesuvio monte.

49 In exitu exhalationum , è terra semper causatur sonus. Locus autem , in quo terremotus causatur , nec debet esse nimis calidus , quia exhalatio à nimio calore consumitur ; nec nimis frigidus , quia in eo exhalationes multæ non gignuntur. Tempus autem , quo causatur sæpius est nox ; & in vere , vel in Autumno , quia tempus debet esse attemperatum.

50 Signa præfigientia terremotum sunt , cum aquæ puteales turbidæ sunt , vel ebulliunt , & ascendunt , ac tetur odorem emitunt ; tunc enim moventur halitus ; item intem-

pestiva aeris tranquilitas , & siccitas ; item pallida Solis facies , & nubecula levis post Solis occasum dia persistens , &c. Aliquando post terremotorum pestilentia succedit , quia halitus exeentes sunt venenosii , & ideo aerem inficiunt.

51 Ventum nihil aliud esse , quam aerem agitatione commotum senserunt Stoici. Communis tamen Peripateticorum sententia tenet ventum esse exhalationem calidam , & siccām , è visceribus terræ erumpentem , & lateraliter motam circa ipsam terram ; cum enim exhalatio calida sursum tendere , & aeris regiones transire conetur , à frigore mediæ regionis deicitur ; quia tamen calor semper sursum nititur ; ideo versus faciem terræ non tendit directè , sed lateraliter circa terram movetur. Hanc sententiam insinuat P. Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 10. asterens , quod si humor terræ , seu exhalatio sit tenuis , ventos commovet ; si autem sic vehementior , ignes , & tonitrua , si contractus , nubila ; ideo ex eadem materia magis , & minus alterata ista omnia gignuntur. Colligitur etiam ex ethymologia nominis ; nam *ventus* Græcè , dicitur *typho* , quod significat idem , ac *incendio* ; quod dicitur ob calorem , & siccitatem.

52 Venti principales sunt quatuor à quatuor Mundi plagiis exorientes; & iisdem nominibus appellantur, scilicet *Oriens*, *Ponens*, *Aquilo*, & *Auster*; quilibet ex his habet duos ventos collaterales; & ideo duodecim sunt venti principales. Quando duo venti obviam eunt, se repercutiunt, per gyrum se volvunt, & revolvunt; & pulverem, folia, & paleas, ac similia, cum flant super terram in aerem elevant; cum autem flant supra mare, aquam, & aliquando etiam naves parvas elevasse feruntur; & ex his duobus ventis conficitur unus, qui dicitur *turbo*. Sed notandum, quod licet omnes venti sint natura sua calidi, & siccii; hoc tamen non tollit, quod aliqui sint humidi, & frigidii; ceterum hæc humiditas, & frigiditas eis accidentaliter competit, quatenus à locis per quæ transiunt, illam contrahunt.

53 Turbines magis periculosi, & formidabiles sunt tres, *Ethnepias*, *Type*, & *Prester*. Primus est *exhalatio densa*, & *spissa inter nubem coacta*, vbi ob nubis frigiditatem per antiparitasim magis accenditur, & à frigore nubis versus terram proiecta domos, & villas consumit, & vulgo dicitur *ignis diuinum*. Secundus est *exhalatio*

non omnino expers velocietas, deorsum à nube deiecta, *non quidem directè*, sed in gyrum, quod evenit ex pugna diversarum nubium, vel diversarum partium nubis in diversas loci positiones impelleantur ipsam exhalationem, quæ propterea violentissimo motu in terram descendit circulariter, & arbores eradicat, testa, & aedificia deicit, integra navigia elevat in aerem, & præcipitat; & ad instar rotæ ardantis apparet. Tertius est *exhalatio*, vel *ex allagine ad nubes aliquantulum inflammatu*, vel *ex scissione partium ipsius exhalationis invicem se collidentium accensa*, & violenter permota; ita ut sternat, & frangat, quidquid ei fit obviam, atque illud incendat, & comburat; ideo differt ab alijs turbinibus, quia plus habet inflammationis.

§. V.

De Mineralibus

54 Inter metheora connumerantur *mineralia*; quia ex eadem materia, ex quâ dignuntur metheora, generantur; ex vaporibus enim, & exhalationibus per actionem primarum qualitatum, & per virtutem Cœlestem producuntur. *Mineralia* sunt tria genera,

Materia, nempē lapides, sales, & metalla, quæ in visceribus terræ gignuntur.

55 Lapidés ex vapore, & exhalatione permixta cum luto viscoso actione longa producuntur; & iuxta qualitates materiae generantur diversorum colorum, & efficaciam multiplicis. Puram terram immediate lapidem fieri non posse certissimum est; nam siccitas terra ipsam impedit coagulari; ideo debet pluries irrigari, ut reddatur liquefactibilis. Aliqui dubitant de aqua; sed aqua per se ipsam in lapidem converti non potest; per admixtionem tamen vaporum, & exhalationum, quæ sunt lapidum materia, in lapidem potest converti; hinc pluries visum fuit aquarum spumam in lapidem fuisse conversionem. Causa efficiens lapidum sunt corpora Cœlestia; virtutes autem, & proprietates, quæ lapidibus competit, sunt adeò mirabiles, & variae; ut sint etiam ipsis Lapidariis ignorantia.

56 Sales generantur ex vaporibus admixtis cum exhalationibus actione forti; ex diversa autem proportione inter vapores, & exhalationes diversi sales producuntur; ut sunt sal commune, qui condientis cibis inservit; sal harmonicum, sal nitram, vitriolum, similiter, &

sulphur, auri pigmentum, arsenicum, & similia; imò & argentum vivum eodem modo generatur; bitumen verò ex humoribus in terra putrefactis efficitur. Hæc omnia uno excepto argento vivo, vocari solent semimineralia ad differentiam metallorum, quæ simpliciter mineralia dicuntur.

57 Metalla ex argento vivo, & sulphure immediate generantur. Argentum vivum est substantia aquæ mixtione forti, terreo, subtili permixta, quod contingit, cum vapor subtilis exhalationi puræ virtute caloris ipsius Solis per diutinas solutiones, & coagulationes coniungitur. Componitur ex parte terrea, & aquæ; partem terream vocant sulphur argenti vivi; & in eius separatione multum laboris impenditur. Argentum vivum claritatem habet ab aqua, & aere inclusis; mobilitatem ab humiditate, & pondere; quod autem non madefaciat manus, habet ex siccitate superficie extrinsecæ. Eius naturam plurimæ ingenia scrutari tentarunt; quæ propter aliqui dixerunt esse naturaliter calidum; alij humidum, alij siccum, & alij frigidum. Vocatur Mercurius; quia sicut Mercurius cum omnibus Planetis coniungitur, ita argentum vivum cum omnibus

bus metallis facillimè vni-tur.

58 *Plumbum*, quod Sa-turno tribuitur, & ideo etiam Saturnus appellatur, *ex argen-to vivo impuro, crasso, faculento;* & *ex sulphure immundo generatur.* Stannum verò, quod tribuitur Iovi, *ex argento vi-vō puro, & claro;* & *ex sul-phure immundo producitur.* Fertum, quod tribuitur Marti, *ex modico argento vivo, & im-mundo;* & *ex sulphure spissō, immundo, & adurente componit.* Aurum, quod Soli tri-buitur, *ex argento vivo, puro, & claro;* & *ex sulphure mun-dissimo, rubeo, non adurente per actionem Solis conficitur.* Cuprum, seu æs, quod tribui-tur Veneri, *ex argento vivo, non omnino immundo;* & *ex sulphure rubeo crasso, & lepro-so generatur.* Argentum vivum, quod Mercurio tribuitur, *ex sulphure unctuoso partim ae-reo, & partim terrestri, & igneo, & humore aqueo componit.* Argentum, quod tribui-tur Lunæ, *ex argento vivo, albo, & mundo;* & *ex sulphu-re albo, & mundo, non adu-rente generatur.* Omnia hæc metalla vocantur nomine Pla-netæ, cui tribuitur eorum pro-ductio.

59 Ex his patet, quod ar-gentum vivum est materia com-

munis omnium metallorum; quia ex illo omnia generantur, sulphur verò se habet, vt for-ma, quæ metalla specie distin-guit. Praxis autem hoc docet; ex quolibet enim metallo ar-gentum vivum extrahitur; quo separato remanet quædam ma-teria terrestris, & sicca, quæ sulphur communi nomine di-citur. Cum igitur quodlibet ex his componatur, in quæ resol-vitur; ideo ex resolutione om-nium metallorum in argentum vivum, & in partem ter-estrem, rectè infertur metalla omnia *ex argento vivo, & sul-phure terrestri generari, & componi.*

60 Chalib⁹ nihil aliud est, quam ferrum purgatum, & depuratum. Sicut auricalcaum est cuprum tutchia coloratum.

61 Eleætri autem tres spe-cies inveniuntur; vna, quæ ex quodam arborum gomi indu-tescit, & succinum dicitur; al-tera ex tribus partibus auri, & ex vna argenti conficitur; tertia autem naturalis est, & in mi-neris reperitur; & ab auro vix discernitur, ac inter alias vir-tutes venenum miro splendore habet ostendere, vt refert D. Ambros. in Hexam. lib. 3, cap. 5.

62 Quamvis certum sit metalla in visceribus terra ad invicem transmutari; sunt enim

corpora sublunaria , quæ sunt mutationi subiecta , cum constent ex quatuor qualitatibus contrarijs : dubitatur tamen , an per artem chimicam possint transmutari ? Resp. affirmativa ; nam in tantum elementa possunt ad invicem transmutari , quia habent materiam communem , quæ potest affici qualitatibus disponentibus ad formas elementares ; ut quia aer habet materiam , quæ potest recipere calorem , quo ultimè disponatur ad formam ignis , potest ad formam ignis transmutari , & in ignem converti (& sic de alijs elementis :) Sed etiam metalla habent materiam communem , quæ est argenti vivum , in quo omnia resolvantur , ut diximus : Ergo possunt ad invicem transmutari .

63 Ex Mercurio igitur , seu argento vivo purissimo , & sulphure ex metallis perfectis ex-

tracto conficitur lapis . Mercurium fœminam , & sulphur masculum vocant A A . Tota huius rei secretissimæ summa est in inveniendis ponderibus utriusque , & igne , quo decoqui debent . Omnes tamen aiunt quod natura est imitanda ; cæterum opas esse mulierum , & ludum puerorum . Si dicas , quod Ioan . 22 . in extravagant . spondent . damnavit artem chimicam ; & venditionem auri per hanc artem confessi . Resp . S . Pontificem rectè damnasse artem chimicam , quæ in plurimis sophistica est ; & ideo verum aurum non conficit . Dicta sufficient pro brevi huius appendicis tractatu de Cælo , & Mundo , & Metheoris ; in quo nil amplius desiderandum restat pro ornatu huius cursus Philosophici ; nec pro sufficienti iuventutis nostræ instrutione .

FINIS.



182

mento de sucesos que se han producido en el mundo, y en particular en la Europa contemporánea, y en las relaciones entre los países europeos y las Américas. El autor es un hombre de cultura y experiencia, y su análisis es profundo y bien fundamentado. El libro es una obra de gran valor para los estudiosos de la historia contemporánea y para los interesados en las relaciones entre las Américas y Europa.

— 21 —

— 22 —

— 23 —


— 24 —


— 25 —

— 26 —

31413







7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981

7.981